



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso


Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



B2

files

of

11013 1



KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK  
  
0002 3736







~~3046~~ B 14

LEVIATHAN.

SIVE

DE MATERIA, FORMA, ET POTESTATE

CIVITATIS

ECCLESIASTICÆ ET CIVILIS.

AUTHORE

THOMA HOBBS,

MALMESBURIENSI.



THOMÆ HOBBS

MALMESBURIENSIS

OPERA PHILOSOPHICA

QUÆ LATINE SCRIPSIT

OMNIA

IN UNUM CORPUS NUNC PRIMUM COLLECTA

STUDIO ET LABORE

GULIELMI MOLESWORTH.

---

VOL. III.

---

LONDINI:  
APUD JOANNEM BOHN,  
HENRIETTA STREET, COVENT GARDEN.

---

MDCCCLXI.



LONDON:  
TYPIS C. RICHARDS, ST. MARTIN'S LANE.

# INDEX CAPITUM.

## PARS PRIMA. DE HOMINE.

CAP.	PAG.
Introductio . . . . .	1
1. De Sensu . . . . .	5
2. De Imaginatione . . . . .	7
3. De Consequentia sive Serie Imaginationum . . . . .	14
4. De Sermone . . . . .	21
5. De Ratione et Scientia. . . . .	31
6. De Principiis internis Motus Voluntarii, quæ vulgo vocantur Passiones . . . . .	39
7. De Discursuum Animi Determinationibus . . . . .	51
8. De Virtutibus Intellectus . . . . .	54
9. De Scientiarum Distributione . . . . .	66
10. De Potentia, Dignitate, et Honore . . . . .	68
11. De Varietate Morum . . . . .	77
12. De Religione . . . . .	85
13. De Conditione Generis Humani, quatenus ad Felicitatem Vitæ præsentis attinet . . . . .	97
14. De Duabus primis Legibus Naturalibus . . . . .	102
15. De Legibus Naturæ aliis . . . . .	111
16. De Personis et Authoribus . . . . .	123

## PARS SECUNDA. DE CIVITATE.

17. De Causa, Generatione, et Definitione Civitatis . . . . .	127
18. De Jure habentium Summam Potestatem, in Civitate per In- stitutionem . . . . .	132
19. De Generibus Civitatum per Institutionem, et de Successione ad Summam Potestatem . . . . .	141
20. De Dominio Paterno et Despotico . . . . .	150
21. De Libertate Civium . . . . .	159
22. De Systematibus Civium . . . . .	170
23. De Potestatis Summæ Ministris Publicis . . . . .	181
24. De Civitatis Facultate Nutritiva et Generativa . . . . .	185
25. De Consilio . . . . .	190
26. De Legibus Civilibus . . . . .	196

## INDEX CAPITUM.

CAP.	PAG.
27. De Criminibus, Excusationibus, et Extenuationibus . . . . .	210
28. De Pœnis et Præmiis . . . . .	223
29. De iis Rebus quæ Civitatem labefactant . . . . .	230
30. De Officio Summi Imperii . . . . .	240
31. De Regno Dei naturali . . . . .	254

### PARS TERTIA. DE CIVITATE CHRISTIANA.

32. De Politicæ Christianæ Principiis . . . . .	265
33. De Numero, Antiquitate, Scopis, Authoritate, et Interpretibus Librorum Sacrorum . . . . .	270
34. De Significatione quam habent in Scripturis Sacris Vocabula Spiritus, Angelus, Inspiratio . . . . .	280
35. De Significatione in Scripturis Sacris Vocabulorum, Regnum Dei, Sanctum, Sacrum, et Sacramentum . . . . .	291
36. De Verbo Dei, et Prophetis . . . . .	298
37. De Miraculis, et eorum usu . . . . .	313
38. De Significatione quam habent in Scripturis Sacris Vocabula Vita Æterna, Infernum, Salvatio, Mundus Venturus, et Redemptio . . . . .	320
39. De Significatione quam habet in Scripturis Sacris Vocabulum Ecclesia . . . . .	335
40. De Jure Regni Dei in Abrahamo, Mose, Summis Sacerdoti- bus, et Regibus Judææ . . . . .	338
41. De Servatoris nostri benedicti Officio . . . . .	349
42. De Potestate Ecclesiastica . . . . .	357
43. De iis quæ ad Receptionem in Regnum Cœlorum sunt neces- saria . . . . .	434

### PARS QUARTA. DE REGNO TENEBRARUM.

44. De Tenebris Spiritualibus a non recta Interpretatione Scrip- turarum . . . . .	449
45. De Dæmonologia, aliisque Reliquiis Religionum Ethnicarum . . . . .	475
46. De Tenebris a vana Philosophia, et Traditionibus fabulosis . . . . .	489
47. De Lucro ab hujusmodi Tenebris, quid sit et quibus accrescat . . . . .	503

### APPENDIX. CONTINENS TRIA CAPITA.

Primum, De Symbolo Niceno . . . . .	511
Secundum, De Hæresi . . . . .	539
Tertium, De quibusdam Objectionibus contra Leviathan . . . . .	559

AD NOBILISSIMUM VIRUM  
DOMINUM  
FRANCISCUM GODOLPHINUM,  
EQUITEM ORDINIS BALNEORUM.

---

FRATRI tuo Sidneo Godolphino, nobilissime Domine, quantum placuerint studia mea; quantum ille auctoritate iudicii sui apud viros bonos me ornaverit; quanto denique durissimis temporibus beneficio me adjuverit, ipse nosti. Commemoro autem, non ut favorem amicorum virtutem faciam meam, sed quia virorum excellentium, qualis ille erat, dilector testimoniis. Excelluit enim vir ille virtute omni quam postulat aut cultus divinus, aut commodum patriæ, aut societas civilis, aut amicitia singularis; pius erga Deum, eruditus ad pacem, fortis ad bellum, in congressibus jucundus, in amicitis firmus. Honoris igitur et gratitudinis causa erga illum et devotionis erga teipsum, tractatum hunc de Potestate Civili et Ecclesiastica humiliter tibi offero dedicoque. De illis, qui doctrinæ quam continet favere videbuntur, homines nostri quid sensuri sint, ut nunc sunt tempora, incertum est. Nam inter mucrones pugnantium de potestate summa non facile est incedere sine vulnere. Causam tamen cur pars utravis succenseret mihi, nullam video. Quid enim facio, præterquam

quod potestatem civilem, quam quicumque possidebit maximam esse volet, quantum possum magnifico? Neque de jure hominum, sed de jure simpliciter disputo. Quemadmodum anseres quondam capitolini ad scandentium strepitum, tantum clango. Displicebit etiam fortasse non paucis, quod loca quædam Scripturæ Sacræ aliter interpretari ausus sim, quam ab aliis explicari soleant. Id quod non modo, in ordine ad opus institutum, necessario feci, quia loca illa potestatem civilem oppugnantia quasi inimicorum mœnibus civitatis, quam obsident, admotæ tures sunt; sed etiam ne quid contra doctrinam ecclesiæ nostræ publicam scriberem, (dissentire enim a singularibus licitum est), diligenter cavi. Sin neque ad hæc mitescant reprehensores mei, teipsum tamen recte et facile excusabis. Dices enim, si vis, hominem esse me, qui mea amem et quicquid dicam verum esse putem, quod fratrem tuum coluerim et te colam, eoque fretus inconsulto te subscripserim

Servus tuus humilime devotus

THOMAS HOBBS.



## INTRODUCTIO.

---

NATURAM, id est, illam, qua mundum Deus condidit et gubernat, divinam artem, eatenus imitatur ars humana, ut possit inter alia producere artificiale animal. Cum enim vita nihil aliud sit quam artuum motus, cujus principium est internum in parte aliqua corporis principali, quid obstat quo minus dicamus automata omnia, sive machinas omnes quæ ab elastris rotulisque intus dispositis motum habent, ut horologia, in seipsis, habere etiam artificialem vitam? Quid est cor nisi elastrum, quid nervi nisi chordæ, quid articuli nisi totidem rotulæ motum, qualem voluit artifex, toti corpori impertientes? Neque animal tantum imitatur ars, sed etiam nobilissimum animalium, hominem. Magnus ille Leviathan, quæ civitas appellatur, opificium artis est et homo artificialis, quanquam homine naturali, propter cujus protectionem et salutem excogitatus est, et mole et robore multo major. In quo *is, qui summam habet potestatem*, pro *anima* est, corpus totum vivificante et movente; *magistratus* et *præfecti*, artificiales



*artus: præmia et pœnæ summæ potestati appensæ, et a quibus membra ad suum cujusque opus perficiendum incitantur, nervi sunt, qui idem faciunt in corpore naturali: divitiæ singularium hominum sunt pro robore: salus populi, pro negotio: consilarii, per quos ea quæ cognitu necessaria illi sunt suggeruntur, pro memoria sunt: æquitas legesque pro artificiali ratione: concordia sanitas est: seditio, morbus: bellum civile, mors. Postremo pacta, quibus partes corporis hujus politici conglutinantur, imitantur divinum illud verbum fiat sive faciamus hominem, a Deo prolatum in principio cum crearet mundum.*

Hominis hujus artificialis naturam describens, considerabo :

1. Materiam ejus et artificem, id est, *hominem* :
2. Quo modo et quibus pactis factus est ; quæ jura, quæ potestas sive authoritas ejus est ; et in quo residet *potestas summa* :
3. Quid est *civitas Christiana* :
4. Quid est *regnum tenebrarum*.

Quod ad primum attinet, permulti sunt qui sapientiam dicunt non legendo libros, sed legendo homines acquiri ; et sententiæ huic consequenter illi, qui sapientiæ suæ nullum aliud specimen proferre possunt, valde sibimetipsis tunc placent, cum quantum profecerint inspiciendo, censuris in proximos contra charitatem patefecerint. Extat autem

præceptum aliud antiquius, per quod intelligere possent, si vellent, homines alios rectius legere, nempe *nosce teipsum*. Quod præceptum non ita intelligendum est, ut nonnulli putant, quasi aut potentiorum erga vulgus fastui barbarico, aut humilium erga potentiores procacitati incivili indulgeret, sed ut doceamur cogitationes passionesque hominum diversorum adeo similes inter se esse, ut quicumque in seipsum inspexerit, consideraveritque quid faciat ipse et quare, quando cogitat, opinatur, ratiocinatur, sperat, timet, etc., idem simul leget intelligetque cogitationes passionesque aliorum omnium hominum a similibus causis orientes; similes, inquam, passiones, non similia passionum objecta, quæ a constitutione et educatione hominum singularium ita variantur et absconduntur, ut cordium suorum characteres, simulatione, dissimulatione, falsisque opinionibus scribillati et confusi, soli scrutatori cordium sint legibiles. Quanquam autem consilia hominum cognoscere aliquando possumus per ea quæ faciunt, difficile tamen est sine comparatione cum consiliis propriis, et sine distinctione circumstantiarum quæ effectus singulos mutare solent; tanquam si quis literas ignoto characterere legere tentaret sine scriptoris alphabeto. Erabit ergo aut simplicitate aut suspicione nimia, prout is, qui legit, vir probus est vel improbus.

Verum in cognoscendis hominibus singularibus,



ut peritissimus sit quis, solos cognoscet eos quibuscum vivit familiariter, qui pauci sunt. At is, qui gentem aliquam universam recturus est, ex seipso cognoscere debet non hunc et illum hominem, sed humanum genus. Quod etsi factu difficile sit, difficilius quam addiscere novam linguam aut scientiam quamlibet acquirere, si tamen ea, quæ ego de hac re explorata habeo, recto ordine et perspicue explicavero, minuetur difficultas aliis, quibus solus incumbet labor examinandi, an ea quæ dico ipsorum cogitationibus congruant. Nam harum rerum alia non est demonstratio.

---

PARS I.  
DE HOMINE.

---

---

CAPUT I.

DE SENSU.

COGITATIONES hominum primo sigillatim, deinde alias ab aliis dependentes ut in serie considerabo. Ipsarum unaquæque alicujus qualitatis vel accidentis in corpore externo, quod appellari solet *objectum*, est *apparitio* sive *representatio*. Quod objectum, agendo in corporis humani organa, nempe oculos, aures, etc., pro diversitate actionis diversas producit apparitiones.

CAP. I.

De sensu.

Origo omnium nominatur *sensus*. Nulla enim est animi conceptio, quæ non fuerat ante genita in aliquo sensuum, vel tota simul, vel per partes. Ab his autem primis conceptibus omnes postea derivantur.

Cognitio causæ sentiendi naturalis, præsentis instituto non est absolute necessaria; etiam alio loco de illa satis ampliter tractavimus. Veruntamen, ut præsentis methodi partes impleantur, de eadem re iterum, sed breviter, disseremus.

Causa *sensionis* est externum corpus sive *objectum*, quod premit uniuscujusque organum proprium; vel immediate, ut in sensu *tactus* et *gustus*; vel mediate, ut in *visu*, *auditu*, *olfactu*; et premendo, mediantibus nervis et membranis, continuum efficit motum introrsum ad cerebrum, et inde ad cor: unde nascitur cordis resistentia, et

## CAP. I.

De sensu.

contrapressio seu ἀντίρροια, sive conatus cordis deliberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum. Atque apparitio hæc sive phantasma est id quod vocamus *sensionem*; et, quantum ad oculum, *lumen* dicitur vel *color*; quod attinet ad aurem, *sonus*; ad nares, *odor*; ad palatum, *sapor*; et ad reliquum corpus, *calor*, *frigus*, *durities*, *mollities*, et cætera pertinentia ad sensum *tactus*: quæ qualitates omnes nominari solent *sensibiles*, et sunt in ipso objecto nihil aliud præter materiæ motum, quo objectum in organa sensuum diversimode operatur, neque in nobis aliud sunt quam diversi motus. Motus enim nihil generat præter motum, et apparitiones illæ tum vigilantibus tum dormientibus mera sunt phantasmata. Præterea, ut pressio, frictus, pulsio oculi excitat phantasma lucidi, et pressio auris sonum, ita etiam objecta, quæ videmus vel audimus, eadem phantasmata generant per pressionem, sed inobservabilem. Nam si colores illi et soni in ipso objecto essent, separari ab illis non possent. Separantur autem, ut manifestum est in reflexionibus visibilium per specula, et audibilium per loca montana. Scimus autem corpus, quod videmus, in uno tantum loco esse, sed apparentias in plurimis. Quanquam autem aliquando in distantiis parvis ipsum objectum verum investitum videatur imagine sua, semper tamen aliud est objectum, aliud objecti imago. Sensio ergo et phantasma originale omnino idem sunt, facta, ut dixi, pressione oculi vel alius organi ab objecto externo.

Philosophi autem scholiastici, locis quibusdam freti Aristotelis, aliud docent, nempe, *species*, id

est apparitiones, *visibiles*, emissas ab objecto in oculum, efficere visionem; item *species*, id est apparitiones, *audibiles*, emissas ab objecto in aurem, causam esse auditionis; causam denique intelligendi esse quasdam *species*, id est apparitiones, *intelligibiles*, emissas a re intellecta. Non hoc dico ut scholarum philosophicarum usum improbens, sed, quia de earum in civitate usu inferius locuturus sum, ostendere etiam quæ in illis emendari debent, quorum unum est sermo insignificans, non putavi ne obiter quidem negligendum esse.

CAP. I.

De sensu.

## CAPUT II.

## DE IMAGINATIONE.

Id, quod omnino quiescit, nisi ab alio moveatur perpetuo quieturum esse, nemini puto dubium esse. Cæterum corpus, si moveatur, nisi motus ejus ab alio extingatur semper promotum iri, quanquam ratio utrobique eadem sit, nempe nihil posse movere seipsum, non tam facile concedi solet. Mensurant enim homines corpora omnia alia per sua, videntesque seipsos per motum dolori et lassitudini obnoxios esse, idem judicant de aliis motis omnibus; quasi defessa cuperent tandem sua sponte requiescere; neque considerant annon sit motus aliquis in quo consistit quietis desiderium. Atque hinc oritur doctrina illa scholarum, *descendere corpora gravia propter appetitum quiescendi et conservandi naturam suam in iis locis qui sibi maxime conveniunt*; appetitum et scientiam boni et mali sui, qua homines plerumque carent, rebus inanimatis imperite ascribentium.

## CAP. II.

De imaginatione.

Simul ac corpus movetur, movebitur, nisi aliud corpus obstet, in æternum. Neque id, quod obstat, motum hunc in instante, sed in tempore et gradatim extinguit. Sicut in mari videmus fieri, ut cessante vento non statim cessant fluctus, ita quoque in motu illo contingit, qui est in partibus internis hominis tunc cum videt, somniat, &c. Postquam enim objectum remotum est, vel oculus clausus, imaginem tamen rei visæ retinemus, quam aliquanto obscuriorem. Atque hæc est imago a qua facultatem appellamus *imaginationem*. Phantasiâ Græci et melius vocant, a quocunque sensu oriatur; imago autem propria est rerum visibilium. Imaginatio ergo nihil aliud est quam sensio deficiens sive phantasma dilutum et evanidum, et est hominibus cum animalibus cæteris fere omnibus communis, sive vigilant sive dormiunt.

Quod amoto objecto phantasma fit dilutius, causa non est debilitas aliqua motus facti in actu sentiendi, sed præoccupatio organorum ab objectis aliis; quemadmodum prædominans fulgor solis stellarum lumen obscurum facit; quæ tamen stellæ virtutem illam, qua videri se faciunt, non minus de die exercent quam noctu. Verum, quia inter multos et varios ictus, quos oculi, aures, et cætera sensuum organa ab externis agentibus de die patiuntur, solus ictus prædominans est sensibilis, lux solis prædominans causa est, quod a stellarum actionibus minus afficiamur. Amoto autem objecto, etsi remaneat quæ facta fuerat impressio, succedentibus tamen objectis et operantibus, præteriti imaginatio diluitur et obscuratur, sicut vox hominis a strepitu diei. Itaque quanto a visione vel sensione alicujus objecti longius est tempus,

tanto dilutior est *imaginatio* sive *phantasma*. CAP. II.  
 Etiam continua organorum corporis mutatio pro- De imaginatione.  
 grediente tempore partes aliquot, quæ in sensione  
 motæ erant, destruit; atque inde contingit eundem  
 in nobis effectum producere distantiam temporis et  
 distantiam loci. Sicut enim in magna loci dis-  
 tantia obscuriora apparent, quæ aspiciamus, et sine  
 minutiorum partium distinctione; et voces debi-  
 liores apparent et inarticulatæ: ita quoque post  
 magnam temporis distantiam imaginatio præteriti  
 debilior fit, perdimusque, exempli causa, earum  
 quas vidimus urbium multas plateas, et actionum  
 multas circumstantias. *Sensionis dilutionem* hanc,  
 rem ipsam indicaturi, nempe ipsum phantasma,  
 nominamus, ut ante dictum est, *imaginationem*;  
 quando autem significare volumus *dilutionem*, ap-  
 pellamus *memoriam*: adeo ut eadem sit res *imagi-  
 natio* et *memoria*, sed propter diversas considera-  
 tiones diversis nominibus significata.

Memoria multarum rerum *experientia* dicitur.  
 Porro, cum imaginatio earum rerum tantum sit,  
 quas ante, vel simul vel per partes, sensu perce-  
 perimus; imaginatio illa, quæ est simul totius  
 objecti, *imaginatio simplex* est, ut quando quis  
 imaginatur hominem vel equum, quem ante vide-  
 rat; imaginatio autem, quæ oritur ex sensione  
 plurium partium, ut quando a visione hominis uno  
 tempore, et a visione equi alio tempore, concipimus  
 animo centaurum, *composita* dicitur. Itaque quo-  
 ties quis componit phantasma suæ ipsius personæ  
 cum phantasmate actionum alterius hominis, ut  
 facit is qui seipsum imaginatur esse Herculem aut  
 Alexandrum, id quod illis aliquando accidit qui  
 multum versantur in lectione actionum heroicarum,

## CAP. II.

De imaginatione.

*imaginatio* illa *composita* est; et nihil aliud est præter figmentum animi. Multæ etiam aliæ imaginationes in hominibus, etiam vigilantibus, oriuntur a magna impressione facta sentiendo. Nam ab intento aspectu in solem relinquitur ante oculos longo post tempore imaguncula solis, quasi macula; et a longa et vehemente attentione ad figuras geometricas apparebunt, etiam in tenebris et vigilantibus, ante oculos lineæ angulique. Quod genus phantasiæ an nomen proprium habeat necne, nescio; cum sit res de qua homines non sæpe disserunt.

Imaginationes dormientium sunt *somnia*. Atque hæc quoque, sicut imaginationes cæteræ, ante extiterunt, vel integræ vel per partes, in sensu. Et quoniam in somno cerebrum et nervi, quæ sunt sensationis organa necessaria, ita stupefiunt, ut ab actione externorum objectorum moveri facile non possint, dormientibus contingere imaginatio nulla potest, adeoque somnium nullum, nisi quod procedat ab agitatione partium internarum corporis sentientis; quæ partes internæ, propter connexionem cum cerebro aliisque organis, intemperie sua aliquando commovent organa, faciuntque ut phantasmata ante facta appareant tanquam vigilantium. Sed quoniam organa sensuum occlusa nunc in somno supponuntur, ita ut objectum aliud novum non sit quod ea offuscare posset, necesse est ut *somnium* clarius sit in hoc sensuum silentio, quam sunt imaginationes vigilantium. Atque hinc est quod difficile sit, et multis videatur impossibile, inter sensum et somnium distinguere accurate. Ego, quoties considero quod in somniis neque sæpe neque constanter eadem objecta, loca, personas, actionesque imaginor, quæ vigilans; neque tam

longam seriem cogitationum cohærentium remi-  
niscor somnians, quam alias; et quoniam vigilans  
absurditatem somniorum meorum sæpe video,  
somnia autem cogitationum mearum vigilantis  
absurditates non video; satis persuasus sum vigi-  
lantem me scire quod non *somniem*, quanquam  
somnia videor mihi vigilare.

CAP. II.  
De imaginatione.

Quoniam autem somnia pro causa habent ali-  
quarum partium corporis internarum intemperiem,  
necesse est ut variæ intemperies varia efficiant  
somnia. Atque hinc est quod sæpe accidit, ut illi,  
qui cubantes algent, sæpissime in somniis timeant,  
videanturque sibi imagines videre terrificas; motus  
enim a cerebro ad partes alias corporis internas, et  
ab illis ad cerebrum, est reciprocus. Hinc etiam  
accidit, quod, sicut ira calorem efficit in partibus  
aliquibus corporis, dum vigilamus; ita etiam dum  
dormimus, nimius earundem partium calor efficiat  
iram, excitetque in cerebro phantasma alicujus  
hostis. Eodem modo, ut amor in vigilantibus  
amorem efficit, et calorem in partibus corporis  
aliquibus internis; ita etiam earundem partium  
calor in dormientibus imaginem efficit amoris.  
Somnia denique et vigilantium phantasmata altera  
alterius sunt inversa; nimirum, motu incipiente  
dum vigilamus ab uno termino, et ab altero dum  
somniaamus.

Inter somnium et cogitationes vigilantium dis-  
tinguere difficilimum tunc est, quando casu aliquo  
factum est ut minime animadvertamus nos dor-  
misse; id quod facile contingit illi, qui facinoris  
alicujus facti vel faciendi conscius et sollicitus dor-  
mit sine circumstantiis exuendi vestes, et eundi  
cubitum; ut qui in cathedra dormit sedens vel



## CAP. II.

De imaginatione.

reclinatus. Qui enim ad dormiendum se componit, si forte phantasma aliquod insolitum aut mirandum videri contingat, non aliud illi videri potest quam somnium. Marcum Brutum legimus, qui cum amicus fuisset Julii Cæsaris, et ab eo vitam condonatam accepisset, illum tamen ingrately occiderat, nocte illa, quæ præcessit diem in quo pugnatum est contra Augustum Cæsarem apud Philippos, phantasma habuisse horribile; quod ab historicis vulgo narratur ut visio vera; sed ab eo, qui consideraverit singulas ejus circumstantias, non visionem sed somnium fuisse breve judicabitur. Sedenti enim in tentorio, et propter horrorem facti sui temerarii tristi et cogitabundo, nec bene sopito sed dormitanti tantum propter aerem non satis calidum, somniare facilimum erat de ea re qua maxime terrebatur; et propter eundem terrorem paulatim rursus evigilare, et simul existimare spectrum illud, quod apparuerat, paulatim evanescere, et, quia dormiisse se nesciebat, nescire etiam fuisse somnium, aut aliud quicquam præter rem visam. Neque sunt hujusmodi accidentia valde rara; nam etiam qui perfecte vigilant, si meticulosi, superstitiosi, fabulis rerum terribilium occupati, et in tenebris soli sint, ejusdem generis imaginationibus obnoxii sunt, creduntque se umbras et mortuorum spiritus ambulantes videre in cœmeteriis; cum tamen revera nihil videant præter mera phantasmata, vel decepta sint ab hominibus improbis, qui timore eorum superstitioso abutuntur, eo fine ut possint ipsi, amicti vestibibus defunctorum, noctu per cœmeteria aliaque loca consecrata ad loca transire, quæ nimium a se frequenter adiri videretur inhonestum.

Ab ignorantione hac distinctionis somniorum aliorumque phantasmatum vividorum a visione et sensione, maxima ex parte orta est antiquorum Gentilium religio, satyras, faunos, nymphas, et similia colentium spectra; hodieque opinio, quam habent populi rudes, de lamiis et lemuribus, et de potentia sorcilegorum. Nam etsi sorcilegiam potentiam aliquam realem esse non putem, puto tamen sorcilegos puniri jure posse, cum mala facinora et facere posse credant, et conentur quantum possunt. Sed ipsum sorcilegium ego non tam potentiam veram esse credo, aut artem, aut scientiam, quam religionem ipsis peculiarem. Quod autem ad lemures et spiritus ambulantes attinet, opinio, quæ de illis hactenus valuit, de industria, puto, tradita fuit vel non confutata ad usum exorcismorum, et signationum signo crucis, et aquæ benedictæ, aliarumque similium inventionum hominum spiritualium sustinendum. Dubium tamen non est, quin phantasmata supernaturalia fieri possint a Deo; quod tamen id ita sæpe facit, ut timenda sint magis quam cessatio mutatiove naturæ, quam Deus etiam sistere vel mutare potest, fidei Christianæ articulus non est; sed homines improbi, ex eo quod Deus potest omnia, etiam omnia dicere audent quæ sibi utilia fore ducunt, etsi falsa esse putent. Sapientis autem est non ulterius illis credere, quam recta ratio ea, quæ dicunt, facit videri credibilia. Si metus hic spectrorum sublatus esset, simulque prognostica a somniis, aliaque multa, quæ inde dependent et quibus homines ambitiosi astutique populo simplici abutuntur, cives in omni civitate ad obedientiam multo magis eruditi essent, quam nunc sunt.

## CAP. III.

De imaginatione.

Est autem hoc scholarum opus, quæ tamen hujusmodi doctrinas sæpius promovent, quam confutant. Nescientes enim imaginationis et sensationis naturam, docent quæ didicerunt, alii imaginationes oriri a seipsis, id est sine causa, alii oriri plerumque a voluntate; cogitationesque bonas inspirari in hominem a Deo, et malas a Diabolo; vel cogitationes bonas infundi in hominem a Deo, malas a Diabolo. Dicunt alii, sensus, cum recipiunt rerum species, eas communi sensui tradere, communem sensum phantasiæ, phantasiam memoriæ, memoriæ judicio; multis verbis nihil intelligi facientes.

Imaginatio, quæ in homine aliove animali a sermone vel aliis signis voluntariis nascitur, appellatur *intellectus*; communisque est hominibus cum bestiis. Canis enim, consuetudine doctus, vocari se vel abigi a domino intelliget; quod facient etiam alia multa animalia. *Intellectus* qui homini peculiaris est, est *intellectus* non solum voluntatis, sed etiam conceptuum et cogitationum aliorum hominum, per sequelas et contextum appellationum rerum in affirmationes, negationes, aliasque formulas loquendi, *conceptio*. Atque de hoc genere *intellectus* dicemus infra.



## CAPUT III.

## DE CONSEQUENTIA SIVE SERIE IMAGINATIONUM.

PER seriem imaginationum intelligo successionem unius cogitationis ad aliam; quam, ut distinguatur a discursu verborum, appello *discursum mentalem*.

Quando aliquis de re quacunque cogitat, proxima

ejus cogitatio non tam fortuita est, quam videtur esse; neque omni cogitationi omnis cogitatio pariter succedit. Sed ut nullam habemus imaginationem, quæ non ante fuit in sensione vel tota vel per partes, ita nulla est transitio ab una cogitatione ad aliam cujus similis non extiterat ante in sensione. Cujus rei causa hæc est. Phantasmata omnia motus sunt interni, nempe motuum in sensione factorum reliquæ. Motus autem, qui alii aliis succedunt in sensione immediate, remanent etiam simul, etiam post sensionem. Adeo ut, quoties redit cogitatio prior prædominaturque, sequatur posterior propter cohæsionem materiæ motæ, quemadmodum aqua super tabulam planam et levem trahitur per viam qua ducit digitus. Sed quoniam eidem rei conceptæ sequitur modo una, modo alia res, post multa cogitata fit ut incertum sit quæ cogitatio cui cogitationi successura sit. Hoc tantum certum est, successuram esse aliquam earum, quæ ante successerant aliquando.

CAP. III.  
De consequen-  
tia sive serie  
imaginationum.

Series cogitationum sive discursus mentalis duplex est, altera *irregularis*, sine ullo fine proposito, adeoque inconstans, ut in qua nulla est passio quæ gubernet et dirigat cogitationes cæteras ad finem desideratum. Tunc autem vagari dicuntur, et videri aliæ ad alias non pertinere, ut in somnio. Tales plerumque sunt eorum cogitationes, qui sunt non solum sine comitatu, sed etiam sine omnium rerum sollicitudine; quanquam etiam tunc non cessant cogitationes, sed sine harmonia sunt, quales sunt pulsus lyræ homini imperito. Veruntamen in hac vagatione animi animadvertere aliquando possumus methodum quandam, et quo modo una cogitatio ab altera oriatur. Etenim in colloquio

## CAP. III.

De consequen-  
tia aive serie  
imaginationum.

quodam circa bellum nostrum civile, quid impertinentius videri poterat quam interrogare, ut interrogatum erat, denarii Romani quantus valor esset? Cohæsiō tamen illa satis mihi manifesta videbatur. Nam a cogitatione belli introducta est cogitatio de rege a subditis suis tradito hostibus; cogitatio illa cogitationem genuit de proditione Jesu Christi ad Judæos; illa rursus peperit cogitationem de trīginta denariis, proditionis illius pretio; inde denique facile sequuta est prædicta interrogatio. Atque hæc omnia, propter celeritatem cogitationis, in momento fere temporis.

Secunda constantior est, ut quæ ab aliquo fine desiderato *regulata* est. Nam impressio facta ab iis rebus, quas cupimus vel metuimus, vivida est et permanens, vel, si paulum forte cesset, cito redit; adeoque est aliquando fortis, ut somnum non modo impediatur, sed etiam abrumpatur. A desiderio oritur cogitatio mediæ ad rem desideratam obtinendam, quale medium videramus ante similem effectum produxisse. Eodem modo cogitatio mediæ ad finem producit cogitationem mediæ ad illud medium, et sic deinceps, donec veniatur ad principium aliquod in potestate nostra. Quoniam autem finis, propter magnitudinem impressionis, sæpe et facile recurrit animo, si cæperint forte cogitationes evagari, facile rursus in viam reducuntur. Cujus rei observatio fecit, ut septem sapientium celebrium unus præceptum daret, quod hodie tritum est, *respice finem*; per quod, in omnibus actionibus sæpius respectandum esse monet ad finem, ut ad id quod cogitationes omnes in via ad finem obtinendum dirigit.

Series cogitationum *regulata* etiam duplex est. Altera, quando alicujus effectus concepti causas et

media quærimus, quibus producitur. Atque hæc hominibus cum cæteris animalibus communis est. Altera est, quando, imaginati rem quamcunque, effectus omnes quærimus possibles qui inde produci possunt; id est, usum ejus quærimus, quis esse possit. Hujus generis cogitationis signum, præterquam in homine, nunquam vidi; curiositas enim hæc in naturam incidere vix potest animalis, cui nullæ insunt passiones præter sensuales, quales sunt fames, sitis, amor, et ira. Discursus denique animi, quando a designato fine aliquo regitur, nihil aliud est præter *investigationem*, sive facultatem *inveniendi*, quæ *sagacitas* quoque et *solertia* appellatur, et est quasi venatio quædam per sua vestigia alicujus causæ vel effectus præsentis aut præteriti. Investigat aliquis id quod perdidit? Ab eo loco et tempore, ubi id se perdidisse animadvertit, recurrit animo a loco ad locum et a tempore ad tempus, ut reperiat ubi et quando rem perditam habuerat, id est, ut tempus aliquod et locum certum et definitum reperiat, ubi investigationis statuere initium possit. Inde, rursus, cogitatione per eadem loca et tempora revertitur, ut actionem aliquam vel occasionem aliam inveniatur, quæ causa esse poterat ut rem quæsitam perdiderit. Atque hæc est facultas illa animi quæ vocatur *reminiscentia*.

Accidit aliquando, ut quis locum definitum habeat intra quem investigatio instituenda est. Tunc autem cogitationes ejus partes omnes illius loci determinati percurrunt, eo modo ut si quis cubiculum everreret, ut perditam inveniret gemmam; vel quemadmodum canis venaticus campum pervagatur, donec feræ alicujus odorem sentiat; vel ut qui

## CAP. III.

De consequentia  
sive serie imagi-  
nationum.

CAP. III. percurrit animo alphabetum, ut syllabam finalem inveniat homophonam.

De consequentia  
sive serie imagi-  
nationum.

Scire quis cupit actionis alicujus futurum eventum? Cogitat ille præteritæ actionis similes eventus, ordine quo illos ante viderat; quia similes actiones similes eventus plerumque consequuntur. Ut qui scire vult quid reo criminis capitalis eventurum est, reminiscitur ea quæ consecuta sunt ante in pari crimine, tali ordine cogitationum, crimen, minister, carcer, judex, patibulum. Genus hoc cogitationum *prævisio* dicitur, et *prudencia*, et *providencia*, et quandoque *sapientia*; quanquam *conjectura* tantum sit, et, propter difficultatem circumstantias omnes observandi, satis fallax. Hoc tamen dubium non est, quin, quanto alius alio majorem habet rerum præteritarum experientiam, tanto magis sit prudens, et ab expectatione sua rarius decipiatur. *Præsentia* tantum existunt in rerum natura; *præterita* in memoria sola; sed *futura* omnino non existunt, ut quæ nihil aliud sunt, præter figmenta animi, consequentias actionis præteritæ ad actionem *præsentem* applicantis; id quod fit maxima certitudine ab eo, cujus maxima est experientia, quanquam certitudine non plena. Etsi autem, quoties expectationi respondent eventus, vocetur *prudencia*; revera tamen *præsumptio* tantum est. Prævisio enim rerum futurarum, quæ est providencia, ad illum solum pertinet, cujus consilio futuræ sunt. Et ab illo solo, et supernaturaliter, proficiscitur prophetia. Alioqui optimus convector, optimus est propheta; optimus autem convector is est, qui maxime versatus est in illis rebus, de quibus conjecturam facit; is enim plura habet conjicienda *signa*.

*Signum est antecedenti eventui eventus consequens, et contra, consequenti antecedens, quando similes consequentiæ observatæ ante fuerint: et quanto sæpius observatum est, tanto signum minus est incertum. Itaque is, qui in quolibet genere negotii maximam habet experientiam, plurima habet signa quibus possit de futuro tempore conjecturam facere, et per consequens est prudentissimus; et tanto prudentior est, quam qui ad negotium idem novus accedit, ut nulla naturalis et extemporarii ingenii ope hic illi æquari possit; quanquam forte multi sint juvenes qui hoc concessuri non sint.*

CAP. III.  
De consequentiæ  
sive serie imagi-  
nationum.

Quod autem inter hominem et brutum differentiam facit essentialem, *prudentia* non est. Sunt enim animalia alia quæ earum rerum, quæ ad finem suum conducunt, plura observant et prudentius persequuntur, unicum annum nata, quam puer decennis.

Sicut prudentia est præsumptio futuri, contracta a præteriti temporis experientia: ita etiam alia est præsumptio quædam rerum præteritarum, sumpta a rebus aliis, non futuris, sed præteritis. Nam qui vidit quibus moribus et gradibus civitas aliqua inciderit in bellum civile, et quomodo inde profligata fuerit; si viderit alterius cujuscunque civitatis ruinas, conjecturam faciet similes mores et bellum simile illic quoque præcessisse. Sed conjectura hæc eandem habet incertitudinem, quam conjectura temporis futuri.

Humani animi actus alius nullus est, quod sciam, naturaliter insitus, talis ut ad exercitium ejus nulla alia re indigeat, præterquam nasci hominem, et usum habere quinque ejus sensuum. Facultates illæ, de quibus paulo post sermo erit, quæque



## CAP. III.

De consequentia  
sive serie imagi-  
nationum.

hominis videntur propriæ, acquisitæ sunt, et studio industriaque auctæ, habentes initium in instructione et disciplina, procedentesque ab inventione vocabulorum et sermonis. Nam præter sensum et imaginationem et cogitationum seriem, humano animo nullus alius inest motus; quanquam sermonis et ordinis beneficio eædem facultates promoveri in tantum possunt, ut per eas homo a cæteris animalibus omnibus distingui possit.

Quicquid imaginamur, *finitum* est. Nulla ergo est idea neque conceptus qui oriri potest a voce hac, *infinitem*. Animus humanus imaginem infinitæ magnitudinis capere non potest; neque concipere infinitam velocitatem, infinitam vim, infinitum tempus, aut infinitam potentiam. Quando dicimus rem aliquam esse *infinitem*, hoc tantum significamus, non posse nos illius rei terminos et limites concipere, neque aliud concipere præter nostram impotentiam propriam. Itaque nomen Dei non usurpatur, ut illum concipiamus; est enim incomprehensibilis, et magnitudo potentiaque ejus inconceptibilis; sed ut honoremus. Et quoniam quicquid, ut dixi supra, concipimus, perceptum est ante in sensione, nulla inesse homini potest imaginatio rei, quæ non sit percipienda sensibus. Nemo itaque concipere aliquid potest, nisi ut in loco, et finita aliqua magnitudine præditum, et divisibile in partes; neque aliquid esse totum in uno loco et totum in altero, tempore eodem; neque duas vel plures res eodem tempore esse posse in eodem loco. Nihil enim horum fuit aut esse potuit in sensione; sed sunt orationes insignificantes, admissæ propter auctoritatem quorundam philosophorum errantium, vel scholasticorum fallentium.

## CAPUT IV.

## DE SERMONE.

INVENTIO *artis typographicæ*, quanquam ingeniosa, collata tamen cum inventione *literarum* non magna res est. Literas autem quis invenit ignoratur. Qui primus illas intulit in Græciam, Cadmum esse ferunt, filium Agenoris regis Phœniciæ. Excogitatum ad perpetuationem memoriæ temporis præteriti et ad conjunctionem generis humani, in tot et tam distantes orbis terrarum regiones dispersi, utilissimum; idemque simul difficillimum, utpote profectum ab observatione diligentissima motuum linguæ, palati, laborum, aliorumque loquendi organorum, ita ut totidem essent characterum differentiæ, quibus distinguerentur. Nobilissima autem et omnium utilissima fuit inventio *sermonis*, ex *nominibus* sive *appellationibus* et eorum connexionem consistentis, quibus cogitata hominum conscribi, revocari in memoriam, et ab uno ad alium patefieri possunt, ad eorum conversationem et utilitatem mutuam. Nam absque eo non fuisset inter homines neque respublica, neque societas, neque pactum, neque pax, magis quam inter leones, ursos, et lupos. *Sermonis* author primus fuit Adam, qui creaturas, quas ad conspectum ejus adduxit Deus, *nominavit*. Hactenus tantum de ea re Scriptura Sacra; sed sufficebat hoc pro illo tempore. Nam eodem modo rebus aliis alia nomina imponere, prout experientia et creaturarum usus postularet, potuit, eaque paulatim ita connectere, ut intelligeretur; atque hoc modo

CAP. IV.

De sermone.

## CAP. IV.

De sermone.

succedente tempore tanta *sermonis* copia acquiri potuit, quanta indigeret; quanquam non tanta, quanta oratori vel philosopho opus esset. Non enim invenio in Scripturis Sacris ex quo directe vel per consequentiam colligi potest imposuisse Adamum varietati omni figurarum, numerorum, mensurarum, colorum, sonorum, cogitationum, relationum nomina; multo minus imposuisse illum nomina nominibus et orationibus, qualia sunt *generale, speciale, affirmativum, negativum, interrogativum, optativum, infinitivum*, quæ omnia sunt utilia; minime autem omnium *entitatem, intentionalitem, quidditatem*, aliaque verba scholastica insignificantia.

Veruntamen copia hæc omnis, sive acquisita sive aucta ab Adamo et posteris ejus, interit penitus ad turrem Babel, quo tempore Deus omnem hominem sermonis sui, propter rebellionem, oblivione percussit. Itaque dispergere se coactis in diversas mundi partes, necessarium erat, ut linguarum varietas, quæ nunc est, gradatim ab illis processerit, prout necessitas, inventionum omnium mater, illos docuerat; itaque tractu temporis lingua unaquæque in majorem copiam verborum aucta est.

Sermonis usus generalissimus, est conversio discursus mentalis in verbalem, sive seriei cogitationum nostrarum in seriem verborum: idque ad duos fines: quorum alter est conscriptio cogitationum; quæ cum e memoria elabi aptæ sint, per verba illa, quibus conscribuntur, revocari possint. Primus ergo usus nominum est, ut sint pro *notis* ad memoriam. Alter est, postquam multi eundem calluerint sermonem, ut ordine et connexionem sua

possint alter alteri quid concipiunt et de unaquaque re cogitant, quidque etiam cupiunt, metuunt, &c., significare. Propter hunc usum vocantur *signa*. Usus sermonis speciales sunt hi, primo, quas cogitando rerum præteritarum vel præsentium causas esse reperimus, vel quæ a rebus præsentibus vel præteritis produci possunt, conscribere; namque hinc oriuntur artes. Secundo, ut ostendamus aliis scientiam a nobis acquisitam, consulendo et docendo. Tertio, ut patefaciamus alii aliis consilia et voluntates nostras, quo mutuo possimus alii auxiliari. Quarto, sermone aliquando uti possumus ad delectationem vel ornamentum innocenter.

His usibus respondent totidem abusus. Primus est, quando homines cogitationes suas, propter inconstantiam significationis verborum suorum, perperam conscribunt; ut quando pro cogitato ponunt id quod non cogitant; atque ita seipsos fallunt. Secundus est, quando verbis utuntur metaphoricis, id est, alio sensu quam ad quem ordinata sunt; atque ita decipiunt alios. Tertius, quando voluntatem suam eam esse declarant verbis, quæ revera non est. Quartus, quando sermone utuntur ad lædendum proximum. Cætera animalia armavit natura alia dentibus, alia cornibus; hominem autem manibus, ut quando opus est lædant hostem. Sed lingua lædere sermonis abusus est, nisi quando aliquem regere obligamur. Id vero *lædere* non est, sed corrigere et emendare.

Modus quo sermo inservit memoriæ consequentiarum, consistit in nominum impositione et connexionem.

*Nominum* alia sunt *propria*, significantia rem

## CAP. IV.

De sermone.

unam singularem ; ut *Petrus, Johannes, hic homo, hæc arbor*. Alia autem multis rebus sunt *communia* ; ut *homo, equus, arbor* : nam unumquodque eorum, etsi unicum sit, multarum tamen rerum particularium nomen est. Respectu autem omnium illorum particularium, vocatur *universale*. Nihil enim in rerum natura universale est præter rerum vocabula ; nam res nominatæ sunt omnes individuæ et singulares.

Pluribus rebus nomen universale impositum unicum est, propter alicujus qualitatis vel accidentis similitudinem. Itaque, ut nomen proprium revocat ad animum rem unam certam, nomen universale revocat rem ex multis unam quamcunque.

Nominum autem universalium, alia amplioris, alia strictioris significationis sunt, ita ut nomen amplius nomen strictius contineat. Alia, rursus, sunt amplitudinis æqualis, et comprehendunt se mutuo. Exempli causa, nomen *corpus* comprehendit nomen *hominem*, et præterea aliquid ; nomina autem *homo* et *rationale* æqualia sunt, comprehendunt se mutuo. Sed notandum hic est, quod per nomen non semper intelligimus vocabulum unicum, ut grammatici, sed aliquando per circumlocutionem multis vocabulis nomen unum ; ut verba hæc, *qui consulta patrum, qui leges juraque servat*, unicum nomen est, et nomini *justo* æquivalens.

Per impositionem hanc nominum amplioris et strictioris significationis, computationem consequentiarum in cogitationibus convertimus in computationem consequentiarum in nominibus. Exempli causa, is qui omni sermonis usu caret, qualis est qui mutus et surdus natus est, si positum ante

oculos triangulum viderit, et juxta triangulum duos angulos rectos, quales sunt anguli figuræ quadratæ, potest tamen, meditatione contemplando comparandoque, invenire tres illius trianguli angulos æquales esse duobus illis angulis rectis juxta positus. Ille autem, qui sermone præditus est, cum animadverterit æqualitatem illam consequentem esse, non longitudini laterum neque cuiquam rei speciali in triangulo, sed huic tantum, quod latera sunt recta, et anguli tres, propter quod figuræ nomen inditum est trianguli, universaliter audacterque pronuntiabit, *trianguli angulos tres æquales esse duobus rectis*. Atque hoc modo consequentia inventa in re singulari conscribitur ad memoriam ut regula universalis, computationemque mentalem omni loci et temporis consideratione exonerat; atque animum omni labore liberat præter primum; facitque ut quod verum inventum est *hic* et *nunc*, pro vero *omni alio tempore* et *loco* agnoscat.

Verborum autem usus in cogitationibus conscribendis nusquam ita manifestus est, ut in numeris. Stultus enim naturalis, qui ordinem verborum numeralium, *unum, duo, tria*, etc., memoriter pronuntiare non potest, observare tamen potest singulos ordine ictus horologii, et annuens dicere, *unum, unum, unum*; sed quota hora sonuit scire non potest. Videtur autem fuisse aliquando tempus in quo nomina numeralia pauca extabant, cogebanturque homines, quando numerarent, numerata digitis, primo unius manus, deinde ambarum applicare; atque inde natum esse, ut verba numeralia in omni fere gente non excederent denarium; et in aliquibus plura non essent quam quinque, et a

CAP. IV.  
De sermone.

quinto eadem repeterent. Etiam is, qui decem verba habet numeralia, nisi ordine ea recitet, numerare usque ad decem non potest; multo minus *addere, subtrahere*, et cæteras perficere operationes arithmeticas. Itaque absque verborum usu numerorum computatio est impossibilis; multo magis magnitudinum, graduum velocitatis, virium, aliarumque rerum, quarum computationes ad generis humani necessitatem vel adjumentum necessariæ sunt.

Quando duo nomina conjunguntur ut fiat affirmatio vel consequentia, ut cum dicimus, *homo est animal*, vel sic, *si est homo tum est animal*, et nomen posterius *animal* significat omnia quæ significat prius nomen *homo*, affirmatio illa sive consequentia *vera* est, alioqui *falsa*. Nam *verum* et *falsum* attributa sunt non rerum sed orationis. Ubi autem oratio non est, ibi neque verum est neque falsum; quanquam error esse potest, ut quando expectamus id quod non erit, vel suspicamur quod non fuit; sed falsi accusari non potest.

Quoniam ergo in ordinatione recta nominum, quando aliquid affirmamus, consistit veritas, is qui veritatem accuratam quærit, meminisse debet, quid in quoque loco unumquodque nomen valet, et nomina, quibus utitur, recte collocare. Alioqui enim impeditum se inveniet verborum tricis, sicut avicula inviscata, quæ quanto magis liberare se certat, tanto magis inviscatur. Itaque in geometria, quæ sola fere est scientia accurata, incipere magistri solent a constitutione significationum nominum quibus usuri sunt, id est, a definitionibus, et in principio operis illas collocare.

Atque hinc apparet, quam sit illi opus, qui ad

scientiam veram tendit, authorum antiquiorum *definitiones* examinare, negligentiusque scriptas corrigere, vel sibi ipsi novas constituere. Prout enim in unaquaque scientia procedit computatio, multiplicantur etiam qui in definitionibus sunt errores; unde paulatim ducuntur lectores in conclusiones absurdas; quas etsi tandem videant, extricare tamen se non possunt, nisi denuo ab initio computare incipiant, in quo initio eorum errores fundati erant. Illi ergo, qui authoribus aliis nimium credunt, idem faciunt, quod qui multas summas minores in majorem colligunt, summulis illis non ante recte examinatis, et perspecto tandem errore, nec suspectis magistrorum principiis, expedire se non possunt; sed tempus consumunt librorum folia motitantes, quemadmodum faciunt aviculæ, quæ postquam in cubiculum aliquod intraverint per caminum, inclusasque se viderint, ad fenestræ vitræ lumen falsum motitando alas, oblitæ qua via ingressæ sint, laborant frustra. Primus ergo sermonis usus, quæ acquisitio est scientiarum, consistit in recta nominum definitione, primusque abusus in definitione falsa vel nulla; atque inde procedunt falsæ et absurdæ philosophorum opiniones, quæ illos, qui instructionem non a propria meditatione sed ab authoritate librorum accipiunt, tanto hominum ignorantium conditione inferiores reddunt, quanto homines, vera scientia præditi, eadem conditione superiores sunt. Nam inter veram scientiam et doctrinam erroneam, ignorantia in mediò est. Sensus et imaginatio naturales absurditatibus obnoxia non sunt. Natura ipsa errare non potest. Quanto autem quis sermonis copia abundat magis, tanto aut sapientior vel stultior est quam vulgus. Neque sine literis



## CAP. IV.

De sermone.

fieri solent homines insigniter sapientes, neque, nisi cui forte morbo vel prava constitutione organorum animus læsus sit, insigniter stulti. Vocabula enim sapientium quidem calculi sunt quibus computant; stultorum autem nummi, æstimati impressione aliqujus nomine celebri, ut Aristotelis vel Ciceronis vel Aquinatis, aliisque doctoris cujuscunque humani.

*Res nominata* est, quæcunque cogitari vel in ratiocinatione considerari potest, sive alteri addi ad conficiendam summam, vel alteri substrahi. Latini *rationes* vocant libellos pecuniæ computatæ, et computationem ipsam *ratiocinationem*, et id, quod nos in rationibus appellamus *item*, illi *nomen* vocant. Atque inde vox *ratio* extensa est ad facultatem computandi in rebus cæteris. Græcis vocabulum unum λόγος significat et sermonem et rationem; non eo, quod putarent nullum esse sermonem sine ratione, sed nullam rationem sine sermone. Actum autem ratiocinandi dixerunt syllogismum, quæ vox significat consequentiæ dicti unius ad alterum conjunctionem. Sed quia eadem res in rationes inferuntur propter diversa accidentia, earum nomina, ad diversitatem illam significandam, diversimodo variari et torqueri solent.

Diversitas autem nominum ad quatuor capita generalia reduci potest.

Primo, res aliqua in rationes ingredi potest ut materia sive corpus, sub nomine *viventis, sensibilis, rationalis, calidi, frigidi, moti, quiescentis*; quæ nomina significant materiam sive corpus.

Secundo, res aliqua intrare in rationes potest propter accidens vel qualitatem, quam illi rei inesse cogitamus; ut quia *movetur*, vel *quantitatem habet*, vel quia *calet*, etc. Tum vero nomen ipsius rei

mutamus aliquantulum, et loco *viventis* ponimus *vitam*; loco *moti corporis* ponimus *motum*; loco *calidi, calorem*; loco *longi, longitudinem*; et similiter in cæteris. Quo facto, nomina illa non sunt nomina materiæ sive corporis, sed accidentium et proprietatum quibus corpus a corpore distinguitur. Appellantur autem hujusmodi nomina *abstracta*, non quod abstrahantur a materia, sed a materiæ computatione.

CAP. IV.  
De sermone.

Tertio, in rationes inferimus proprietates illas quibus ipsi res distinguimus: sicut quando *videmus* aliquid, non computamus semper rem *visam*, sed *visionem, colorem*, sive *ideam* sive rei visæ *phantasma*: similiter quando *audimus*, pro re ipsa, quæ sonum facit, *sonum* sive *auditionem* tantum consideramus. Et sic de cæteris phantasmatibus.

Quarto, in rationes inferimus quandoque nomina ipsorum nominum et sermonum, dicentes, *generale, universale, speciale, univocum, æquivocum*, quæ sunt nomina nominum. Item *affirmationem, interrogationem, præceptum, narrationem, syllogismum, orationem*, aliaque ejusmodi multa, quæ sunt nomina orationum. Atque hæc varietas omnis est nominum *positivorum* significantium aliquid eorum quæ sunt in natura rerum, vel eorum quæ animo possunt fingi, ut corpora quæ sunt vel esse videri possunt, vel ut proprietates corporum quæ sunt vel esse videri possunt; vel verba et sermones.

Sunt et alia nomina *negativa*, quæ significant nomen aliquod nomen rei propositæ non esse; qualia sunt *nihil, nemo, infinitum, indocile, tria minus quatuor*, et similia; quæ tamen in rationibus usum suum habent, vel in corrigendo vel revocando; quia faciunt ut nomina non recte imposita vel usurpata recusemus.

## CAP. IV.

De sermone.

Cætera nomina omnia soni sunt sine significatione; et duorum generum; alterum, quæ nova sunt, nec tamen definitione explicata; qualia a laborantibus philosophis et scholasticis excogitata sunt; alterum est, quando nomen aliquod a duobus nominibus componitur, quorum significationes sunt inconsistentes; ut nomen hoc, *corpus incorporeum*, vel quod idem est, *substantia incorporea*; aliaque similia. Quandocunque enim affirmatio aliqua falsa est, ex duobus nominibus, quibus constat, si fiat nomen unum, illud erit insignificans; exempli causa, si falsum sit dicere, *quadratum est rotundum*, nomen illud, *quadratum rotundum*, sonus merus est, nihil significans. Similiter, si falsum sit dicere virtutem *fundi* vel *flari* posse, verba hæc *infusa virtus*, *inflata virtus*, nomina sunt insignificantia. Itaque in verbum absurdum et insignificans non facile inciditur, quod non compositum sit a nominibus quæ intelligi a vulgo hominum non possunt.

Quando cogitatio alicujus rei oritur a sermone audito et, ut oportuit, ordinato, tunc qui audit verba illa dicitur *intelligere*; intellectus enim aliud non est præter conceptum natum a sermone. Itaque si sermo homini peculiaris sit, ut videtur esse, etiam homini soli proprius intellectus est. Unde sequitur affirmationes falsas, easdemque *universales*, intelligi non posse; quanquam nonnulli sunt qui putant se intelligere tunc quando verba audita tacite apud se animo recitant.

Quæ orationum genera significant appetitum, aversionem, cæterasque animi humani passiones, quisque sit eorum usus et abusus, tunc dicam, quando dicam de passionibus.

Nomina rerum quæ placent, quia non omnibus

similiter placent res eadem, neque eidem homini idem omni tempore, inconstantis sunt significationis. Cum enim nomina omnia ad conceptus significandos imposita fuerint, necesse est cum easdem res non similiter sentiamus, ut easdem etiam sæpenumero dissimiliter nominemus. Etsi rei conceptæ natura non mutetur, diversitas tamen receptionis, orta a diversitate naturarum individuarum et a præjudiciis opinionum, facit ut unusquisque nomina illis imponat propria sua affectione aliquatenus tincta. Quamobrem in omni ratiocinatione cautela opus est, ne præter significationem ipsius rei admittamus etiam aliquid de natura, ingenio, et affectibus hominis qui loquitur. Nomina autem hujusmodi plerumque sunt virtutum et vitiorum nomina. Nam quam alius *prudentiam*, alius vocat *metum*; quam alius *crudelitatem*, alius vocat *justitiam*; quam hic *proluvium*, ille *magnificentiam* appellat; quæ huic *gravitas*, alteri videtur *stupor*, etc. Itaque ex hujusmodi nominibus principia ratiocinandi constitui non possunt. Neque ex metaphoris, aliisque orationis tropis. Sed minus sunt hæc periculosa, quia inconstantiam suam profitentur.

CAP. IV.

De sermone.

---



---

## CAPUT V.

## DE RATIONE ET SCIENTIA.

QUI *ratiocinatur*, vel totum quærit additione partium; vel residuum, subtractione partis a parte: id quod, si verbis fiat, nihil aliud est, præter conceptionem consequentiæ nominis partis ad nomen

## CAP. V.

De ratione  
et scientia.

totius, vel nominum totius et partis ad nomen partis reliquæ. Quanquam autem in rebus quibusdam, ut in numeris, aliæ sint operationes præter additionem et subtractionem, ut multiplicatio et divisio, in idem tamen recidunt; nam multiplicatio est æqualium inter se additio, et divisio aliud non est quam ejusdem rei, quoties possumus, subtractio. Neque numeris solis operationes illæ conveniunt, sed omni rerum generi, quarum una alteri addi vel auferri potest. Sicut enim arithmetici addere et subtrahere solent in numeris: ita geometræ facere idem docent in *lineis, figuris, angulis, proportionibus, temporibus, gradibus velocitatis, virium, potentia*, et cæteris. Idem etiam logici faciunt in *consequentibus verborum*, addentes duo nomina ad faciendam propositionem, et duas propositiones ad faciendum syllogismum, et plures syllogismos ad faciendam demonstrationem; et a summa sive conclusione syllogismi subtrahunt unam propositionem ad inveniendam alteram. Etiam scriptores politici addunt simul plura pacta ad inveniendum hominis officium; et jurisconsulti addunt simul leges et facta ad inveniendum quid sit in actionibus hominum privatorum jus et injuria. Ubicunque locus est *additioni* et *subtractioni*, ibi etiam locus est *rationi*; et ubi illis locus non est, ibi neque rationi locus est.

Ex iis, quæ dicta sunt, *rationem* definire, id est vocis ejus, quatenus sumitur pro facultate animi, significationem determinare possumus. Ratio enim, hoc sensu, nihil aliud est præter *computationem* sive additionem et subtractionem nominum generalium, quæ ad notationem sive significationem cogitationum nostrarum recipiuntur. *Notationem*,

inquam, quando computamus soli; *significationem*, quando aliis computationem nostram demonstramus.

CAP. V.

De ratione  
et scientiâ.

Sicut autem in arithmetica imperiti sæpe professores aliquando falso computant; ita etiam in rationibus aliarum rerum, peritissimi versatissimi attentissimique falli possunt, et falsas inferre conclusiones; non quod ratio non sit ipsa semper recta ratio, æque ut arithmetica certa est ars; sed quod nullius unius ratio, neque vero plurium, faciat certitudinem, magis quam computatio aliqua recta numerorum recte facta est, ideo quia consensu multorum est approbata. Quoties igitur in computatione sive ratiocinatione oritur controversia, illi, quibus controversia est, pro recta ratione arbitri alicujus vel judicis rationem constituere debent voluntarie, qua uterque obligandus sit; alioqui controversia eorum aut non omnino, aut armis dijudicanda est, defectu rectæ rationis a natura constitutæ. Idem contingit in omni genere certaminis. Quando enim homines arrogantes sapientiores se cæteris omnibus esse credunt, clamantesque pro iudice rectam rationem postulant, nihil aliud quærunt, quam ut res sua ipsorum ratione iudicetur; id quod in societate humana intolerabile æque est, ac si quis, ludens cartis, pro carta dominante uti vellet ea, cujus haberet ipse maximum numerum. Quid enim aliud faciunt, qui suas quasque dominantes passiones pro recta ratione valere certant, etiam in suis ipsorum litibus, defectum rectæ rationis ipsa postulatione ostendentes?

Usus scopusque rationis non est unius vel paucarum consequentiarum, a primis nominum definitionibus remotarum, inventio. Ratio a primis

## CAP. V.

De ratione  
et scientia.

incipit definitionibus, inde ad plurium definitionum consequentiam aliquam procedit, et inde ad aliam. Nam conclusionis ultimæ certitudo nulla est sine certitudine affirmationum et negationum a quibus composita et illata est. Sicut enim paterfamilias villici sui rationes inspiciens, summularum singulorum generum summas in unam totalem colligit, nec an illæ summulæ recte confecte ab iis sint, qui rationem reddituri sunt, examinat, nihilo plus proficit, quam si peritiæ probitæque villici sui fidens, rationes omnino non requireret: eodem modo, in rationibus quarumcunque rerum, qui illas admittit authorum aliorum fide, nec a nominibus singulis ipse deducit, ille operam ludit, nil *sciens*, sed tantum *credens*.

Quando aliquis ratiocinatur sine usu verborum, quod fieri potest in nominibus individuis; ut quando rem aliquam videntes conjicimus quid præcessisse vel secuturum esse verisimile sit; si id quod verisimile est neque præcessit neque sequitur, id in ratiocinante appellatur *error*. Errori autem obnoxii sunt homines etiam prudentissimi. Sed quando in verbis ratiocinamur universalibus, si incidamus in conclusionem universalem eamque falsam, etsi vulgo *error* appelletur, revera tamen est *absurditas*, id est oratio insignificans. Est enim error deceptio præsumptis tantum de præterito vel futuro, quæ etsi vera non erat, non tamen visa est impossibilis. Verum quando conclusio universalis est, nisi et vera sit, conceptibilis non est. Verba autem, quibus nihil concipimus præter sonum, insignificantia dici solent et absurda; qualia sunt, *quadratum est rotundum; substantiæ sunt immateriales; subditus est liber*.

Quod si quem ita loquentem sentirem, non illum *errasse*, sed *absurde* locutum esse dicerem.

CAP. V.

De ratione  
et scientia.

Hominem cæteris animalibus præstare dixi ante, eo quod cum de re quacunque cogitaverit, in ejus rei consequentias inquirere et quomodo ea re uti potest, aptus natus sit. Ejusdem præstantiæ gradum alium hic addo, quod per consequentias verborum reperire potest regulas generales, quæ *theoremata* et *aphorismi* vocari solent; id est, computare potest non solum in numeris, sed etiam in rebus aliis omnibus, quarum una alteri addi vel auferri potest.

Sed privilegium hoc ab alio quodam temperatur. Solius enim hominis privilegium est *absurditas*, cui alia creatura nulla est obnoxia. Hominum autem maxime obnoxii sunt illi qui vocari solent philosophi. Id enim dictum est a Cicerone verissime, nihil tam esse posse absurdum, quin inveniri possit in libris philosophorum. Cujus rei ratio manifesta est. Eorum enim nemo est, qui ratiocinationes suas a definitionibus ordiatur, sive explanationibus nominum quibus usuri sunt. Methodus enim hæc geometrarum peculiaris est.

Conclusionum absurditas in cæteris scientiis defectui methodi imputanda est; propterea quod ratiocinationes suas non incipiunt a definitionibus nominum. Quasi numerare vellent, antequam numeralium nominum valorem intelligerent. Atque hæc causa generalis est. Quoniam autem corpora in rationes propter varias considerationes, sicut in præcedente capite dictum est, inferuntur; multæ absurditates procedunt a defectu distinctionis inter considerationes illas; unde fit ut nomina in propositiones perperam connectantur.



## CAP. V.

De ratione  
et scientia.

Ut primo, cum nomina corporum indunt accidentibus, vel nomina accidentium corporibus; quemadmodum faciunt qui dicunt, *fidem esse infusam*, vel *inspiratam*; cum nihil neque *fusile* sit neque *spirabile* præter *corpus*; et quemadmodum faciunt illi qui *extensionem* dicunt esse *corpus*, et *phantasma* esse *spiritum*, etc.

Secundo, quando nomina accidentium quæ sunt in corporibus *extra nos*, accidentibus tribuunt corporum *nostrorum*. Quod faciunt qui dicunt *colorem esse in objecto*; *sonum esse in aere*, etc.

Tertio, cum corporum nomina *nominibus* tribuunt vel *orationibus*; ut qui dicunt esse *res universales*, vel *animal esse genus*.

Quarto, cum nomina accidentium imponunt *nominibus* et *orationibus*; ut qui dicunt *definitionem esse rei naturam*, vel *mandatum cujuspiam ipsius esse voluntatem*.

Quinto, quando utuntur loco verborum propriorum, metaphoris, aliisque tropis orationis. Quanquam enim liceat, exempli causa, cum vulgo dicere, *via huc* vel *illuc tendit* vel *ducit*; *proverbium hoc* vel *illud dicit*; inter ratiocinandum tamen hujusmodi orationes, ab iis qui veritati student, admittendæ non sunt.

Sexto, quando *nominibus* temere receptis nec quicquam significantibus utuntur, quales sunt *transubstantiatio*, *consubstantiatio*, *nunc stans*, similesque voces scholasticorum.

Qui scopulos vitare hos potest, haud facile incidet in absurdum, nisi forte in ratiocinatione longa. Oblivisci enim potest alicujus propositionis quam præmiserat. Naturaliter enim homines bene et similiter ratiocinantur, si a veris et perspicuis prin-

cipiis ordiantur. Vix enim invenies hominem adeo stupidum, quin si in geometria erraverit erroremque ejus ipsi ostenderit alius, errorem suum illico agnoscet.

CAP. V.

De ratione  
et scientia.

Apparet hinc rationem non esse, sicut sensus et memoria, nobiscum natam; neque sola, ut prudentia, experientia acquisitam, sed industria; scilicet apta in primis impositione nominum; deinde methodo recta procedendo a nominibus ad propositiones, et a propositionibus ad syllogismos, donec veniatur ad cognitionem consequentiarum nominum omnium quæ ad scientiam pertinent. Sensus et memoria, facti tantum cognitio est; *scientia* autem cognitio est consequentiarum unius facti ad alterum. Per eam autem aliquis, ex eo quod nunc facere potest, docetur aliquid aliud simile facere, si velit, alio tempore. Quia quoties videmus effectum ortum et causas, et quomodo generantur, docemur, quoties in nostra potestate sunt, causas similes similes producere effectus.

Infantes igitur actum rationis, antequam sermonis usum acquisierint, non habent; vocantur autem animalia rationalia propter potestatem tantum. Plerique autem homines, etsi aliquosque ratio cinari possunt, ut forte in numeris; non tamen multum inde adjumenti accipiunt ad vitam communem; in qua seipsos regunt alii melius, alii pejus, prout experientia memoria vel appetitu inter se differunt; maxime autem fortuna bona vel adversa, et unus alterius erroribus gubernantur. Quod enim ad *scientiam* attinet et actionum suarum regulas certas, ita ab ea longe absunt, ut quid sit præter suas ipsorum cupiditates vitæ regula, non intelligant. Geometriam aliqui pro arte ma-

## CAP. V.

De ratione  
et scientia.

gica habuerunt. Quod autem attinet ad scientias alias, illi qui non didicerunt principia ejus, nec tantum in illis progressum fecerunt, ut viderint quomodo generatæ et acquisitæ fuerint, ita ad eas se habent ut pueri ad cognitionem generationis; qui fratres suos et sorores non natos, sed in horto repertos esse, credunt mulieribus.

Veruntamen, qui sine omni sunt scientia, sola prudentia naturali nobiliore conditione sunt, quam illi qui ratiocinando male, vel male ratiocinantibus credendo, incidunt in regulas generales falsas et absurdas. Causarum enim et regularum ignoratio non tantos errores generat, quantos regulæ et causæ falsæ.

Animi humani lux est oratio perspicua, justis definitionibus ante emuncta, ambiguitatibusque purgata. Ratio est *gressus*; methodus ad *scientiam via* est; scientiæ autem finis, *bonum humanum*. Metaphoræ autem et verba nihil significantia aut ambigua, sunt *ignes fatui*; in quibus qui versatur, inter absurditates innumerabiles vagatur, quæ terminantur tandem in contentione, vel seditione, vel contemptu.

Sicut experientia multa fit *prudentia*; ita scientia multa *sapientia* est. Verum ut differentia quæ inter illas est, manifestius appareat, supponamus hominem aliquem qui habeat dexteritatem arma sua tractandi naturaliter excellentem; alterum autem qui dexteritatem quidem æqualem, sed habeat præterea armorum scientiam acquisitam, qua quo modo et qua parte corporis, in quacunque positione, hostem offendere vel ab eo offendi possit, perfecte didicit. Horum duorum facultates ita ad se invicem habent, sicut prudentia et sapientia;

utraque utilis, posterior autem infallibilis. Ille autem, qui confidens soli librorum authoritati, cæcos cæce sequitur, similis illi est, qui fidens lanistæ alicujus regulis falsis, hostem peritum aggressus, vel interficitur vel armis exuitur.

CAP. V.  
De ratione  
et scientia.

Scientiæ signa sunt alia *certa* et infallibilia; alia *incerta*. *Certa* sunt, quando qui *scire* se dicit, idem alterum docere et veritatem perspicue demonstrare potest. *Incerta*, quando in quibusdam tantum rebus id quod dicit verum est, sed in multis aliis non item. Itaque signa prudentiæ incerta omnia sunt. Nemo enim rerum omnium, quas expertus est, circumstantias eventui essentielles vidisse potest, aut visarum meminisse. Cæterum in omni negotio, cujus nulla est scientia infallibilis, proprio judicio diffidere, sentiisque librorum ducendum se permittere, imprudentia est. Etiam illorum hominum, qui in conciliis rerumpublicarum quid in politicis et historiis et quantum profecerint ostentare amant, pauci tamen, ubi suæ ipsorum res domesticæ aguntur, id faciunt; cum in sua ipsius re unusquisque satis prudens est. In publico autem negotio magis proprii ingenii existimationi student quam negotio publico.

---

## CAPUT VI.

DE PRINCIPIIS INTERNIS MOTUS VOLUNTARII, QUÆ VULGO  
PASSIONES APPELLANTUR: ET DE ORATIONIBUS  
QUIBUS DECLARANTUR.

Duo sunt motuum in animalibus genera ipsis propria. Quorum unus est *vitalis*, in generatione ineptus, et sine interruptione per totam vitam

## CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, quæ  
vulgo passiones  
appellantur, et de  
orationibus qui-  
bus declarantur.

continuatus; qualis est *motus sanguinis, pulsus, spirationis, concoctionis, nutritionis, excretionis*; qui imaginationis auxilio non indigent. Alter dicitur *animalis et voluntarius*; qualis est *incessus, locutio, et artuum motus*, qualem prius animo cogitaverimus. Sensum motum esse in organis et partibus internis corporis humani, factum ab objectis *visis, auditis*, etc.; phantasiam autem esse ejusdem motus post sensationem *reliquias*; dictum ante est (in cap. I. et II). Quoniam autem *incessus, loquela*, et similes motus voluntarii, semper dependent ab aliqua præcedente cogitatione, *quo, qua via, et quid*, manifestum est phantasiam motuum omnium voluntariorum principium internum primum esse. Etsi autem sint qui motum omnino ullum esse negant, ubi res mota invisibilis, aut spatium, in quo movetur, propter brevitatem insensibile est, illud tamen non impedit, quo minus hujusmodi motus sint. Quantulumcunque enim spatium sit, id quod movetur per spatium majus, cujus parvum illud spatium pars est, per illud etiam necessario movebitur. Principia hæc motus parva, intra humanum corpus sita, antequam *incedendo, loquendo, percutiendo*, cæterisque actionibus visibilibus appareant, vocantur *conatus*.

Conatus.

*Conatus* hic, quando fit versus causam suam, vocatur *appetitus* vel *cupido*; quarum vox prima generalis est; altera sæpe restringitur ad significandum appetitum aliquem particularem, ut famem vel sitim. Quando autem conatus est recedendi a re aliqua, tunc vocatur *aversio*. Has duas voces, *appetitum* et *aversionem*, Græci significant per *ὄρμην* et *ἀφορμην*. Natura enim homines ad veritatem aliquando ipsa urget, in quam offendunt

Appetitus.  
Fames et sitis.  
Aversio.

sæpe illi qui ultra naturam docti esse cupiunt. CAP. VI.  
 Scholæ enim in appetitu motum nullum omnino esse censent; et quia motus aliquis necessario admittendus est, appetitum motum esse dicunt metaphoricum; id quod est absurdum, cum, etsi verba possint, corpora motusque metaphorica esse non possint.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, quæ  
vulgo passionibus  
appellantur, et de  
orationibus qui-  
bus declarantur.

Quæ cupiunt homines, eadem et *amare* dicuntur; *odioque habere* ea quæ fugiunt. Itaque *cupere* et *amare* idem sunt, nisi quod in *cupidine* objectum semper abesse intelligitur; in *amore* plerumque et proprie adesse dicitur. Similiter, per aversionem, absentiam; per odium, præsentiam, objecti significamus.

Appetituum et aversionum, aliæ nobiscum natæ sunt; ut appetitus edendi, excernendi, et exonerandi; quæ aversiones etiam alio respectu dici possunt, quia fugæ sunt alicujus mali in corpore pleno et onerato. Appetitus cæteri rerum particularium oriuntur ab experientia effectuum quos in nobis vel aliis hominibus produxerunt. Rerum enim, quas non omnino cognoscimus vel quas non credimus existere, appetitum alium habere præterquam experiendi impossibile est. Aversionem autem habemus etiam ab iis rebus, non solum quas cognovimus nos læsisse, sed etiam ab iis rebus, quæ an læsuræ sint necne, nescimus.

Quæ neque cupimus neque odimus, ea dicimur *contemnere*. *Contemptus* enim nihil aliud est quam cordis, actionibus quarundem rerum resistentis, immobilitas quædam sive contumacia, orta ab eo quod cor ab aliis objectis fortioribus occupatum est; vel ab eo quod qualia sint ea, quæ contemnimus, experti non sumus.

Contemptus.

## CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, etc.

Et quoniam in perpetua mutatione versatur humani corporis consistentia, impossibile est ut eadem res producerent eosdem semper appetitus et aversiones; multo minus poterunt omnes homines consentire in appetitu unius et ejusdem objecti.

Bonum.  
Malum.

Quicquid autem appetitus in homine quocunque objectum est, eidem illud est quod ab ipso appellatur *bonum*. Similiter id, quod aversionis in ipso et odii causa est, ab ipso nominatur *malum*; atque id *vile* appellat, quod ipse contemnit. Voces enim *bonum, malum, vile*, intelliguntur semper cum relatione ad personam quæ illis utitur; cum nihil sit simpliciter ita; neque ulla *boni, mali, et vilis*, communis regula ab ipsorum objectorum naturis derivata, sed a natura (ubi civitas non est) personæ loquentis, vel (si est) personæ civitatem repræsentantis, vel ab arbitro vel iudice constituto.

Pulchrum.  
Turpe.

*Pulchrum* et *turpe* prope quidem idem significant, quod *bonum* et *malum*, sed non adæquate. *Pulchrum* enim id significat quod signis apparentibus *bonum promittit*, sicut et *turpe* id quod *malum promittit*. Utriusque autem sunt diversæ species, ut *formosum, honestum, decorum, jucundum*, sunt species *pulchri*; *deforme, inhonestum, molestum*, species *turpis*. Quæ omnia vocabula nihil aliud significant præter promissionem quandam vel boni vel mali. Itaque boni tres sunt species; altera in promissione quæ pulchritudo; altera in re, et dicitur bonitas; tertia in fine, quæ est jucunditas. Præterea, *bonum* quod in fine *jucundum* dicitur, in medio vocatur *utile*. Similiter, *malum* ut promissum, *turpe*; ut in fine, *molestum* appellatur.

Ut in sensione, id quod intra corpus est, nihil aliud

est præter motum ortum ab actione objectorum, qui tamen ad visum, *lux* et *color*; ad auditum, *sonus*; ad olfactum, *odor*, etc.: ita objecti actio, continuata ad oculos, aures, aliaque sensuum organa, nihil aliud est præter *motum* vel *conatum*, consistentem in appetitu vel fuga objecti. Apparitio tamen illius motus illa est quæ vocatur aut *voluptas* aut *molestia animi*.

CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, etc.

Quoniam autem motus hic, propter voluptatem, videtur esse motus vitalis adjutor; ea quæ motum hunc efficiunt vocari solent, nec improprie, nimirum a juvando, *jucunda*; et eorum contraria, *molesta*. Jucundum ergo est *apparens* bonum: et molestum *apparens* malum. Itaque appetitus omnis amorque conjunctus est cum voluptate aliqua; et odium et fuga, cum molestia aliqua.

Voluptatum aliæ ab objecti præsentisensione oriuntur, quæ vocari possunt *voluptates sensuales*; quæ vox, antequam lege condemnentur, nihil culpabile consignificat. Hujus generis sunt operationes et exonerationes corporis; quicquid item ad visum, auditum, olfactum, gustum, vel tactum jucundum est. Aliæ ab expectatione oriuntur, id est, a prævisione finium vel consequentiarum rerum, sive illa ad sensum jucunda sive injucunda sint. Atque animi voluptates hæ sunt illis, qui consequentias illas prævident; vocanturque uno nomine, *gaudium*. Similiter, molestiarum aliæ in sensu sunt, vocanturque *dolores* corporis; aliæ in expectatione, et appellantur *dolores* animi.

Voluptates  
sensuales, et vo-  
luptates animi.

Gaudium.

Passiones autem istæ simplices, *appetitus*, *cupido*, *amor*, *aversio*, *odium*, *gaudium*, et *dolor*, a diversis considerationibus quandoque variantur etiam nominibus. Ut primo, prout videntur aliæ aliis succes-



- CAP. VI.** suræ. Secundo, prout objectum appetimus, aut fugimus. Tertio, prout multæ simul considerantur. Postremo, pro modo successionis unius ad alteram.
- Appetitus* enim, si conjunctus sit cum opinione obtinendi, *spes* dicitur. Idem sine opinione obtinendi, *desperatio*.
- Aversio* cum opinione damni secuturi, *metus*. Eadem cum spe damni per resistantiam superandi, *fortitudo*.
- Ira*. Subita fortitudo est *ira*.
- Fiducia*. Spes in propria virtute, si constans sit, *fiducia* ;
- Animi abjectio*. desperatio continuata, *animi abjectio*.
- Indignatio*. Ira ex læsione alterius injusta, *indignatio*.
- Caritas*. Alii bonum cupere, *benevolentia* vel *caritas*.
- Avaritia*. Cupido divitiarum, *avaritia*. Quæ vox, quia de divitiis certare homines inter se solent, accipitur semper fere in malo sensu, etsi cupido ipsa aut culpanda aut probanda sit, prout media sunt, quibus quærentur divitiæ, bona vel mala. Cupido dignitatum publicarum, *ambitio*. Vox hæc quoque, propter contentionem hominum, in deterius sæpissime accipitur.
- Cupido rerum parum ad institutum nostrum conducentium, item metus rerum institutum nostrum parum impediendum, *pusillanimitas*.
- Adjumentorum et impedimentorum exiguorum contemptus, *magnanimitas*.
- Magnanimitas* in periculo mortis violentæ aut vulnerum, *virtus bellica*.
- Liberalitas*. *Magnanimitas* in divitiarum usu, *liberalitas*.
- Tenacitas*. *Pusillanimitas* in usu earundem, *tenacitas*.
- Vindicta*. Cupido lædendi aliquem, eo fine, ut factum ali-quod suum condemnet, *vindicta*.
- Curiositas*. Cupido sciendi quid et quomodo, *curiositas* ; quæ passio soli inest homini. Distinguitur ergo a

cæteris animalibus *homo*, non solum *ratione*, sed etiam passione hac, quam voco *curiositatem*. Cætera enim animalia, in quibus appetitus cibi aliæque voluptates sensuales prædominantur, causarum cognoscendarum cura carent, quæ animi concupiscentia quædam est, conjuncta cum voluptate perpetua et infatigabili generationis scientiarum, vehementiam voluptatum sensualium brevem longe superans.

## CAP. VI.

De principiis internis motus voluntarii, etc.

Metus potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis acceptæ sint publice, *religio* est; si publice acceptæ non sint, *superstitio*. Quando autem potentiæ illæ revera tales sunt quales accepimus, *vera religio*.

Religio.

Superstitio.

Vera religio.

Metus sine conceptione periculi unde et quale sit, *terror panicus*; ita vocatus a Pane, quem talium metuum authorem faciunt fabulæ. Revera tamen, qui primus metuit, metuendi causam vidit aliquam; cæteri autem illius primi exemplo fugiunt, credentes causam fugiendi fugientibus cæteris satis esse cognitam. Nam passio hæc, nisi in coacta multitudine, nunquam accidit.

Terror panicus.

Gaudium a cognitione nova, *admiratio*; et homini propria est, quia excitat appetitum sciendi causam.

Admiratio.

Gaudium, quod in homine oritur ab imaginatione potentiæ aut virtutis propriæ, animi exultatio quædam est, quam vocant *gloriam*: quæ si fundetur in experientia actionum suarum, eadem est cum fiducia: sin fundata sit in adulatione hominum, vel a seipso ficta propter voluptatem quæ magnas actiones solet consequi, *gloria inanis* vel *vana* dicitur. Fiducia enim gignit aggressum; id quod inanis gloria producere non potest.

Gloria.

Gloria inania.

Dolor natus a propriæ impotentiae opinione, *demissio animi* dicitur.

Demissio animi.

## CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, etc.

*Inanis gloria*, quæ consistit in ficta suppositione virtutum quas nobis scimus non inesse, propria fere est juvenum, aliturque a rerum magnarum historiis vel a narrationibus fictis; corrigitur autem magna ex parte ætate et negotiis.

Risus.

Gloriatio subita passio illa est, quæ producit *risum*; habet autem pro causa vel subitam aliquam actionem propriam in qua, qui eam fecit, sibi placet, vel conceptum turpitudinis vel facti alieni indecori, comparatione cujus subito sibimet ipsi commendatur. Contingit autem hoc illis maxime, qui cum virtutum paucissimarum conscii sibi sint, bonam de seipsis opinionem conservare non possunt, nisi infirmitates aliorum hominum observando. Itaque multus risus signum est pusillanimitatis. Animi enim magni opus proprium est auxiliari et a contemptu alios liberare; seipsos autem cum maximis hominibus solis comparare.

Fletus.

Contra, *demissio animi subita* passio est quæ producit *fletum*; cujus causa sunt accidentia illa, quæ magnam spem aliquam vel potentiæ suæ statumen aliquod subito destruit. Fletui autem subjecti sunt illi qui auxiliis externis maxime indigent, quales sunt fœminæ et pueri. Alii itaque jacturam deflent amicorum; alii ingratitude; alii etiam flent quando cum illis conciliantur, propterea quod inde oritur vindictæ speratæ obstructio subita. Semper autem tum risus, tum fletus motus sunt subiti; et consuetudine minuuntur. Nemo enim aut veteres jocos ridet, aut calamitates deflet veteres.

Pudor.

Dolor ille qui oritur ab eo, quod indecorum aliquod nostrum admissum putamus, *pudor* dicitur; ostenditurque per erubescientiam. Passio hæc in

adolescentibus laudatur, ut signum cupientis nihil facere, nisi quod sit laudabile. In senibus non laudatur, propterea quod minus venia digni sunt senes.

CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntari, etc.

Contemptus bonæ existimationis appellatur *impudentia*.

Impudentia.

Dolor ob calamitatem alienam, dicitur *miseri- cordia*, oriturque a consideratione, quod sibi met ipsi contingere potest calamitas similis; et ob eam rem vocari etiam solet *compassio*. Calamitas itaque aliena, si a magno oriatur ipsius, cui contingit, scelere, tanto minus producit *miseri- cordiam*. Item in eadem calamitate minus *miseri- cordes* sunt illi, qui calamitati simili minime obnoxios se esse judicant.

Misericordia.

Alienæ calamitatis contemptus, nominatur *crudelitas*, proceditque a propriæ securitatis opinione. Nam ut aliquis sibi placeat in malis alienis, sine alio fine, videtur mihi impossibile.

Crudelitas.

Dolor ob successum competitoris alicujus circa honorem aut divitias aut aliud bonum, si conjunctus sit cum conatu diligentiam propriam augendi, *æmulatio* dicitur; sin conjungatur cum conatu competitorum fallendi vel impediendi, *invidia* est.

Æmulatio.

Invidia.

Quando in animo humano appetitus, aversio, spes, metus, circa rem eandem oriuntur alternatim, veniuntque in animum faciendi omittendique bonæ malæque consequentiæ successive; adeo ut interdum appetamus, interdum fugiamus; interdum speremus, interdum metuamus; tunc totum illud passionum aggregatum, eatenus durans dum res effecta sit vel rejecta, vocatur *deliberatio*.

Deliberatio.

Itaque de rebus præteritis *deliberatio* nulla est,

## CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, etc.

quia præteritum immutabile est; neque rerum quas scimus vel putamus esse impossibiles, quia talium *deliberatio* vana est. Impossibilium autem, quæ possibilis esse arbitramur, *deliberatio* datur, ut quam vanam esse nescimus. *Deliberatio* autem ideo dicitur, quia libertatis, quam habemus faciendi omittendive, finis est. Alterna hæc successio appetitus, aversionis, etc., communis est homini cum animalibus cæteris. Nam deliberant etiam bestię.

*Deliberatio* finiri tunc dicitur, quando id, de quo deliberatum est, factum est vel redditum impossibile; propterea quod eatenus libertatem faciendi vel non faciendi pro arbitrio retinemus.

Voluntas.

In deliberatione, appetitus ultimus vel aversio actioni, de qua deliberatum est, immediate adhærens, est *voluntas*; actus, inquam, non potentia, *volendi*. Unde sequitur bestias, quia deliberant, etiam voluntate præditas esse. Definitio voluntatis scholastica, nempe *voluntatem appetitum esse rationalem*, legitima non est. Nam si esset, nulla omnino esse posset actio voluntaria contra rationem. Actio enim voluntaria est ea, quæ a voluntate proficiscitur, nec ulla alia. Quod si pro appetitu rationali dicamus appetitum qui oritur a deliberatione antecedente, tunc definitio eadem est quam dixi, nempe ultimus in deliberando appetitus. Quanquam autem vulgo sæpissime dicamus habuisse aliquem voluntatem faciendi id, quod facere postea noluit; id tamen non voluntas proprie est, sed inclinatio, quæ actionem non facit ut sit voluntaria, quæ dependere debet non ab omni, sed ab ultimo appetitu. Intervenientes enim appetitus

sive inclinationes non sunt voluntates; si enim essent, omnes actiones simul essent et voluntariæ et involuntariæ.

CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, etc.

Manifestum hinc est voluntarias actiones esse non modo eas, quæ incipiunt ab appetitu alicujus rei, sed etiam illas, quæ proficiscuntur ab aversione vel a metu eventuum qui consequuntur facti alicujus omissionem.

Formulæ sermonis, quibus passiones declarantur, partim eædem sunt quibus alias significamus cogitationes. Et primo generatim passiones omnes proferri possunt *indicative*; ut amo, metuo, gaudeo, delibero, volo, etc. Sunt autem aliquæ quæ suas habent prolationes sibi proprias; quæ tamen affirmationes non sunt, nisi quando inserviunt illationibus. Deliberatio profertur *subjunctive*, qui modus proprius est suppositionum a quibus ducimus consequentias; ut, *si hoc fiat, tunc sequetur illud*; nec differt a sermone ratiocinandi, nisi quod in ratiocinatione nominibus utimur universalibus; in deliberatione, plerumque singularibus. Sermo cupiditatis et aversionis est *imperativus*; ut, *hoc fac, ab hoc abstine*; quæ verba ad illum qui ad faciendum vel abstinendum obligatur, mandatum dicitur; alioqui, precatio vel consilium. Sermo vanæ gloriæ, item indignationis et misericordiæ aliarumque multarum cupiditatum, sermo est *optativus*. Cupiditatis autem cognoscendi sermo peculiaris est *interrogativus*; ut *Quid est? Quando erit? Quomodo factum est? Quid ita?* Passionum sermones alios non reperio. Jurationes enim maledictionesque et convitia passiones non significant ut verba, sed ut actiones male moratæ linguæ.

Formulæ hæ significationes quidem sunt pas-

## CAP. VI.

De principiis  
internis motus  
voluntarii, etc.

sionum voluntariæ ; signa autem certa non sunt ; idque, quia voluntaria sunt. Passionis præsentis certissima signa sunt illa, quæ a vultu, gestu, actionibus, finibus, negotiisque hominum capiuntur.

Quoniam in deliberatione, appetitus et aversiones a prospectu bonorum et malorum consequentium actionem, de qua deliberamus, alternæ sunt, et catenam longam faciunt consequentiarum, cujus finem sæpenumero non videmus ; si in catena illa visa sint consequentia plura bona quam mala, totum aggregatum *bonum est apparens* ; si plura mala quam bona, tunc totum *malum apparens* est. Is igitur, qui ratiocinatione vel experientia longissimum sibi consequentiarum prospectum acquisivit, optime deliberat, et optimus aliis consiliarius esse potest.

Perpetuus in rebus cupitis bonus successus, illud ipsum est quod vocari solet *felicitas*. Felicitatem intelligo præsentis vitæ. Nulla enim est animi dum vivimus perpetua tranquillitas ; quia vita ipsa motus est, neque sine cupiditate, metuque, aliisque passionibus vivere homo potest, magis quam sine sensu.

Formula sermonis, qua quis opinionem suam significat de alicujus rei *bonitate*, *laus* est. Formula, qua significat *potentiam* et *magnitudinem* rei, est *magnificatio*. Formula, qua significat opinionem quam habet de alicujus *felicitate*, a Græcis vocatur *μακαρισμός*.

Atque hæc de *passionibus*, quatenus ad institutum præsens, dicta sufficiant.

## CAPUT VII.

## DE DISCURSUUM DETERMINATIONIBUS.

OMNIS discursus, si a cupiditate cognitionis gubernetur, vel in adeptione terminatur vel in rejectione. Quod si cogitationum series pro tempore tantum interrumpatur, non ideo determinata dicenda est.

CAP. VII.

De discursuum  
determinationi-  
bus.

Si discursus in solis fiat cogitationibus, tunc consistit in cogitationibus, *quod fiet* vel *quod non fiet*, vel *quod fuit* vel *quod non fuit*, alternis. Itaque ubicunque discursus desinit, relinquitur præsumptio quod *erit* vel *non erit*, vel *fuit* vel *non fuit*. Quæ determinatio appellatur *opinio*. Atque id quod in deliberando de bono et malo, appetitus est alternus, in inquisitione veritatis facti præteriti vel futuri, est alterna *opinio*. Sicut autem in deliberatione, appetitus ultimus est *voluntas*; ita in quæstione præteriti vel futuri, *opinio* ultima est *judicium* sive *sententia finalis*. Et sicut tota series appetituum alternorum in quæstione boni vel mali, *deliberatio* dicitur; ita in quæstione veri vel falsi series tota opinionum alternarum dicitur *dubitatio*.

Discursus nullus in cognitione perfecta præteriti vel futuri terminare potest. Nam cognitio facti originaliter sensio est, et deinde memoria. Et cognitio consequentiarum, quæ, ut ante dixi, scientia appellatur, scientia absoluta non est, sed tantum conditionalis. Nemo per discursum scire potest *hoc vel illud esse, fuisse, vel futurum esse*; id quod est perfecte scire: sed tantum, *si hoc sit, tum illud est*; *si hoc fuit, tum fuit illud*; *si hoc erit, tum illud erit*; id quod est scire conditiona-



## CAP. VII.

De discursuum  
determinationi-  
bus.

liter ; et scire non *rei* ad *rem*, sed *nominis* ad *nomen* consequentiam. Si discursus ergo sit in verbis, incipiatque a definitionibus verborum, procedatque per connectionem eorum in propositiones, et rursus propositionum in syllogismos, determinabitur in aliqua conclusione, quæ summa est omnium antecedentium propositionum. Atque hæc *scientia* est, sive cognitio consequentiarum unius verbi ad aliud. Verum si discursus non incipiat a definitionibus, vel si definitiones illæ non recte connectantur in syllogismos, tunc rursus discursus terminatur in *opinione* tantum veritatis conclusionis, utcunque absurdæ et insignificantis. Quando duo vel plures idem simul sciunt, *conscii* dicuntur ; et quia illi factorum suorum mutuo testes maxime idonei sunt, maxima semper fuit et erit existimata improbitas testimonium contra conscientiam dicere, vel alium ut dicat inducere. Usurpatur autem vox *conscientia* sæpissime pro sua cujusque facti vel cogitati secreta cognitione. Sunt etiam qui proprias opiniones suas privatas novasque, propter amorem ingenii proprii, etsi aliquando absurdissimas, obstinates sustinent sub nomine illo conscientiaæ favorabili ; tamquam illas mutare peccatum maximum esset. Itaque veritatem illarum *scire* se videri volunt, quando nihil sciunt nisi quod ipsi ita opinantur.

Quando discursus non incipit a definitione, terminatur semper in opinione. Quod si incipit ab alicujus alterius hominis affirmatione, de cujus hominis neque cognitione neque veracitate dubitamus, quia quæstio est non tam de *re*, quam de *persona* ; tunc determinatur in *creditione* et *fide* ; *fide*, inquam, homini habita ; *creditione* rei. *Credere in hominem*, et *credere homini*, idem plerum-

que significant, nempe, opinionem de veracitate ejus ; sed credere aliquod dictum, significat opinionem tantum veritatis ipsius dicti. Notandum autem est dictionem hanc *credo in*, ut et Græcam πιστεύω ἐς, rarissime usurpari præterquam in libris theologicis. Scriptores cæteri dicunt *credo illi, confido illi, fidem illi habeo*.

CAP. VII.

De discursuum  
determinationi-  
bus.

Sed *credere in*, in symbolo fidei Christianæ, non proprie significat fidem quæ habetur personæ, sed doctrinæ pluribus articulis propositæ agnitionem sive confessionem. Etenim non Christiani soli, sed etiam homines omnes ita in Deum credunt, ut quicquid dixerit vel dicturus sit pro vero agnoscant ; idque sive intelligant, sive non intelligant : qua fide major esse nulla potest. Doctrinam autem symboli non omnes credunt, sed soli Christiani.

Manifestum hinc est, quod qui verum aliquid esse putat non propter argumenta sumpta ex ipsa re aut ex principiis rationis naturalis, sed ab auctoritate et ab existimatione bona personæ loquentis, fidei ejus objectum principaliter et proprie esse personam loquentem. Itaque quando credimus Scripturas Sacras esse verbum Dei, fides nostra, nisi specialem aliquam habeamus revelationem, terminatur in ecclesia, in cujus auctoritate acquiescimus. Etiam illi, qui credunt id quod narratur Dei nomine a propheta, fidem prophetæ habere, illumque honorare, illi credere et fidere dicendi sunt, sive verus sive falsus sit propheta. Etiam circa cæteras historias eodem modo se res habet. Nam si omnia ea, quæ de virtutibus dicta sunt Alexandri aut Cæsaris, credere recusarem, non puto illos merito mihi succensuros esse, aut alium quemlibet præter historiæ conscriptorem. Si Livio

## CAP. VII.

De discursuum  
determinationi-  
bus.

non credamus locutam esse bovem, non Deo sed Livio diffidimus. Perspicuum ergo est, si quid credamus nullo alio argumento, quam quod ducitur ab authoritate humana, fidem nostram non Deo, sed in homine tantum determinari.

---

 CAPUT VIII.

DE VIRTUTIBUS INTELLECTUALIBUS ; DEFECTIBUSQUE  
OPPOSITIS.

VIRTUS in omni re aliquid est propter eminentiam spectabile, consistitque in comparatione. Nam si omnia omnibus æqualiter adessent, nihil esset quod haberetur pro eximio. Per virtutes intellectuales intelliguntur facultates animi illæ, quas laudare, magnifacere, et sibimet ipsis inesse cupere homines solent ; et vulgo nomine *boni ingenii* comprehenduntur ; quanquam *ingenium* significet aliquando etiam facultatem certam a cæteris distinctam.

Virtutes autem hæ duorum sunt generum ; *naturales* et *acquisitæ*. Per ingenium naturale non intelligo illud tantum quod cum homine nascitur, quod aliud non est quam sensus, in quo unus homo alii non multo magis præstat quam bestię ; sed intelligo ingenium, quod usu solo et experientia, sine methodo cultu vel doctrina, accedit hominibus ætate. Consistit autem in duabus rebus ; *celeritate imaginandi*, id est, unius cogitationis ad aliam successione facili, et *prosecutione constanti* finis alicujus propositi. Contra, *imaginatio tarda* defectum animi illum facit, qui *tarditas* vocari solet vel

*stupor*, aliisve nominibus quibus significari solet motus *tardus*. CAP. VIII.

Differentia autem celeritatis a differentibus oritur hominum passionibus, quorum alii aliud amant et fugiunt; unde cogitationes diversorum hominum diverse procedunt, et diversimode rebus applicantur. Cum autem in successione cogitationum nihil observari solet, nisi *similitudo* vel *dissimilitudo*, vel *cui rei* inservire et *quomodo* possunt; illi, qui *similitudines* maxime animadvertunt aliis raro animadversas, *bonum* dicuntur habere *ingenium*, id est, *bonam phantasiam*. Illi vero, qui rerum cogitationum differentias dissimilitudinesque maxime observant; id est, qui inter rem et rem bene *distinguunt*, *discernunt*, et *dijudicant*; nisi dijudicatio illa facilis sit, habere dicuntur *bonum iudicium*. Speciatim autem in conversatione civili negotiisque agendis, ubi tempora, loca, et personæ discernenda sunt, virtus hæc communiter *discretio* appellatur. Phantasia sine iudicio laudari raro solet; sed iudicium sive discretio laudatur per se sine ope phantasiæ. Præter discretionem temporum, locorum, et personarum quæ laudari faciant phantasiam, requiritur etiam cogitationum ad finem suum frequens applicatio; ita enim occurrent similitudines, non solum illustraturæ, sed etiam novis et aptis metaphoris ornaturæ sermonem, atque insuper raritate inventionis placituræ. Cæterum, nisi constans adsit cogitationum ad aliquem finem regulatio, phantasia magna species quædam est insanix; qualis est illorum, qui, cum dicere inceperint, ab unaquaque fere cogitatione aliena a proposito fine in tot et tantas digressiones et parentheses abripiuntur, ut reverti non possint. Causa cujus

De virtutibus intellectualibus; defectibusque oppositis.

## CAP. VIII.

De virtutibus  
in intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

rei aliquando est, quod experientia careant ita, ut videatur sibi novum et dignum dictu, id quod aliis vilescit; vel magnum sibi, quod aliis non item. Nam quicquid novum, magnum, et dictu dignum est, seducere homines ab instituta sermonis serie sæpe solet.

Poetis in unoquoque genere operis tum iudicium tum phantasia requiritur; eminere tamen debet phantasia, quia placent poemata præcipue propter novitatem; displicere autem non debent per indiscretionem.

In historia legitima eminere iudicium debet; quia virtus historiæ in methodo, in veritate, in electione narrandorum consistit; neque locus hic est phantasiæ, præterquam in ornanda narratione.

In laudationibus et in invectivis prædominari debet phantasia; quia pro fine habent non veritatem, sed laudem vel vituperium; quæ perficiuntur comparationibus illustribus vel vilibus vel ridiculis. Iudicium circumstantias tantum suggerit, quibus actio laudabilis vel illaudabilis efficitur.

In hortativis et causarum dictionibus, prout veritas vel simulatio maxime inservit rei quæ agitur, ita iudicium vel phantasia maxime postulatur.

In demonstratione, in consilio, et in omni veritatis investigatione severa, solum requiritur iudicium; nisi forte aliquando similitudine aliqua apta opus sit, ut ii, qui audiunt vel legunt, dociliores fiant. Quod autem ad metaphoras attinet, excludendæ prorsus sunt. Fallaciam enim aperte profitentur. Illas ergo in consilio vel ratiocinatione severa admittere, stultitia est manifesta.

In discursu quocunque, si discretionis defectus manifeste appareat, quantumcunque placere possit

phantasia, desiderabitur ingenium. Quod si iudicium manifestum sit, etsi vulgaris sit phantasia, laudabitur tamen ingenium.

CAP. VIII.  
De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

Cogitatio hominis secreta per omnia discurrit, sacra, prophana, munda, immunda, gravia, levia, sine pudore et sine culpa; id quod sermoni non ulterius licet, quam a iudicio circa tempora, loca, et personas permissum sit. Medico, anatomistæ, de rebus obscœnis dicere vel scribere quicquid videbitur licet, ut cui finis est non placere, sed prodesse; aliis autem non licet, quia non est opus. Item in remissione animi et conversatione familiari, si quis ex verborum sonis et significationibus ludum faciat, id quod aliquando non injucunde fieri solet, indecorum non est. Sed in concione, vel coram personis incognitis vel alioqui reverendis, omnis verborum lusus stultitia videbitur. Id, quod differentiam facit, discretio sive iudicium est. Itaque, ubi ingenium deest, non phantasia sed iudicium deest. Itaque iudicium sine phantasia ingenium est; phantasia autem sine iudicio non item.

Quando quis cogitatione multitudinem rerum percurrens, cum fine aliquo sibi proposito, quomodo eæ res ad finem suum conducant vel cui fini inservire possint celeriter animadvertit, ingenium ejus bonum dicitur; dependetque ab experientia et memoria rerum multarum similium cum similibus consequentiis. In hoc autem homines inter se non tantum differunt, quantum iudicio et phantasia; quia hominum ætate æqualium experientia non est valde inæqualis, quoad quantitatem, sed rerum, in quibus versantur, specie variantur, cum cuique sua sint negotia propria. Familiam an regnum quis recte gubernet, nihil interest, qua-

## CAP. VIII.

De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

tenus ad prudentiæ gradum; multum tamen quod attinet ad negotii speciem: quemadmodum in parva aut magna tabula bene pingere non distinguit artis gradum, sed speciem; et agricola rudis in re sua prudentior est plerumque, quam philosophus in aliena.

Ad prudentiam si addatur mediolorum injustorum vel inhonestorum usus, qualia sæpe suggerit metus vel inopia, fit prudentia illa sinistra, quæ appellatur *astutia*; quæ signum plerumque est pusillanimitatis. Auxilia enim injusta et inhonesta animus magnus aspernatur. Est etiam alia quasi astutiæ species, quæ vocatur *versutia*; quæ est periculi vel incommodi, incurrendo in pejus, ad parvum tempus dilatio; videturque dici a *versura*, quæ significat mutui sumptionem ad mutui solutionem.

*Ingenium acquisitum*, nempe methodo et doctrina, nullum est præter rationem; quæ orta a recto sermonis usu producit scientias. Sed de ratione et scientia dictum est supra (cap. v. et vi.).

Ingeniorum differentia oritur a passionibus; differentia autem passionum partim a diversa corporum constitutione, partim a diversitate consuetudinum et educationis.

Passiones illæ, quæ ingeniorum differentias maximas faciunt, sunt plerumque major vel minor cupiditas potentiæ, divitiarum, scientiæ, dignitatis; quæ omnes reduci possunt ad potentiam; nam divitiæ, scientia, dignitas, sunt potentiæ species.

Itaque, si quis ea non magnificat, etsi vir bonus esse possit, nunquam tamen videbitur bonum habere ingenium. Cogitationes enim cupiditatum sunt tanquam exploratores, emissi ad explorandas vias, quibus ad cupita ferimur, quæ motibus animi tum regulam tum celeritatem tribuunt. Sicut nihil

desiderare, mortui est; ita parum vehementer desiderare, tardi est; et multa simul cupere, levitatis est: habere autem passiones multo fortiores vehementioresque quam in cæteris hominibus videri solent, illud est quod nominatur *insania*.

CAP. VIII.

De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

Insaniæ autem tot sunt fere quot sunt passionum ipsarum species; procedit tamen aliquando ab organorum prava constitutione vel læsione. Aliquando etiam a passionis vehementia vel duratione longa læduntur organa. Utrobique tamen ejusdem generis est insania.

Passio cujus violentia vel duratio facit insaniam, aut *gloria vana* est, quæ et *superbia* dicitur: aut animi *demissio* magna.

Superbia facit iracundum. Iræ autem excessus insaniæ species est, quæ appellatur *furor*. Itaque vindictæ cupido ingens, si diuturna sit, organa corporis lædit, et fit furor. Idem facit amor vehemens, præsertim si comitetur zelotypia. Magna item sui ipsius æstimatio propter sapientiam, eruditionem, formam, et similia, etiam propter quam putat quis falso se habere inspirationem, tendit ad insaniam.

Demissio animi obnoxium facit metui, ubi metus causa nulla est; quæ insania est appellari solita *melancholia*, apprens diversimode, ut in iis qui frequentant solitudines, in superstitionis, et in timentibus quæ cæteri non timent. Passiones denique omnes, quæ actiones insolitas exorbitantesque producant, nomine insigniuntur insaniæ. Siquidem autem passionum excessus insania sunt, dubitari non potest quin passiones ipsæ, saltem si ad malum tendant, sint ejusdem gradus. Exempli causa: quando aliqui falso putant *inspiratos* se esse, insaniæ illius effectus non est in uno homine per



## CAP. VIII.

De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

actionem aliquam, quæ ab illa opinione procedit, exorbitantem visibilis; quando tamen multi eorum conspirant, furor totius multitudinis satis manifestus est. Quodnam enim insaniam argumentum majus esse potest quam clamare, ferire, et lapides in amicos jacere? Minus tamen est aliquanto hoc, quam quod hujusmodi multitudines aliquando faciunt. Nam oclamant, oppugnant, et interficiunt illos, per quos omni ante-actæ vitæ tempore protecti et defensi ab injuriis fuerant. Jam si insaniam hæc sit in multitudine, insaniam quoque est in hominibus singulis. Quemadmodum enim in medio mari, quanquam sonum ab aqua sibi proxima nemo percipiat, scit tamen partem illam aquæ proximæ fremitui maris non minus contribuere, quam alia pars quæcunque ejusdem magnitudinis: ita etiam, quanquam in uno vel paucis hominibus non magis videamus inquietudinem, certi tamen esse possumus passiones illius unius vel paucorum partes esse fremitus seditiosi commotæ civitatis. Etsi nihil esset aliud quod insaniam hujus generis indicaret, mihi tamen ipsa inspirationis divinæ arrogatio insaniam ipsorum magnum indicium est. Quis enim, in Morocomio dicens Deum se esse vel Christum, cur illic conclusus sit nesciat? Quod autem privatum *spiritum* suum tanti faciant aliqui, ut se divinitus inspirari putent, sæpenumero oritur ab erroris alicujus in theologia vulgo recepti felici detectione; nescientes enim vel obliiti quo ductu rationis in tam singularem veritatem, etsi interdum veritas non sit, inciderint, semetipsos, ut quibus Deus ipse speciali gratia doctrinam illam supernaturaliter Spiritu Sancto revelaverit, admirantur.

Quod insaniam nihil aliud sit præter ingentem

enormemque passionem, intelligi potest ab effectibus nimii vini, quod similem producit organorum intemperiem. Varietas enim hominum, qui nimium biberunt, eadem est in moribus, quæ cernitur in insanis: quorum aliqui furiunt, alii amant, alii rident, omnes modo insolito, sed suæ cujusque passioni congruo. Nam etiam homines sobrios puto, quando absque omni animi cura et occupatione soli incedunt, non libenter velle cogitationum suarum vanitatem atque exorbitantiam eo tempore publice apparere; id quod confessio manifesta est passiones irregulares plerumque insaniam meram esse.

CAP. VIII.  
De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

Opiniones hominum circa insaniam causam, tum veterum tum recentiorum, duæ sunt. Alii enim eam a passionibus; alii a dæmonibus, sive spiritibus derivant, bonis vel malis, quos intrare in hominem posse eosque possidere putaverunt, atque corporis ejus organa insolito ciere motu, qualem animadvertimus in insanis. Alii ergo insanos appellaverunt, quos alii enurgumenos: hodieque eosdem homines Itali vocant *pazzi* et *spiritati*.

Magnus erat quondam in urbe Abderensium confluxus populi ad theatrum, cum ageretur fabula Andromedæ, æstivo et fervente die; unde spectatorum magna multitudo partim a calore partim ab ipsa tragœdia in febrem incidentes, aliud nihil dicere potuerunt præter iambos, quos ab actoribus in tragœdia audierant recitados; ab hac autem insania superveniente hyeme liberati sunt; et proinde visa est processisse ab illa passione quam animis spectatorum impresserat tragœdia. Etiam in civitate alia Græca insaniam species alia quædam orta est, quæ in adolescentulas incidens fecit ut earum multæ se suspenderint. Hoc autem a plu-

## CAP. VIII.

De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

rimis a Diabolo profectum esse existimabatur; unus autem erat, qui ipsarum contemptum hunc vitæ oriri ab animi aliqua passione suspicatus est; putansque illas non ut vitam, sic honorem etiam contempsisse, magistratibus consilium dedit, ut quæ se suspenderint nudæ penderent. Quod cum factum esset, insania illa desiit. Iidem autem Græci insaniam plerumque Eumenidum sive Furiarum operationibus, vel Cereris, vel Phœbi, aliorumque Deorum attribuerunt. Tantum enim phantasmatis attribuebatur realitatis, ut animalia aerea putarentur vocarenturque. Romani etiam, et Judæorum multi, de hac re cum Græcis consenserunt: Judæi enim insanos aut prophetas esse, aut, prout spiritus illos vel bonos vel malos esse putaverunt, dæmoniacos: aliqui etiam eorum eundem hominem et dæmoniacum et prophetam. Hoc tamen in gentibus mirandum non est; quia morbi et sanitas, vitia et virtutes, atque accidentia naturalia, ab illis et vocabantur et colebantur ut dæmones: adeo ut per *dæmonem* intelligenda erat eorum sermone non minus aliquando febris, quam diabolus. Ut autem ita sentirent Judæi, magis mirandum est. Neque enim Moses neque Abrahamus prophetiis suis prætendebat spiritum, sed vocem Dei, vel visionem, vel somnium. Neque in lege Mosaica morali vel ceremoniali quicquam extat faciens ad entusiasmum. Quando (Num. xi. 25) a spiritu, qui in Mose erat, sustulisse dicitur Deus, et dedisse septuaginta senioribus, per Spiritum Dei non intelligitur eo loco substantia Dei; nam ea indivisibilis est. Per Spiritum Dei, Scripturæ sæpenumero significant spiritum hominis Deo servientis. Ubi enim dicitur (Exod. xxviii. 3), *quem implevi spi-*

*ritu sapientiæ ad faciendum vestimenta Aaroni* : CAP. VIII.  
 non intelligendus est peritus faciendi vestimenta De virtutibus intellectualibus; defectibusque oppositis.  
*spiritus infusus*, sed sapientia ipsorum hominum in eo genere operis. Similiter spiritus hominis, si producat actiones immundas, appellatur in Scripturis *spiritus immundus*. Etiam in aliis locis virtus vel vitium, si egregium sit et eminens, appellatur spiritus. Neque post Mosem prophetæ Veteris Testamenti enthusiasmum prætenderunt; neque *in*, sed *ad* se locutum esse Deum, nempe, per visionem vel somnium. Neque illud *onus Domini possessio* erat, sed *jussio*. Quomodo ergo in opinionem hanc enthusiasmi incidere potuerunt Judæi? Nescio, nisi quod plerisque hominibus commune est, non nimium inquirere in causas naturales; felicitatemque collocare in voluptatibus sensuum, et rebus illis quæ maxime istuc tendunt. Qui enim insolitam virtutem vel defectum insolitum vident, nisi simul videant unde probabiliter procedere potuit, non facile putant esse naturalem. Quod si non naturalem, necessario supernaturalem esse putant. Quænam autem esse potest res illa præter Deum aut dæmonem qui in hominem intraverit? Itaque cum Servator noster (Marc. iii. 21) a multitudine cingeretur, illi, qui in domo erant, furere eum existimaverunt, exieruntque domo ut cohiberent. Scribæ autem dixerunt, quod haberet *dæmonem*, nempe Beelzebub, per quem eiecisse illum dæmonia dixerunt. Hinc etiam erat quod quidam dixerunt (Johan. x. 20), *dæmonium habet et insanus est*: quando alii, qui illum pro propheta habuerunt, dixerunt, *non sunt hæc verba ejus, qui habet dæmonium*. Item in Testamento Veteri (4 Reg. ix. 11), is qui missus fuit ad ungendum regem Jehu, propheta

## CAP. VIII.

De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

erat; eorum tamen, qui cum Jehu erant, aliqui ipsum interrogarunt, *quamobrem ille venit insanus?* Manifestum ergo est illum, qui insolito modo et ab aliorum more multum differente se gerat, videri Judæis possessum esse bono aliquo vel malo spiritu. Excipio tamen Sadducæos, qui ex altera parte a veritate tantum abierunt, ut spiritus omnino esse non crediderint; id quod prope accedit ad atheismum. Fortasse autem tanto potius dæmoniacos vocabant Pharisæi insanos, quanto magis a Sadducæis circa opinionem de spiritibus discrepabant.

Si hoc ita sit, cur sanat illos Servator noster, non ut insanos, sed ut dæmoniacos? Respondeo, argumenta, quæ a formula dictionis sumuntur, firma non esse. Quoties enim loquitur Scriptura Sacra de terra ut immobili, quam tamen philosophi hodie fere omnes moveri censent signis evidentissimis? Scriptura scripta est a prophetis et apostolis ad docendam, non philosophiam, quam ad exercitium rationis naturalis contemplationibus disputationibusque hominum reliquit Deus, sed pietatem et salutis æternæ viam. Sive enim terræ, sive solis motus diem et noctem faciat; sive humanarum actionum exorbitatio a passionibus, sive a Diabolo oriatur; ad pietatem et salutem nihil refert. Eorum, qui per verba sola morbos curant, ut fecit Christus, et facere se falso jactitant incantatores, dictio propria est, *exi*, et jussiones similes. Nonne Christus (Matt. viii. 26) objurgavit ventos, et (Luc. iv. 39) objurgavit febrem? Non tamen argui hinc potest, febrem esse Diabolum. Præterea eadem phrasis non ubique Scripturarum idem significat. *In principio erat verbum*, significat verbi æternitatem. *In principio creavit Deus cælum et*

*terram* non significat fuisse cœlum et terram ab æterno. Ubi Servator noster (Matth. xii. 43) loquitur de spiritu immundo, qui cum exisset ex homine vagatus est per loca arida, quærens requiem nec inveniens, et in eundem hominem postea reversus est cum aliis septem spiritibus se pejoribus, parabolica locutio est, alludens ad hominem qui, post conatum cupiditates suas relinquendi debilem victus, septies pejor quam ante erat. Non sunt ergo Scripturæ in sensu verborum rigido semper accipiendæ; neque ex illis necessario evinci potest *dæmoniacos* alios fuisse quam *insanos, furiosos*, vel modo aliquo mente læsos.

## CAP. VIII.

De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
oppositis.

Inter insanix signa numerari etiam possunt quorundam hominum sermones absurdi sive insignificantes; de quibus dictum est capite quinto. Atque hoc genus insanix illorum hominum fere proprium est, qui loqui vel scribere de ijs rebus audent, quæ sunt incomprehensibiles; id quod soli faciunt scholastici et philosophi. Nam vulgus hominum raro ita loquuntur, ut non possint intelligi; et ob eam rem ab istis aliis egregiis hominibus habentur spernunturque pro idiotis. Ut sciamus autem qualis sit scholasticorum et philosophorum de rebus difficilibus oratio, interpretetur nobis verba aliquis, quæ titulum faciunt capitis sexti libri primi Suaris, *de concursu, motu, et auxilio Dei*. Verba autem hæc sunt: *Prima causa non influit necessario aliquid in secundam virtute subordinationis essentialis causarum secundarum, quo illam adjuvet operari*. Qui simili oratione tota implent volumina, nonne insaniunt, vel alios insanire volunt? In quæstione de *transubstantiatione*, ubi dicunt, post certa quædam prolata verba, albedinem, rotundita-

## CAP. VIII.

De virtutibus  
intellectualibus;  
defectibusque  
opposita.

tem, magnitudinem, qualitatem, etc. quæ omnia sunt incorporea, migrare e pane, et intrare in corpus Servatoris nostri Jesu Christi; nonne faciunt ex illis accidentibus totidem spiritus? Nam et spiritus iidem incorporeos esse putant, etiamsi eos a loco ad locum moveri confiteantur. Itaque genus hoc locutionis absurdæ numerari inter insaniam species multas recte potest. Tempora autem, quibus cogitationes eorundem insanorum gubernatæ a cupiditatibus mundanis perspicue explicantur, alia non sunt quam lucida intervalla.

Atque hæc de virtutibus et vitiis intellectualibus dicta sufficiant.

## CAPUT IX.

## DE SCIENTIARUM DISTRIBUTIONE.

COGNITIONIS duæ sunt species. Altera facti; et est cognitio propria testium, cujus conscriptio est *historia*. Dividitur autem in *naturalem* et *civilem*, quarum neutra pertinet ad institutum nostrum. Altera est consequentiarum, vocaturque scientia; conscriptio autem ejus appellari solet *philosophia*. Quoniam autem subjecta scientiarum sunt corpora, distribuenda est in species, eodem modo quo distribuuntur in suas species corpora ipsa, id est, ita ut universaliora minus universalibus antecedant. Universalia enim specialibus essentialia sunt, et proinde universalium scientia essentialis est scientiæ specierum, adeo ut hæc, nisi per illorum lucem, percipi non possint.

Generalissimum autem subjectorum scientiæ est corpus, cujus accidentia duo sunt, *magnitudo* et *motus*. Illud ergo, quod quæritur primo a philo-

sopho circa hoc subjectum, est, quid sit *motus* et quid *magnitudo*. Et philosophiæ pars hæc appellari solet *philosophia prima*.

CAP. IX.

De scientiarum  
distributione.

Rursus, magnitudo definita, quæ et quantitas dicitur, vel *figura* vel *numero* definitur. Itaque corpus, figura definitum, subjectum est partis illius philosophiæ, quæ *geometria* dicitur. Partes autem corporis, numero determinatæ, scientia est dicta *arithmetica*.

Motus autem vel *visibiles* sunt, vel *invisibiles*, nimirum in corporum minutissimis partibus. Motuum autem visibilium scientia eorum est, qui machinarum, ædificiorum secreta contemplati sunt.

Motus autem invisibles internarum corporis partium, qui propter effectus in sensus nostros dicuntur *qualitates*, subjectum est *physicæ* sive *philosophiæ naturalis*: cujus, quot sunt homini sensus, tot possunt esse scientiæ speciales; quarum una est quæ vocatur *optica*, alia *musica*.

Deinde si corpus Universi consideretur per partes ejus, ut astra et sublunaria; ex contemplatione astrorum motorum, quatenus motorum, oriatur scientia quæ dicitur *astronomia*.

Et quoniam partes Universi quædam non permanent, sed in interstitiis magnorum corporum modo apparent, modo evanescent, contemplatio motus illorum gignit scientiam *meteorologicam*.

Item a contemplatione partium telluris, qualia sunt *mineralia*, *vegetabilia*, et *animalia*, totidem oriuntur scientiæ particulares.

Ex contemplatione denique hominis et facultatum ejus oriuntur scientiæ *ethica*, *logica*, *rhetorica*, et tandem *politica* sive *philosophia civilis*.

Sed ex subdivisione singulorum subjectorum innumeræ aliæ scientiæ nasci possunt, quas enumerare neque facile neque necessarium est. F 2



## CAPUT X.

## DE POTENTIA, DIGNITATE, ET HONORE.

## CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

POTENTIA cujusque, universaliter sumpta, est mediocrum omnium, quæ habet ad bonum aliquod futurum apparens adipiscendum, aggregatum. Est autem vel *naturalis* vel *instrumentalis*.

Potentia *naturalis* est excellentia facultatum corporis vel animi: ut robur, forma, prudentia, ars, eloquentia, liberalitas, nobilitas. *Instrumentales* sunt, quæ per *naturales* vel fortunam acquisitæ, media et instrumenta sunt ad potentiam augendam: ut divitiæ, existimatio, amici, et operatio impercepta Dei, quam homines plerumque appellant fortunam. Potentiæ enim natura hac in re famæ similis est, eundo crescens; vel corporum gravium descensui, quæ procedendo accelerantur.

Humanarum potentiarum maxima est illa, quæ ex plurimorum hominum potentiis in unam personam consensu singulorum unitorum est composita; sive illa persona naturalis sit, ut homo, sive artificialis, ut civitas, a cujus voluntate dependent potentiæ omnium. Proxima huic potentia est, quæ dependet a voluntate multitudinis non unitæ; qualis est potentia factionis vel factionum fœderatarum.

Itaque, multos habere servos, potentia est; item multos habere amicos. Sunt enim vires unitæ.

Etiam divitiæ conjunctæ cum liberalitate, potentia est; quia servos et amicos parant: absque liberalitate, non item; quia non defendunt, sed invidiæ exponunt.

Potentia existimatio, potentia est; quia adhærere sibi facit eos qui defensione indigent.

CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

Etiam existimatio boni civis et patriam amantis, quæ vocatur popularitas, potentia est; propter causam proxime supra dictam.

Universim, qualitas quæcunque, si gignat vel amorem vel metum multorum hominum, et hujusmodi qualitatis opinio, potentia est; quia medium est ad auxilia et officia multorum.

Successus felix, potentia est; quia gignit prudentiæ vel bonæ fortunæ opinionem: nam facit ut illum metuant aut in illum confidant multi.

Affabilitas potentium, est potentia majoris acquisitio; quia gignit amicitiam.

Existimatio prudentiæ in rebus gerendis, sive pacis sive belli, potentia est; quia prudentibus regendos nos permittimus libentius quam aliis.

Nobilitas est potentia, non ubique, sed in civitatibus, ubi nobilibus indulgentur privilegia; quia in his illorum consistit potentia.

Eloquentia potentia est, quia prudentia apprens.

Forma potentia est; est enim boni promissio, ideoque commendat hominem hominibus ignotis.

Scientia potentia est; sed parva; quia scientia egregia rara est, nec proinde apprens nisi paucissimis, et in paucis rebus. Scientiæ enim ea natura est, ut esse intelligi non possit, nisi ab illis qui sunt scientia præditi.

Artes, quæ conducunt multum ad utilitatem publicam, potentia sunt; ut artes muniendi, machinas aliaque instrumenta belli fabricandi; quia ad defensionem et victoriam plurimum conferunt.

Dignitas significat interdum valorem sive pretium hominis, nempe tantum, quanti potentia ejus

## CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

usum aliquis emere vellet. Major ergo vel minor est, prout ab aliis æstimatur. Dux militum egregius, præsentē vel imminente bello, magni pretii est; in pace non tanti. Judex peritus et integer pretii in pace magni est; non item in bello. Nam ut in rebus cæteris, ita etiam in hominibus, non ex vendentis, sed ex ementis arbitrio constituitur pretium. Quancūque quis seipsum æstimet, tanti tamen est, quanti æstimatur ab aliis.

Manifestum facere quanti aliquem æstimemus, id ipsum est quod *honorare et inhonorare*; nempe, magni æstimare est *honorare*; parvi, *inhonorare*.

Dignitas autem plerumque significat, non æstimationem qua homo, sed qua civitas aliquem magni æstimat, quando in illum vel imperium vel magistratum, vel negotium publicum quodcūque, vel etiam nomen vel titulum honoris causa confert.

Opem poscere, honorare est; quia potentiam agnoscimus.

Obedire est honorare; quia non paremus nisi illis qui possunt prodesse vel officere. Dona alicui dare magna, est honorare; quia potentiæ agnitio est; et defensionis quædam emptio. Sed parva dare, inhonorare est; quia similis eleemosynæ est, significatque eum, qui dat, illum existimare, cui datur, etiam parvis indigere. In promovendo bono alieno sedulum esse, etiam adulari, honorare est; quia signum est quod protectione vel auxilio indigemus.

Loco cedere in re quacūque cupita, honorare est; quia confessio potentiæ majoris.

Amoris vel metus indicia patefacere, honorare est. In utroque enim est confessio potentiæ.

Laudare, magnificare, beatum dicere, est honorare; quia bonitas, potentia, et felicitas maxime

æstimantur. Contra, convitiari, irridere, miserescere, inhonorare est.

## CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

Quem alloquimur considerate, quem adimus decore humiliterque, honoramus; nam signa hæc sunt nolentis displicere. Contra, temere alloqui, etiam impudenter vel turpiter coram agere, inhonorare est.

Credere, fidere, honorantis est; signum enim est potentiam attribuentis.

Consilium alicujus vel sermonem quemcunque auscultare, honorantis est: signum enim est prudentiam vel ingenium vel eloquentiam attribuentis. Interea dormire, exire, interloqui, contrarium.

Ea facere alicui quæ pro signis honoris ipse accipit, vel ea quæ lex aut consuetudo honoris signa statuit, honorantis est; quia honorem ab aliis illi habitum confirmat.

In opinionibus consentire, honorantis est; ut iudicium et sapientiam ejus comprobantis. Dissentire, contrarium est; utpote erroris, vel si dissentio sit in multis rebus, stultitiæ exprobratio.

Imitari, honorantis est; ut quæ est approbatio vehemens.

Honorare quos quis honorat, honorare ipsum est; nempe iudicii ejus approbatio.

Opera alicujus uti, in capiendo consilio vel in rebus arduis, honorantis est; ut sapientiæ vel potentiae ejus agnitio.

Atque hæc honoris signa, tum in civitatibus tum extra, *naturalia* sunt. In civitatibus autem, ubi est vel ii, qui habent auctoritatem signa honoris constituendi quæcunque volunt, alii sunt honorandi modi.

Civitas civem honorat impertiendo titulum vel provinciam vel negotium quodcunque, si illud honoris signum esse constituerit. Mardochæum rex

## CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

Persiæ tunc honoravit, quando per urbem regio habitu circumduci illum jussit a viro principe proclamante, *Sic fiet illi, quem rex honore afficiet.* Contra, quod fieri jubet civitas contumeliæ causa, *contumelia est*; ut quando idem rex Persiæ cuidam, qui rei alicujus bene gestæ præmium petiit veste regia amictum incedere, quod rogavit concessit, addendo quod vestem illam generet ut regis scurra. Fons enim honoris civilis est persona civitatis, dependetque a voluntate ejus, qui summam habet in civitate potestatem. Itaque honor civilis temporarius est, ut magistratus, ministerium publicum, titulus; et aliquibus in locis tunicæ et scuta picta: qui autem his ornantur, *honorabiles* sunt, atque habentes gratiæ publicæ totidem signa; gratia autem publica potentia est.

Honorabile est, possessio, actio, vel qualitas quæcunque, si argumentum sit potentiæ.

Itaque honorari, amari, vel metui a multis, honorabile est; ut signum potentiæ.

Res prosperæ, dum durant, honorabiles sunt; ut signum favoris divini. Contra adversitas, contemptibilis. Divitiæ sunt *honorabiles*; sunt enim signum potentiæ. Magnanimitas, liberalitas, spes, fortitudo, fiducia, honorabiles sunt; oriuntur enim a potentiæ conscientia.

Id quod faciendum est, opportune, id est nec nimis cito nec sero, determinare, honorabile est; quia natum a contemptu difficultatum et periculorum non magnorum.

Actiones omnes sermonesque, qui nascuntur vel videntur nasci a multa experientia, scientia, judicio, vel ingenio, honorabiles sunt. Sunt enim potentiæ.

Gravitas, quatenus oritur vel videtur orta ab

animo negotiis occupato, honorabilis est; quia res gerere potentia est. Sin procedat ab ipsius gravitatis affectatione, turpis est. Gravitatis enim illa prior similis est tarditati navis, quæ bonarum mercium onere tarde procedit. Sed gravitas illa posterior similis est motui navis sola onustæ saburra, ne evertatur.

CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

Clarum esse, id est multis cognitum esse, propter opes, actiones, vel bonum quodcunque, honorabile est; ut signum potentiæ propter quam cognoscitur.

Claris parentibus ortum esse, honorabile est; quia hujusmodi homines auxilia et amicos majorum suorum ad se facile transferunt.

Actiones, quæ oriuntur ab æquitate, si cum damno fiant, honorabiles sunt; ut signa animi magni.

Cupiditates divitiarum ingentium et honorum magnorum, honorabiles sunt; ut quæ signa sunt potentiæ, quam is qui capit videtur sibi ea adipiscendi possidere. Cupiditas contra rerum exiguarum, turpis est.

Quod ad actionis honorem attinet, modo actio magna et ardua sit, et proinde magnæ potentiæ argumentum, utrum justa an injusta sit parum refert. Consistit enim honor in solius potentiæ existimatione. Itaque ethnici antiqui, qui Deos in versibus suis adulteria, cædes, aliasque magnas quidem sed injustas vel immundas actiones commisisse faciunt, non illos, ut existimavere, deonestabant, sed valde honorabant. Et propterea nihil in Jove magis celebrabant quam ejus adulteria: neque in Mercurio quam furta et fraudes; in cujus laudibus ab Homero ponitur hoc—

“Natus mane, die medio factus citharædus,  
Armentum Phœbi fur vespertinus abegit.”

## CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

Antequam magnæ extiterint civitates, ignominia non erat, sed potius honorificum et negotii genus legitimum, si quis terra vel mari prædo erat; ut ex historiis antiquis manifestum est, præsertim Græcis. Etiam hodie in hac nostra parte orbis terrarum, pugna singularis privatorum, quanquam illicita, honorifica tamen est; et erit, donec excogitatae fuerint leges, quarum virtute fieri potest, ut qui ad pugnam provocat, vilis, qui provocationi non respondet, honorandus videatur. Quod qui fieri possit non video. Nam promptitudo ad pugnam fortitudinis signum semper est, quæ in statu hominum naturali virtus maxima, si non unica est; pugnam autem recusare non natura sed legibus virtus fit, et legibus natura fortior est.

Tunicæ et scuta picta hæreditaria, ubi adjuncta habent privilegia honorabilia sunt; absque illis non item. Potentiæ enim insignium talium consistunt in privilegiis, vel in divitiis, aliave re quæ in cæteris hominibus æque honoratur. Genus hoc honoris vulgo dicta *nobilitas gentis*, ab antiquis Germanis videtur derivata. Res enim omnibus incognita est, nisi quibus cogniti sunt mores Germanorum. Neque usquam hodie in consuetudine sunt, ubi illi non aliquando habitaverunt. Græcorum veterum duces ad bellum exeuntes scuta quidem picta, sed suo quisque arbitrio gestare consueverunt; pauperis et gregarii militis erat scutum purum. Sed ad filios non transierunt scuta ut pars hæreditatis. Romanorum familiis insignia quidem erant sua, quæ ad posteros suos descenderunt; nec tamen scuta, sed imagines majorum suorum. In Asia, Africa, et America tale nihil est. Proprium erat hoc Germanorum; a quibus in Angliam, Galliam, Hispa-

niam, et Italiam manavit, quo tempore magno numero aut Romanis aut sibimet ipsis in his partibus mundi occidentalibus militaverunt.

## CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

Germania enim cum esset antiquitus, sicut cæteræ gentes, divisa inter numerum ingentem regulorum exiguorum, sive potius patrum magnarum familiarum, perpetuo inter se bellantium, reguli illi maxime, ut cooperti armis a militibus suis dignoscerentur, partim etiam ornamenti causa, arma sua aut scuta aut tunicam imagine ornabant alicujus bestię vel alius rei; etiam visibilem notam aliquam cassidi imposuerunt. Quæ ornamenta sive insignia armorum ad filios suos descendebant; et quidem ad natu maximum, sicut erant a patre gestata; ad cæteros autem cum nota aliqua distinctionis, qualem princeps familię, id est Germanice, *heralt*, constituēbat. Sed quando hujusmodi familię conjunctę fuerunt, ita ut magna jam monarchia facta esset, officium hoc principis familię, scuta sive insignia constituendi, alii demandatum est, quem nunc appellant *heraldum*. Atque ex illorum regulorum sobole orta est maxima et antiquissima, quę nunc est, in hac parte orbis nobilitas. Gestant autem aut animalia rapina et fortitudine nota, aut castra, valla, tela, et ejusmodi notas belli. Nihil enim illis temporibus in pretio tanto erat quantum virtus bellica. Postea autem non solum reges, sed etiam civitates populares exeuntibus in bellum vel a bello redeuntibus, provocandę vel remunerandę virtutis causa, scuta diversimodo picta concesserunt. Quę omnia in historiis antiquis, tum Gręcistum Latinis, ubi de Germanorum gente et moribus verba faciunt, inveniri possunt.

Honoris tituli, quales sunt dux, comes, marchio,



## CAP. X.

De potentia, dignitate, et honore.

baro, honorabiles sunt, ut qui significant quantum eos æstimet is vel illi, qui civitatis summam habent potestatem. Tituli autem illi fuerunt olim ministerii publici, et derivati partim a Romanis, partim a Germanis et Gallis. *Duces* enim erant, qui Romanorum exercitus duxerunt: *Comites*, qui comitabantur duces; quibus etiam loca capta et pacata, a redeuntibus *ducibus* regenda et tutanda relinquebantur: *Marchiones* comites erant, qui regebant imperii limites. Atque tituli *dux*, *comes*, *marchio*, in imperium Romanum introducti sunt a consuetudine militiæ Germanicæ circa tempora Constantini Magni. At *baro* Gallorum titulus videtur esse, significatque magnum hominem, vel magnatem, quorum in negotiis bellicis opera maxime utebantur reges. Deducta autem videtur vox a Latina *vir*, unde facilis est lapsus ad *ber*, et *bar*, quæ lingua Gallorum idem significabat quod Latine *vir*; inde facilis erat transitus ad *bero* et *baro*; et inde fiebat Ciceroni vox Latina *berones*, et postea Gallica *barones*, et Hispanica *varones*. Hæc et alia multa de his scripta invenies a Johanne Seldeno in libro de *Titulis Honoris*. Progrediente tempore, propter quorundam hominum potentiam in regno Angliæ reipublicæ incommodam, cessantibus aut ablatis titulatorum horum potentiis, tituli tandem in divites vel bene meritos ad nullam aliam rem collati sunt, quam ad distinguendos civium ordines; factique sunt duces, comites, marchiones, et barones locorum, ubi nec imperium ullum neque agros habuere.

Dignitas etiam accipitur aliquando pro aptitudine: ut dignus sit is imperio vel magistratu qui *idoneus* est, id est, qui qualitatibus illis maxime præditus est, quæ ad imperium et magistratum ad-

ministrandum sunt necessariæ; item dignus divitiis, qui scit illis bene uti. CAP. X.

Dignus etiam dicitur unusquisque ejus rei quam meretur. Meritum autem dignitas nunquam dicitur; nam distinguuntur eo quod meritum præsupponit jus ex promisso; dignitas non præsupponit jus.

De potentia, dignitate, et honore.

---

## CAPUT XI.

### DE VARIETATE MORUM.

PER *mores* intelligo hoc loco, non comedendi, vestiendi, salutandi ritus, aliaque moralia parva, quæ docentur pueri; sed humani generis qualitates illas, quibus pax conservatur et civitatis status confirmatur.

Sciendum autem est vitæ præsentis felicitatem non consistere in tranquillitate sive requie animi. *Finis* enim *ultimus* et *summum bonum*, de quibus loquuntur ethici veteres, locum in præsentè vita nullum habent. Neque is, cujus cupiditates ad finem pervenerunt, vivere potest, magis quam is cujus sensus et memoria perierunt. *Felicitas* progressus perpetuus est ab una cupiditate ad alteram; et adeptio prioris cupiti ad adeptionem posterioris via est. Causa hujus rei est, quod objectum cupiditatis humanæ non est ut eo semel et quasi ad momentum temporis fruatur homo, sed ut fruitionem suam securam in futurum reddat. Itaque actiones voluntariæ non solum eo tendunt, ut bonum procurent, sed etiam ut certum sibi in perpetuum faciant. Sed non eadem via omnium procedunt actiones, propter

CAP. XI.  
De varietate  
morum.

diversorum hominum diversas passiones; partim etiam propter differentiam opinionum, quas habent diversi homines circa causas, a quibus res cupita sit producenda.

Primo ergo loco pono, morem omnium hominum esse, ut perpetuo atque indesinenter potentiam unam post aliam per omnem vitam persequantur; non quod quis majorem sive intensiorem semper speret, quam qua jam fruitur, neque quod modica potentia contentus esse non possit; sed quod potentiam et bene vivendi facultates præsentis conservare non possit, nisi acquirendo plura. Atque hinc est, quod reges, quorum potentia est maxima, ad eam tum domi legibus, tum foris armis tutandam se convertant. Etiam quando hoc quoque recte successit, cupiditas oritur alia nova, aut famæ aut voluptatum novarum.

Divitiarum, honorum, imperii, vel potentiæ cujuscunque cupiditas disponit hominem ad contentionem, inimicitias, et bellum; competitorem enim interficere, vincere, et quomodocunque repellere, competitori alteri ab obtinendum quod cupit via est.

Laudis competitio venerationem producit anti-quitatis. Nam qui vivunt, cum viventibus non cum mortuis contendunt, et his plus justo tribuunt, ut ab illis demant.

Cupiditas otii et voluptatis disponit homines ad parendum potentiæ alicui communi; quia propter cupiditates illas, homines potentiam, quam a sua ipsorum industria sperare poterant, derelinquunt. Metus mortis violentæ et vulnere disponit ad idem, et propter causam eandem. Homines indigiiidemque fortes, nec sorte sua contenti, etiam honoris militaris ambitiosi, disponuntur ad bella et sedi-

tiones excitandas, et ad causas eorum alendas; quia sine his militaris gloria nulla est.

CAP. XI.  
De varietate  
morum

Cupiditas scientiarum pacisque artium disponit ad parendum potentiæ communi; continet enim cupiditatem otii, quod sine potentiæ alienæ protectione haberi non potest.

Amor laudis disponit ad actiones laudabiles, quales placituræ illis sunt, quorum iudicium magnificimus; quorum autem personas, eorum etiam laudes spernimus. Cupido famæ post mortem, idem facit. Quanquam enim post mortem laudes hominum non sentimus, ut quæ gaudia sunt ab ineffabilibus gaudiis absorpta, vel ab indicibilibus doloribus extincta; vana tamen non est, quia fama prævisa per se placet, atque etiam insuper propter bonum ad posteritatem inde redundaturum. Nam etsi hoc nesciant, imaginantur tamen; quod autem in sentiendo placet, placet etiam in imaginatione.

Majora a paribus bona accepisse, quam speramus posse retribuere, disponit ad odium secretum, simulque amorem fictum; facitque hominem similem debitoris, qui non est solvendo; nam talis præsentiam creditoris odit, optatque illum tacitus ibi esse, ubi videri amplius non possit. Beneficia enim obligant; obligatio autem servitudo est; et obligatio insolubilis servitudo perpetua. Servire autem pari odiosum est. Beneficia autem accepta ab eo, quem agnoscimus superiorem, disponit ad amorem; quia obligatio hæc depressio nova non est: etiam acceptatio grata, quæ obligantem semper obligat, habetur ubique pro retributione. Beneficia accepisse ab æquali vel etiam ab inferiore, dum spes est retribuendi, disponit ad amorem. Obligatio enim est boni mutui; unde oritur aliquando in benefaci-

## CAP. XI.

De varietate  
morum.

endo *emulatio*, et certamen omnium utilissimum et nobilissimum, cum quis alterum benefaciendo superabit, ubi victori sua placet victoria, et victo ipsum certasse ultio est.

Læsisse alium plus quam potest aut vult reparare, disponit eum, qui læsit, ad odium læsi. Nam aut ultionem expectat vel veniam, quarum utraque est odiosa.

Damni ab alio metus disponit ad anticipationem vel ad parandos socios. Nam ut quis vitæ et libertatis securus sit, via alia nulla est.

Qui ingenii propriis diffidunt, melius disponuntur in seditionibus ad victoriam, quam illi, qui se sapientes vel astutos esse putant. Nam hi consulere, illi, metuentes decipi, ferire priores amant. Quia autem in seditionibus, homines quasi in procinctu prælii semper sunt, bene inter se consentire et viribus, quotiescunque possunt, uti, stratagema melius est, quam quod facile a subtilitate ingenii nasci potest.

Inanis gloria, quæ, nullo innixa fundamento, virtutum alienarum quasi suarum fictio mera est, quos possidet, ad ostentationem, non ad aggressionem urget; quia, cum ad vera pericula ventum est, nihil expectant, præterquam ut vanitas ipsorum detegatur.

Inanis gloria, quæ pro fundamento habet vel adulationem aliorum, vel actionem aliquam præcedentem, prosperam quidem sed fortuitam, eos quos possidet, ad inceptum quidem acuit, in mediis autem periculis deserit. Itaque pallent, tremunt, fugiuntque, vitæ, quæ reparari non potest, prospicientes potius, quam honori, quem resarciri aliquo modo, mendacio forte, posse sperant.

Qui valde sibi videntur periti rerum politicarum, dispositi ad ambitionem sunt. Quia hujusmodi peritiæ, nisi in negotiis publicis, honor perit. Itaque oratores eloquentes facile ambitiosi fiunt; nam eloquentia, tum sibimet ipsis, tum aliis habetur pro sapientia.

CAP. XI.  
De varietate  
morum.

Pusillanimitas cunctatorem facit, qui rerum gerendarum tempora plerumque perdit; quando enim deliberatum est quantum permittit gerendæ rei necessitas, si quid factu optimum est non appareat, certum est non multum interesse utrum hoc, an illo modo feceris; et per consequens rerum magnarum occasiones, pensitando nugas, amittuntur.

Frugalitas, quanquam in homine privato virtus, illis, quibus ea gerenda sunt quæ multorum hominum vires simul postulant, aptitudinem adimit. Conatum enim debilitat, qui nutriri et conservari præmio debet.

Eloquentia cum blandiloquentia amicos acquirit quibus confidatur; quia illa ut sapientia apparet, hæc, ut amor. Illis si adjungatur existimatio militaris, obedientiam acquirit. Nam qualitates illæ duæ priores contra periculum ab ipso, posterior contra periculum ab aliis cautio est.

Ignoratio causarum disponit, vel potius cogit ad consilium sequendum et auctoritatem aliorum. Omnes enim, quorum interest veritatem scire, si propriis consiliis non acquiescant, aliorum, quos se sapientiores esse putant nec cur fallerent vident, consilia sequuntur necessario.

Ignorare quid verba proprie significant, sive quod idem est, non posse recte intelligere, facit ut veritatem et falsitatem atque etiam verba nihil significantia ab aliena sumamus auctoritate. Neque enim

## CAP. XI.

De varietate  
morum.

error, neque contradictio verborum sine perfecto intellectu potest detegi.

Ab eadem causa proficiscitur, ut sine studio et intellectu claro, distingui non possit inter unam actionem multorum hominum, et plures actiones unius multitudinis. Exempli causa, differentia magna est inter actionem senatorum Romanorum omnium unam, cum interficerent Catilinam, et plures actiones senatorum illorum, qui interfecerunt Cæsarem. Itaque qui parum intelligunt verba, pro actione populi sæpenumero accipiunt actiones, quæ fiunt ab hominum multitudine, quanquam ab unius forte instigatione natæ.

Ignoratio causarum et constitutionis primæ juris, æquitatis, legis, et justitiæ, facit ut homines pro suarum actionum regula sequantur consuetudinem et exempla temporis præteriti, putentque injustum nihil aliud esse, quam quod puniri consuevit, justumque esse quod aliquando impune fuit; quasi pueri, qui boni et mali moris aliam regulam nullam habent, præter parentum et magistrorum correctiones. Pueri tamen sua regula constanter semper usi sunt; homines autem adulti a consuetudine ad rationem, et rursus a ratione ad consuetudinem, quoties volunt, per contumaciam provocant, rationemque oppugnant, quoties ipsorum commoda oppugnat ratio. Doctrina ergo justi et injusti perpetuo disputatur tum scriptis tum armis; doctrina autem linearum et figurarum non disputatur. Quare? Quia in doctrina hac, quænam sit veritas, quia nullius ambitionem, lucrum, aut cupidinem impedit, pauci curant. Nam si propositio hæc Euclidis, *tres anguli trianguli æquales sunt duobus rectis*, utilitati eorum, qui dominabantur, contraria fuisset, non

dubito quin illa, si non disputata, suppressa tamen fuisset. CAP. XI.

Ab ignorantione causarum remotarum, fit ut eventus omnes imputent homines causis immediatis et instrumentalibus ; causas enim alias nullas vident. Itaque quodcumque onerantur ære publico, iras exonerant in publicanos, id est conductores, exactores, aliosque redituum publicorum ministros ; iidemque reprehensoribus publici regiminis sese aggregant ; cumque crimini se immerserint, una cum illis auctoritatem ipsam supremam oppugnant, vel metu supplicii, vel quia ignosci pudet.

De varietate  
morum.

Ignoratio causarum physicarum credulitatem gignit, eo usque aliquando, ut ea credantur quæ sunt impossibilia. Nam quæ sunt, et quæ non sunt impossibilia, non omnes norunt. Credulitas autem, quia maxima pars hominum in congressibus auscultari sibi amat, credulum mendacem plerumque facit. Itaque ignorantia ipsa sine alia pravitate hominem non solum ad mendacia credenda, sed etiam ad narranda, et quandoque etiam ad excogitanda aptum reddit.

Futuri temporis sollicitudo ad causarum investigationem homines adigit ; quia causarum cognitio rerum præteritarum rebus præsentibus lucem præferre solet.

Causas cognoscendi amor hominem ab effectus consideratione ad quærendam causam acuit, et rursus causam causæ, et sic deinceps, donec ad cogitationem hanc veniatur, *causam aliquam esse æternam*, sive qua prior nulla esse potuit. Adeo ut, qui profunde in rerum naturalium contemplationem se immerserit, impossibile sit quin inde disponatur ad credendum unum esse Deum et æternum, quanquam



## CAP. XI.

De varietate  
morum.

ideam naturæ divinæ animo concipere non possit. Sicut enim homo, qui cæcus natus est, etsi audierit dicentes alios se ad ignem calefieri, ducaturque ad eundem ignem ut et ipse calefiat; facile cognoscet esse aliquid eo loco, a quo ipse calefit, quemque homines ignem vocant; cui autem rei similis sit imaginari, aut ideam ignis, qualem videntes habent, habere non potest: ita homo, a contemplatione ordinis rerum visibilium, earundem causam aliquam esse, quem Deum appellant, certus est; nec tamen imaginem aut phantasma ejus inde aliquod animo concipere potest.

Etiam, qui de rerum naturalium causis parum aut nihil solliciti sunt, illis tamen metus quidem inest, ortus ab eo ipso, quod an sit potentia aliqua necne, qua juvari aut lædi possunt, ignorant; atque ab eo metu proclives sunt ad suppositionem et fictionem variarum potentiarum invisibilium, metuuntque sua ipsorum phantasmata, invocantque in rebus adversis, laudantque in prosperis, et faciunt denique Deos. Atque inde factum est ut homines a phantasmatibus suis innumerabilibus innumerabiles creaverint sibi Deos. Metus autem hic invisibilium semen est ejus, quam quisque in seipso *religionem*, in illis autem qui diverse metuunt coluntque, *superstitionem* vocant.

Religionis semen hoc, cum a pluribus animadversum fuerit, a quibusdam cultum et in leges formatum est, opinionesque de causis rerum futurarum variæ adinventæ sunt, quibus putabant optime fieri posse, ut alii servire sibi inducerentur.

## CAPUT XII.

## DE RELIGIONE.

CUM neque signum neque fructus religionis nisi in solo homine animadversum sit, non est dubitandum quin religionis semen in homine solo sit, consistatque in aliqua qualitate, aut saltem in aliquo ejus gradu, homini propria.

CAP. XII.

De religione.

Primo autem, naturæ humanæ proprium est causas investigare eventuum quos vident, alii magis, alii minus, sed omnes, quatenus possunt, causas investigant propriæ fortunæ sive bonæ sive malæ.

Secundo, homines omnes, si alicujus rei principium viderint, concludunt statim eandem rem causam habuisse, quæ effecit ut inciperet eo tempore potius quam alio.

Tertio, brutorum animantium felicitas in fruitione consistit voluptatum sensualium, ut quæ propter tarditatem ingenii consequentiarum dependentiarumque ordinem non observant: homo autem quæ causa quem effectum producit animadvertit, et quæ res antecessit, et quæ consecuta est, memoria tenet; etiam quando causarum verarum inscius est, causas supponit, quas ipse imaginatur vel suggerunt alii, quos seipso sapientiores esse arbitratur.

Ab his naturæ humanæ proprietatibus nascitur anxietas. Rerum enim omnium, quæ hactenus contigerunt aut postea contingent, causas esse homines certo sciunt, conantibusque mala quæ metuunt arcere, et bona quæ cupiunt procurare, temporis futuri sollicitudinem perpetuam evitare impossibile

## CAP. XII.

De religione.

est. Unusquisque ergo, maxime vero is qui in futurum tempus maxime prospicit, similem Prometheo vitam agit. Nam ut Prometheus, id est, Providentia excellens, Monti Caucaso, unde satis longe prospicere erat, affixus, quotidie cor devorandum aquilæ præbuit, ita ut quantum noctibus reficiebatur, tantundem interdium consumeretur; ita cor hominis in longitudinem nimium prospicientis, a metu mortis, vel egestatis, vel calamitatum, vel curis aliis mordacibus sine intermissione, præterquam in somno, roditur.

Metus hic perpetuus, qui genus humanum in causarum ignorantia quasi in tenebris comitatur, objectum habet necessario aliquod. Quia ergo fortunarum suarum causam aliam homines non vident, nihil est quod accusare possunt præter *potentiam* aliquam et *agentem invisibilem*. Atque hinc fortasse erat, quod veterum poetarum aliquis *Deos primos a timore factos esse* dixerit. Id quod de diis, id est, de multis ethnicorum diis, verum est. Agnitio vero *unici, æterni, infiniti, omnipotentis, Dei* ab investigatione causarum, virtutum, operationumque corporum naturalium, quam a cura futuri temporis, facilius derivari potuit. Nam qui ab effectu quocunque, quem viderit, ad causam ejus proximam ratiocinaretur, et inde ad illius causæ causam proximam procederet, et in causarum deinceps ordinem profunde se immergeret, inveniret tandem, cum veterum philosophorum sanioribus, unicum esse primum motorem, id est, unicam et æternam rerum omnium causam, quam appellant omnes *Deum*; atque hoc sine omni fortunarum suarum cogitatione, quarum sollicitudo et metum gignit et ab inquisitione causarum naturalium animum aver-

tit, simulque tot Deorum fingendorum occasionem præbet, quot sunt fere qui eos fingunt.

CAP. XII.

De religione.

Quod ad Deorum materiam sive substantiam attinet, cogitare aliam vix potuere quam qualem putaverunt esse substantiam animæ humanæ. Animæ autem humanæ substantiam talem esse arbitrati sunt, qualis est hominis vel aliorum corporum in somnio vel speculo apparentium species; quam nihil esse aliud præter phantasma nescientes, substantiam realem esse crediderunt, sed tenuem et propterea eam *spiritum* vocabant. Sunt autem *spiritus* corpora tenuissima. Tales fuere ethnicorum *agentes invisibiles*, nimirum Dii et Dæmones. Sed quia modo apparere modo evanescere solebant more phantasmatum, spectra et umbras quam spiritus et substantias nominare maluerunt: corpora tamen esse putabant. Quod autem res eadem et *spiritus* sit et *incorporea*, intelligi non potest; spiritus enim loco et figura, id est, terminis et magnitudine sua aliqua determinatur; et proinde corpus est, utcumque tenue et insensile: illi igitur, qui meditatione propria in cognitionem venerunt unius infiniti omnipotentis et æterni Dei, maluerunt illum supra intellectum nostrum incomprehensibilemque esse confiteri, quam naturam ejus per *spiritum incorporeum*, præter Scripturæ auctoritatem, definire, et deinde confiteri definitionem illam non esse intelligibilem. Sed Deum esse spiritum incorporeum dixerunt fortasse non dogmatice, ut naturam divinam per ea verba comprehenderent, sed ex intentione pia Deum attributo aliquo honorandi, quod corporum visibilium crassitudinem omnem a Deo removeret.

Deinde, qua via invisibilia illa agentia effectus

## CAP. XII.

De religione.

suos prodixerunt, id est, quibus causis secundis utebantur, ii, qui quid sit *causam esse* nesciunt, id est, maxima pars hominum, penitus ignorabant; neque aliter conjicere potuerunt quam ex observatione et memoria ordinis, quo tempore præterito una res aliam antecessit vel consequuta est, quamquam nullam inter antecedentia et subsequencia connectionem viderint. Itaque a similibus præteritis similia expectabant futura, sperabantque bonam aut malam fortunam ab illis rebus quæ nihil omnino speratis contribuebant. Sic Athenienses, propter res ad Naupactum a Phormione contra Lacedæmonios bene gestas, illo mortuo, alium elegerunt Phormionem; item Romani, propter res in Africa contra Annibalem feliciter gestas a Scipione, in eadem Africa imperatorem elegerunt contra Cæsarem alium Scipionem: ambo infeliciter. Idem aliis locis et temporibus factitatum est. Fortunam suam alii, post duos vel tres casus similes, personæ alicui astanti vel fortunato infortunatove loco tribuerunt. Alii verbis quibusdam prolatis, quas incantationes vocant, tantam virtutem ascribunt, ut panem in hominem, quidlibet in quodlibet mutari posse putent.

Tertio, cultus, qui potentiis invisibilibus, dictante sola natura, exhiberi potest, alius non est quam quo homines superiores suos colere consueverunt; nempe signa honoris et reverentiæ, ut dona, preces, gratiæ, submissio, alloquia et gestus decori, et hujusmodi alia. Nam sacrificia cruenta dictamen naturæ non sunt, ut quæ ab initio ad sacrificatores alendos a civitatibus instituta erant. Neque cultus naturalis videtur esse jusjurandum, quia extra statum civilem juramento non est locus. Ratio natu-

ralis cultus alios quam quos dixi non suggerit, sed quicquid ultra est, legibus relinquit singularum civitatum.

CAP. XII.  
De religione.

Postremo, quod ad modum attinet, quo agentia hæc invisibilia hominibus præterita, futura, prospera et adversa indicant, natura nihil dictat. Itaque futura ex præteritis conjicientes, simile ejus, quod effectum aliquem aliquoties antevertit, pro prognostico habent effectus similis sequuturi.

In his autem quatuor rebus, metu spirituum, ignorantia causarum secundarum, cultu eorum quæ timent, et sumptione fortuitorum pro prognosticis, consistit religionis semen naturale, quod per hominum phantasias, judicia, passiones et consilia diversa, adeo diversas produxit ceremonias, ut quæ lege in una civitate comprobantur, in alia derideantur.

Semina autem hæc a duobus hominum generibus culturam nacta sunt. Primum genus est eorum, qui secundum suas ipsorum phantasias religionum authores extiterunt. Alterum eorum, quibus ab ipso Deo præcepta et præscripta religio fuit. Utrorumque autem consilium erat initiatos suos sibi reddere obedientiores. Illorum religio pars politicæ; horum politica pars religionis est, et præcepta continet, qualia illis conveniunt qui in civitatem Dei admittuntur. Illorum religiones a legislatoribus gentium, horum religio ab Abrahamo, Mose, et Jesu Christo, qui regni cælorum leges nos docuerunt, instituta est.

Quod ad agentium invisibilium nomina attinet, nihil est, si modo nomen habeat, quod ab ethnicis aliquibus pro deo aut dæmone habitum non sit; neque res aut locus, quem non ab aliquo spiritu animatum, habitatum, sive occupatum finxerint aliqui.

## CAP. XII.

De religione.

Mundi materia informis deus habebatur, dictus Chaos. Cælum, terra, oceanus, planetæ, ignis, venti, totidem dii. Viri, fæminæ, aves, crocodilus, vitulus, canis, anguis, porrum, cæpe, deificata. Omnia fere loca dæmonibus plena erant; campestria Panibus et Paniscis; silvæ Faunis et Nymphis. Omnis fluvius et fons dæmonem habebat cognomen; unaquæque domus suum larem; unusquisque homo suum genium. Plenum erat dæmonibus infernum; larvæ, lemures, umbræ mortuorum omnibus fere locis. Etiam accidentibus divinitatem attribuerunt, templa ædificarunt, ut tempori, diei, nocti, paci, concordiæ, amori, contentioni, victoriæ, virtuti, honori, sanitati, rubigini, feбри; quæ, cum optarent aut metuerent, invocabant quasi impendentes capitibus deos. Etiam ingenia propria invocabant, nomine Musarum; ignorantiam propriam, nomine Fortunæ; luxuriam propriam, nomine Cupidinis; iram propriam, nomine Furiarum; pudenda propria, nomine Priapi; proprias denique pollutiones incubis et succubis imputaverunt. Adeo ut nihil esset, de quo ut de persona poeta loqui potuit, quod ab illis aut deus aut dæmon non crederetur.

Iidem religionis gentium authores, cum religionis fundamentum animadvertissent esse causarum ignorantem, et inde innatum hominibus morem fortunæ suas causas adscribendi nihil ad effectum attendantibus, obtrudere ignorantibus ausi sunt pro causis secundis secundos quosdam et ministrantes deos, fecunditatem Veneri, artes Apollini, ingenium Mercurio, ventos Æolo, aliosque effectus diis aliis ascribentes. Adeo ut quot sunt rerum agendarum genera, tot fere veteres ethnici habuere deos.

Etiam ad cultum divinum quem natura dictat,

nempe oblationes, preces, gratiarum actiones, cæterasque antedictas, iidem authores imaginum tum pictarum et sculptarum, tum fusarum adorationes addidere, eo fine ut populus, id est, ignorantium multitudo, deos ipsos in istis imaginibus habitare existimaret, et agris, templis, redditibus et sacerdotibus donaret; quæ omnia sacra habebantur, id est, solius sacerdotis commodo destinata, ut cavernæ, luci, sylvæ, montes, insulæ integræ quæ illis consecratæ erant. Diis autem istis non modo varias formas, ut hominum, bestiarum, monstrorum, sed etiam omne genus passionum et facultatum carnalium, ut sexum, sermonem, cupidinem, generationem (generationem non modo mixtione inter se deorum, unde dii, sed etiam mixtione deorum cum hominibus, unde hybridæ orti, ut Hercules et Bacchus) attribuerunt. Etiam eosdem deos adulteros, fraudulentos, fures, omnibusque aliis vitiis conspurcatis faciebant, natis a potentia et quæ leges humanas potius quam honorem videntur violare.

Postremo, ad prognostica futuri, quæ præter experientiam præteriti naturaliter nulla sunt, neque supernaturaliter præter revelationem divinam, iidem authores religionum ethnicarum, fabulas excogitantes et colloquia cum diis simulantes, innumera addiderunt genera divinationum, hominibusque persuaserunt præcognituros se fortunas suas ex responsis absurdis vel ambiguis sacerdotum in Delphis, Delo, aliisque locis propter oracula celebribus; responsis, quæ ad eventus contrarios accommodari possent propter ambiguitatem, vel propter mentem vatis a vaporibus perturbatam (id quod in locis cavernosis mirabile non est) absurdis; vel ex foliis Sybillarum, quarum libri aliquot a civitate Romana,



## CAP. XII.

De religione.

quanquam libri, qui eo nomine nunc extant, videntur subsequentium temporum figmentum esse, pro vaticiniis habiti sunt; vel ex hominum mente captorum deliriis, qui dicebatur enthusiasmus. Hæc omnia theomantia dici possunt. Deinde, futura prædicebant ex aspectibus stellarum, quæ horoscopia erat; vel ex suo cujusque metu vel spe, quod præsagium et thumomantia appellabatur; vel ex prædictionibus sagarum, quam propter ficta cum mortuis colloquia, necromantiam dicebant; vel ex volatu aut pastu avium, quod erat augurium; vel ex animalium cæsorum extis, quæ aruspicina erat; etiam ex quolibet somnio, ex crocitate corvorum, ex lineamentis vultus et manuum, ex qualibet voce fortuita, ex quolibet insolito accidente. Adeo facile est, cujus ignorantiam molliter tractare didiceris, quocunque velis ducere.

Fundatores ergo civitatum et legislatores gentium primi, quibus populum in obedientia continere consilium erat, sedulo providerunt, primo, ut præcepta religionis non ab ipsorum ingenio, sed ab alicujus dei vel dæmonis dictamine populus profecta esse crederet, vel seipsos melioris naturæ homines esse quam cæteros, eo fine ut leges suas libentius acciperent. Sic Numa Pompilius religionis Romanæ ceremonias nymphæ Egeriæ, Mahometes religionem suam Spiritui Sancto apparenti in forma columbæ, imputavit. Sic Peruviæ rex primus se et uxorem suam a sole genitos esse jactavit. Secundo, ut crederent, quæ legibus vetita erant, eadem omnia diis suis displicitura esse. Tertio, ut ceremoniis rite accurateque peractis placari deos, neglectis irritari crederent; adeoque bellorum casus adversos, pestes, terræmotus, singulariumque calamitates cultui neglecto aut

ceremoniæ alicui prætermisæ imputarent. Quamquam autem apud Romanos veteres ea negare, quæ de gaudiis et pœnis post hanc vitam a poetis scripta erant, non prohiberetur, et multi magni gravissimique viri ea publice deriderent, fides tamen illa magis quam contraria semper alebatur.

CAP. XII.  
De religione.

Per has similesque institutiones, ad finem suum, nempe pacem civitatis, hoc saltem obtinuerunt, ut populus calamitates suas errori alicui vel neglectui in agendis sacris, vel propriis legum transgressionibus attribuens, minus contra rectores suos incitaretur, ludis pompisque dierum festorum contentus. Itaque, ne statum conturbaret, nulla re præter dies festos et panem indigebant. Omnem igitur religionem Romani, terrarum fere omnium domini, quæ non habebat aliquid in se regimini civili contrarium, facile tolerabant; neque ullius gentis religionem Romæ vetitam esse legimus præterquam Judæorum, qui, cum essent jamdudum sub regnum Dei, mortali regi obedire illicitum esse crediderunt. Patet ergo religionem apud ethnicos politiæ suæ partem fuisse.

Ubi vero per revelationem supernaturalem plantavit religionem Deus, ibi etiam regnum sibi condidit peculiare; subditisque suis leges dedit, non modo circa officia eorum erga seipsum, sed etiam erga se invicem. Manifestum ergo est in regno Dei politiam et leges civiles omnes religionis partem esse; ideoque distinctionem dominii temporalis et spiritualis in regno Dei nullam fuisse. Deus terrarum quidem omnium rex est; nil tamen prohibet quin gentis alicujus peculiari modo rex esse possit; nulla enim istic incongruitas est. Totius exercitus imperator, peculiarem tamen sibi habere potest co-

## CAP. XII.

De religione.

hortem aut centuriam. Sed de regno Dei tum per pactum, tum per naturam fusius dicetur infra.

A constitutione religionum apparet etiam modus, quo rursus in principia sua prima resolvuntur, nempe in agnitionem divinitatis sive potentiae supernaturalis simpliciter; quæ agnitio nunquam ita aboleri potest, quin inde novæ religiones, si cultores accesserint idonei, germinaturæ sint.

Cum enim religio omnis formata ab initio fundata sit in fide quam habet uni alicui personæ multitudo hominum, quam personam non modo virum *sapientem* esse et *benevolum*, sed etiam *sanctum*, et cui Deus voluntatem suam supernaturali modo dignatus sit *revelare*; necessario sequitur, tunc quando antistitum religionis aut *sapientia* aut *benevolentia* aut *sanctitas* suspecta sit, aut *revelationis* indicium omne deest, ut religio, quam sustentatam vellent, nisi gladius civilis prohibeat, rejiciatur.

Existimatio *sapientiae* in doctoribus tollitur quoties credi jubent contradictoria. Sciunt enim omnes, etiam indocti qui quid sit contradictio nesciunt, in contradictoriis alterum esse falsum. Itaque utrumque credi velle indicium est ignorantiae, omnemque eorum doctrinam suspectam reddit. Quamquam enim vera esse possunt quæ sunt supra rationem naturalem, verumtamen contra rationem nihil est.

Existimatio *sanctitatis* tollitur faciendo dicendoque ea quæ doctorem, quæ docet, ipsum non credere indicant. Atque facta et dicta talia, quia procedentes in via religionis procidere aut titubare cogunt, *scandala* dicuntur, qualia sunt injustitia, crudelitas, hypocrisia, avaritia, luxuria, etc. Si quis enim ea quotidie faciat, quæ ab his exurgunt radi-

cibus, quis potentias invisibiles illas metuendas esse credet, quibus ille alios terrere vellet ?

CAP. XII.

De religione.

Existimatio *benevolentiae* tollitur, quando non gregis, sed sua bona quærun, id est, quando credenda prædicant quæ credi sibi, solis vel maxime, utilia sunt ad potestatem vel divitias comparandas. A quibus enim rebus cuique bonum nascitur, eas res agere censebitur non aliorum, sed sui ipsius causa.

Postremo, quia unicum est revelationis divinæ testimonium operatio miraculorum, si quis, præter religionis receptæ articulos, articulos novos introducere conabitur sine miraculo edito, fides illi, præter eam quam faciunt civitatis leges et consuetudines vel sanctitas fere miraculosa, nulla habebitur. Sicut enim in rebus naturalibus vir prudens argumenta naturalia, ita in supernaturalibus signa supernaturalia postulat.

Deficientis fidei causæ modo dictæ in sequentibus exemplis perspicue apparebunt. Moses, qui populum Israeliticum eduxerat ex Ægypto, dies tantum quadraginta aberat, cum populus ille per seditionem, relicto vero Deo qui paulo ante ipsos a servitute exemerat, fabricatoque vitulo aureo, in idololatriam Ægyptiorum relaberentur. Rursus postquam Moses, Aaron, et generatio illa, quæ magnalia Dei viderat in deserto, mortui essent, surrexit (Jud. ii. 11) generatio nova quæ servivit Baal. Itaque miraculis deficientibus, defecit fides.

Samuelis filii a patre iudices in Bersabe constituti (1 Sam. viii.), quia injuste judicaverunt et dona acceperunt, populus Israeliticus, rejecto regno Dei, regem more gentium poposcerunt. Itaque deficiente rectorum sanctitate, una defecit fides populi. Etiam quod ad Evangelii prædicationem

## CAP. XII.

De religione.

primam oracula per imperium Romanum omnia siluerunt, numerusque Christianorum quotidie et mirabiliter augetur, magna ex parte tribui potest sacerdotum avaritiæ, spurcitiæ, fictisque vaticiniis, vel ad promerendos reges, vel ne nihil prædicere viderentur, ambiguis. Nec multum dissimili de causa ecclesiæ Romanæ apud Anglos nonnullosque alios populos enormis potestas tandem suppressa est; cessante scilicet pastorum sanctitate, populi cessavit fides.

Eadem ecclesia, introducta in religionem philosophia Aristotelis, innumeras inde contexuerunt Scholastici doctrinas sibi invicem repugnantes et contradictorias, clericorum non modo ignorantiam, sed etiam fraudulentiam detegentes. Quæ causa altera erat, quare populus illorum jugum excuteret, principibus partim volentibus, ut in Anglia, partim prohibere non valentibus, ut in Gallia.

Postremo, inter articulos fidei, quos ad salutem necessarios declaravit ecclesia Romana, adeo multi ad Papæ et suorum in dominiis aliorum principum habitantium subditorum spiritualium emolumentum manifeste tendunt, ut nisi illorum mutua obstaret æmulatio, non minus facile esset principibus quibuscunque potestatem illam etiam sine bello ejicere, quam ex Anglia ejecta fuit. Quis enim, cujus bono creditur regis auctoritatem, nisi ab episcopo coronatus sit, a Christo non esse, (causam ceremoniæ illius in coronandis regibus), non animadvertit? Regi, si sacerdos fiat, uxorem ducere non licere? Utrum rex in legitimo matrimonio natus sit, judicandum esse a curia Romana; subditos regis Christiani ab obedientia civili absolvi posse, si hæreticus sit rex? Regem (ut Chilpericus rex

Galliæ) regno privari posse? Clericos et regulares in causa criminis a cognitione civili exemptos esse? Indulgentiæ, missæ privatiæ, aliaque multa populo ad salutem non necessaria, quo tendant, et quantum ad extinguendam fidem, etiam vivacissimam, vim habeant, nisi a potestate civili et consuetudine foveretur, nemo est qui non intelligit. Itaque mutationum in religionibus unam videor mihi causam assignare posse, ingratos sacerdotes.

CAP. XII.

De religione.

---

### CAPUT XIII.

DE CONDITIONE GENERIS HUMANI, QUANTUM ATTINET  
AD FELICITATEM PRÆSENTIS VITÆ.

TUM corporis tum animæ facultatibus adeo æquales inter se produxit natura homines, ut quamvis alii aliis viribus aut ingenio præsent, si tamen omnia simul considerentur, differentia tanta non est ut promittere sibi commodi quicquam possit unus, quod alius sperare æque non potest. Quod attinet ad vim corpoream, raro invenias hominem ita imbecillum, ut fortissimum non possit interficere vel dolo, vel conjunctione cum aliis quibus periculum est commune. Quod autem attinet ad facultates animi, (verborum artibus, id est, scientiarum regulis generalibus exceptis, quas pauci et in rebus paucissimis possident, ut quæ nec nobiscum natæ sint, nec a prudentia sine studio acquisitæ), majorem adhuc invenio æqualitatem. Prudentia enim omnis ab experientia est, et omnibus æquali tempore in iis rebus, quibus animum æqualiter applicant, æqualiter tribuitur a natura. Id vero, quod æqualitatem

VOL. III.

H

## CAP. XIII.

De conditione  
generis humani,  
quantum attinet  
ad felicitatem  
præsentis vitæ.

hujusmodi dubiam videri facit, opinio tantum est eorum qui plus justo se æstimant. Nam fere unusquisque sapienterem se esse credit multo quam est quilibet e vulgo, id est, quam est alius quicumque præter paucos quos propter famam vel propter consensum cum ipso solet admirari. Ea enim est natura hominis, ut quanquam alium aliquem seipso eloquenterem vel eruditorem esse confiteatur, prudenterem tamen esse quemquam non concedet. Ingenium enim proprium a propinquo, alienum a longinquo quisque spectat. Ingeniorum autem æqualitatis argumentum, quantum ad præsens institutum attinet, maximum est, quod unusquisque suo contentus est.

Ab æqualitate naturæ, oritur unicuique ea, quæ cupit, acquirendi spes. Quoties ergo duo idem cupiunt, quo frui ambo non possunt, alter alterius hostis fit, et ad finem sibi propositum, quæ est conservatio propria, alter alterum conatur subjugare vel interficere. Itaque cui animus est vicinum aggrendendi, si nihil sit quo deterreatur præter vim unius hominis, quoties unus aliquis agrum paulo commodiorem possiderit, conseverit, plantaverit, vel inædificaverit, expectandi sunt alii viribus conjunctis parati, non modo laboris ejus omnem fructum, sed etiam vitam vel libertatem sublaturi, idem rursus passuri ipsi a se fortioribus.

In tanto et mutuo hominum metu, securitatis viam meliorem habet nemo anticipatione; nempe ut unusquisque vi et dolo ceteros omnes tamdiu subjicere sibi conetur, quamdiu alios esse, a quibus sibi cavendum esset, viderit. Neque hoc majus est quam et conservatio sua postulat, et ab omnibus concedi solet. Quoniam enim sunt qui animi et

gloriæ causa universum terrarum orbem superare vellent, nisi alii, alioqui modicis contenti finibus, potentiam suam alios invadendo auferrent, sed tantummodo se et sua defendere conarentur, subsistere diu non possent. Itaque dominii acquisitio per vim unicuique, ut ad conservationem propriam necessaria, concedi debet.

## CAP. XIII.

De conditione generis humani, quantum attinet ad felicitatem præsentis vitæ.

Præterea, in congressibus, ubi potentia nulla est quæ omnes coercere possit, voluptas nulla, sed contra molestia per naturam esset. Unusquisque enim tanti a cæteris fieri vellet, quanti ipse sese æstimat, et ad signum omne neglectionis conatur, quantum audet, id est, ubi nulla extat potentia communis, quantum ad mutuas cædes sufficit, ulcisci; scilicet, ut alteri ab alteris majorem sui æstimationem a spectantibus exemplo ultionis extorqueant.

Itaque in natura humana simultatum inveniuntur tres præcipuæ causæ, *competitio, defensio, gloria*; quarum prima ad dominium, secunda ad securitatem, tertia ad famam spectat. A prima est, quod de lucro; a secunda, quod de salute; a tertia, quod de nugis pugnetur, nimirum, de verbo, de risu, de opinione, de omni signo parvipendii sive ipsorum, sive cognatorum, amicorum, patriæ, professionis, vel nominis.

Manifestum igitur est, quamdiu nulla est potentia coerciva, tamdiu conditionem hominum eam esse quam dixi bellum esse uniuscujusque contra unumquemque. Consistit enim natura belli, non in pugna, sed in tractu aliquo temporis, quo durante voluntas armis decertandi est manifesta. Itaque in natura belli, sicut in natura tempestatum, considerandum est tempus. Nam ut unus imber non denominat tempestatem humidam; ita neque pugna quælibet



CAP. XIII. denominat bellum. Tempus autem bello vacuum, *pax* est.

De conditione  
generis humani,  
quantum attinet  
ad felicitatem  
præsentis vitæ.

Quicquid ergo bello omnium contra omnes naturaliter adhæret, idem conditionem hominum, sine alia securitate quam quæ a cujusque robore et ingenio expectari potest, necessario comitatur. In conditione autem tali locus industriæ nullus est, quia nullus fructus. Nullus ergo terræ cultus, nulla navigatio, ædificia commoda nulla, instrumenta quibus quæ majoribus indigent viribus moveantur nulla, faciei telluris cognitio nulla, temporum computatio nulla, nullæ artes neque societas; sed quod gravissimum est, mortis violentæ metus et periculum perpetuum, vitaque hominum solitaria, indiga, bruta, et brevis.

Illis, qui hæc non pensitaverunt, mirum fortasse videbitur, naturam homines dissociavisse et ad mutuam cædem aptos produxisse; et tamen hoc perspicue illatum est ex natura passionum, et præterea experientiæ consentaneum. Cogita enim, quando iter ingrederis, cur comites quæris, arma gestas? Quando dormitum is, fores claudis, arcas obseras, idque legibus et ministris armatis ad omnem violentiam ulciscendam paratis, qualem habeas opinionem de concivibus, de vicinis, et de domesticis? Nonne cautela ista tua genus humanum æque accusas atque ego? Neutri naturam accusamus. Passiones hominum peccata non sunt, neque quæ inde oriuntur actiones, quamdiu quæ illas prohibeat potestatem nullam, qui faciunt, vident; neque enim lex cognosci potest, quæ non sit lata; neque ferri, quamdiu in legislatorem consensum non sit. Sed quid hominibus doctis conamur demonstrare id quod ne canes quidem ignorant, qui accedentibus

oblatrant, interdiu quidem ignotis, noctu autem omnibus ?

Sed omnium in omnes, inquiet aliquis, bellum nunquam erat. Quid, nonne fratrem suum Abelem invidia interfecit Cain, tantum facinus non ausurus, si communis potentia, quæ vindicare potuisset, tunc extitisset ? Nonne hodie multis in locis ita vivitur ? Americani, excepto quod per familias parvas legibus paternis subditi sunt, quarum familiarum concordia similitudine sola cupiditatum sustinetur, ita vivunt. Qualis etiam vita hominum esset nulli potentiæ communi subditorum, ex vita eorum cognosci potest, quibus bellum est civile.

Quamquam autem tempus nunquam fuerit, in quo unusquisque uniuscujusque hostis erat, reges tamen et personæ summam habentes potestatem omni tempori hostes inter se sunt. Semper enim alii aliis suspecti sunt, more stantes gladiatorio, armis oculisque intentis, id est, castellis et præsiidiis ad confinia collocatis, et exploratoribus in hostico latitantibus, quæ est conditio belli. Sed quia subditorum saluti provideri aliter non potest, non sequitur inde miseria illa quæ privatorum hominum libertatem plenam sequutura esset.

Præterea, bello omnium contra omnes consequens est, ut nihil dicendum sit injustum. Nomina justi et injusti locum in hac conditione non habent. Vis et dolus in bello virtutes cardinales sunt. Neque sunt justitia et injustitia corporis aut animæ facultates ; nam si essent, homini inesse possent qui in mundo solitarius esset et unicus. Qualitates quidem hominis sunt, non autem quatenus hominis, sed quatenus civis. Eidem conditioni hominum consequens est, ut nullum sit dominium, nulla pro-

## CAP. XIII.

De conditione generis humani, quantum attinet ad felicitatem præsentis vitæ.

## CAP. XIII.

De conditione  
generis humani,  
quantum attinet  
ad felicitatem  
præsentis vitæ.

prietas, nullum meum aut tuum, sed ut illud uniuscujusque sit, quod acquisivit, et quamdiu conservare potest.

Atque hæc sufficiant dicta de conditione humana mere naturali; a qua tamen partim a ratione, partim etiam a passionibus liberari potuit.

Passiones quibus homines ad pacem perduci possunt, sunt metus, præsertim vero metus mortis violentæ, et cupiditas rerum ad bene vivendum necessariarum, et spes per industriam illas obtinendi. Pacis autem articulos quosdam suggerit ratio, quæ leges sunt naturales; de quibus fusius dicemus in duobus capitibus proxime sequentibus.

## CAPUT XIV.

## DE DUABUS PRIMIS LEGIBUS NATURALIBUS, ET DE CONTRACTIBUS.

Jus naturale est libertas, quam habet unusquisque potentia sua ad naturæ suæ conservationem suo arbitrio utendi, et per consequens illa omnia, quæ eo videbuntur tendere, faciendi.

Per libertatem intelligo (id quod ea vox proprie significat) externorum impedimentorum absentiam.

At lex naturalis præceptum est sive regula generalis ratione excogitata, qua unusquisque id, quod ad damnum suum sibi tendere videbitur, facere prohibetur. Etsi autem vocabulis *jus* et *lex* promiscue sæpenumero utantur scriptores, distingui tamen debent. Consistit enim *jus* in faciendi vel non faciendi libertate; sed *lex* ad faciendum obligat vel ad non faciendum. Itaque *jus* et *lex* differunt ut libertas et obligatio, quæ circa eandem rem sunt inconsistentes.

Quoniam autem conditio hominum (ut præcedente capite ostensum est) est conditio belli omnium contra omnes, et propterea unusquisque sua ipsius ratione gubernatur; et quia nihil est, quod in vita contra hostem defendenda utile ei aliquando esse non possit; sequitur in conditione hominum naturali omnium in omnia jus esse, ipsis hominum corporibus non exceptis. Quamdiu ergo jus illud retinebitur, nulla cuiquam, etsi fortissimus sit, securitas esse poterit. Rationis ergo præceptum sive regula generalis est, *pacem quidem, dum ejus obtinendi spes est, quærendam esse; quando autem haberi non potest, auxilia undecunque quærere, et illis uti licitum esse.* Regulæ hujus pars prima continet legem naturæ primam, *pacem quære et persequere*; secunda est juris naturalis summa, *omnibus viis et modis seipsum defendendi jus unicuique esse.*

CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

A lege naturæ prima oritur secunda, *oportere unumquemque, quoties paci et defensionis propriæ provisum erit, a jure suo in omnia, cæteris idem facere paratis, decedere, contentumque esse eadem libertate quam cæteris concedi vellet.* Quamdiu enim faciendi omnia, quæ vult, jus retinet, tamdiu bellum manet. Verum si cæteri jura sua in omnia deponere recusent, neque ille suum deponere obligatur. Alioqui cæteris in prædam potius se exponere, quod natura non postulat, quam pacem persequi putaretur. Atque hæc lex eadem est cum illa Evangelii, *quicquid vobis fieri vultis, id facite aliis; et cum illa omnium gentium, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

In rem aliquam jus suum *deponit, qui libertate illa se privat, quam habet, cæteros impediendi quo*

## CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

*minus quilibet eorum jure suo utatur in rem eandem.* Nam qui juri suo renuntiat vel jus suum transfert, jus novum, quod per naturam non ante habuit, nemini tribuit ; quia omnibus in omnia jus erat ; sed cedit ei tantum, eo fine ut jus, quod ante habuit, sine impedimento a se orto libere fruatur ; a se, inquam, orto, non ab alio. Itaque quod alteri accedit ex jure alieno in se translato, nihil aliud est quam sublatio impedimentorum a parte solius transferentis.

Deponitur jus vel simplici *renuntiatione*, vel *translatione* ad alium. Simpliciter renuntiat, qui in medium abjicit, nemini tribuens. Transfert, qui certo alicui concedit. Utrovis autem modo faciat, jus habentem, quin re utatur, impedire non debet ; esset enim hoc suum ipsius actum irritum facere. Injustitia enim injuria etiam dicitur ex eo, quod, deposito ante jure, absque jure impedimentum fit. Est enim in controversiis hominum injustitia similis ejus, quam in Scholis absurditatem vocant. Sicut enim iis, quæ initio supposita erant, contradicere *absurdum* ; ita quod faciendum voluntarie susceperis, irritum facere, *injustum* appellatur. Modus autem, quo quis juri suo renuntiat vel jus suum transfert, talis est ; signo vel signis idoneis voluntarie declarat, tali juri se renuntiare vel renuntiasse ; vel ad hunc jus suum se transferre vel transluisse. Sunt autem signa illa vel verba, vel facta, vel, ut plerumque fit, utraque. Atque hæc sunt vincula illa quæ, non a sua natura, sed a metu damni a promissi violatione robur habent.

Quotiescunque jus suum derelinquit quis vel transfert, ea causa id facere intelligitur, ut sibi reciproce ab eo, cui translatum est, jus aliquod vel

aliud bonum accipiat. Nam qui prior transtulit, voluntarie id fecit; voluntatis autem objectum semper bonum est aliquod volenti. Sunt autem res aliquæ, quæ neque verbis neque aliis signis transferri aut relinqui possunt; quia cui bono id fecerit, intelligi non potest. Idem de vulneribus et incarcerationatione dicendum est. Secundo, jus contra vim se defendendi necessario retinetur; nam qui se defendit, quousque vis progressura est ignorat. Tertio, finis, propter quem relictio vel translatio juris introducta est, alius non est, quam vitæ et mediorum ad vitam conservatio. Si quis ergo verbis signisve aliis spoliare se fine videatur, propter quem illis usus esse intelligitur, id fecisse voluntarie existimandus non est, sed per ignorantiam, verborum et signorum illorum vim non intelligens.

CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

Translatio juris mutua *contractus* dicitur. Differunt autem inter se *jus transferre*, et *rem transferre* sive *tradere*. Traditur res eodem tempore aliquando quo transfertur jus, ut fit in emptione et venditione, quando alter pecuniam, alter mercem, simul cum jure transfert; aliquando etiam transfertur jus, antequam tradatur res.

Præterea, alter contrahentium ad tradendam rem vel ad contractum exequendum altero prior esse potest; tunc posteriori *credi* sive *fides haberi* dicitur; et promissio ejus *pactum* dicitur; et non præstitisse, *violatio fidei*.

Quando translatio juris mutua non est, contrahentium autem alter jus vel rem transfert spe amicitiae vel officii ab eo cui transfert, vel existimationis causa apud alios, vel ex charitate, talis translatio *donatio* et *gratia* appellatur.

Contractuum signa expressa sunt verba; debent

## CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

autem prolata esse de tempore præsentis vel præteriti, ut *do, dedi, concedo, concessi*. Nam si de futuro sunt, ut *dabo, concedam*, continent quidem transferendi juris promissionem, sed nondum quicquam transferunt.

Contractus signa, per consequens interdum sunt consequentiæ verborum, interdum consequentiæ silentii, interdum consequentiæ actionum, interdum etiam consequentiæ omissionum. In universum autem signum contractus per consequens, est quicquid contrahentis voluntatem contrahendi satis indicat.

Verba sola, si de futuro sunt, donationis signum idoneum non sunt. Nam verba hæc, *cras dabo*, significant nondum dedisse, et proinde jus nondum translatum esse, sed manere. Sin de præsentis vel præteriti sint, ut *do* vel *dedi habendum cras*, tunc jus crastinum recte transfertur, idque vi verborum, etsi voluntatis signum aliud nullum sit. Magna enim differentia est inter *volo hoc tuum esse cras*, et *cras tibi hoc dabo*. Nam illic *volo*, præsentem et certam voluntatem; hic futuram, id est incertam, id est nullam, indicat; quia voluntatis suæ crastinæ dominus nemo est. Illic ergo jus de præsentis debet intelligi.

Athlotheta, in certamine cursus, pervenienti ad metam primo præmium promittit verbis de futuro; debitum tamen illi præmium est, quamquam gratis datum, quia, nisi id voluisset athlotheta, illos ad certamen non invitasset.

In contractibus etiam jus transit per verba de futuro, nempe ubi translatio juris mutua est. Nam qui promisit, ideo transferre jus suum velle intelligitur, quia bonum, propter quod promisit, jam ac-

cepit. Alioqui is, qui promisit, præstiturus non esset. In emptione ergo et venditione aliisque contractibus, promissio tantum valet quantum pactum.

## CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

Qui in contractu prior præstat, præstationem alterius facit debitam. Sic in certamine, vel quando projiciuntur nummi præripienti habendi, præmium illud victori vel præripienti jure proprium est. Nam in ipsa certaminis indictione jus transfertur.

Verum, si contractus fiat, quo neuter contrahentium statim præstare obligatur, sed ad diem certum futurum, pactum illud in mera conditione naturæ, id est in bello, si quæcunque interveniat suspicio de præstando, invalidum est: in civitate non item. Nam qui prior præstat, in casu priore incertus est an præstiturus sit alter; in civitate certus est, quia est qui cogat. Itaque nisi potentia communis aliqua sit coerciva, is qui prior præstat seipsum hosti prodit, præter jus naturale se et sua defendendi.

Suspicionis autem, quæ pactum invalidum reddere possit, causa debet esse aliquid quod pactum sequitur, signumque sit voluntatis non præstandi; alioqui pactum irritum facere non potest. Quod enim impedire non potuit quin promiseris, impedire non debet quin promissum præstes.

Qui jus aliquod transfert, etiam usum rei, quantum in se est, una transfert. Ut qui agrum vendit, herbam et quodcunque agro innascitur vel inædificatur simul vendit; et qui molendinum vendit, aquam, qua agebatur, avertere non debet. Et qui regendi summam potestatem alicui transferunt, intelliguntur iidem jus dedisse exigendi pecunias ad milites alendos, et creandi magistratus et ministros publicos.



## CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

Pacisci cum brutis, quia sermone carent quo voluntates significare possunt, impossibile est.

Pacisci cum Deo, nisi mediante aliquo, quem Deus alloquatur, vel qui locum Dei teneat, impossibile est; aliter enim, an Deus etiam pactus sit nec ne, ignoramus. Itaque qui vovet Deo aliquid, quod contra legem naturalem sit, frustra vovet, quia illicitum est: sin lege naturali mandatum sit, frustra est, quia vovens, non voto suo, sed naturæ lege obligatur.

Materia sive objectum pactorum semper aliquid est, de quo deliberari potest, propterea quod deliberatio, quæ est actus voluntatis, intelligitur semper de futuro, et de eo quod a paciscente fieri possibile existimatur.

Itaque promittere ea, quæ impossibilia esse scimus, pacisci non est. At si contingat post impossibile esse, quod credebatur possibile, pactum validum est, obligatque ad præstandum, non rem promissam, sed tantundem; sin hoc quoque sit impossibile, ad conatum præstandi quantum potest.

Pactis liberamur duobus modis, si præstiterimus vel si condonatum sit. Est enim præstatio omnis pacti terminus naturalis; condonatio autem est libertatis restitutio, sive remissio juris obligationem constituentis.

Pactum etiamsi metu extortum sit, in conditione tamen hominum naturali validum est; ut si paciscar cum hoste servandæ vitæ causa pecuniam dare, præstare teneor. Contractus enim est, in quo alter jus in vitam, alter in pecuniam transfert. Itaque ubi nulla lex alia sit, ut in conditione naturali, quæ præstationem prohibeat, pactum validum est. Sic bello captus, si libertatem ea conditione acceperit

ut pretium redemptionis post solvat, solvere obligatur. Etiam princeps cum principe fortiore si pacem incommodam metu fecerit, observare debet, nisi, ut supradictum est, causa aliqua nova et justa oriatur, quæ excuset. Item in civitate, si a latrone vitam redimere promissa pecunia coactus fuero, præstanda pecunia est, nisi lex civilis prohibeat. Quicquid enim facere licitum est non obligato, idem licite pacisci possum propter metum. Quod autem licitum est pacisci, illicitum est non præstare.

Pactum prius posterius invalidum reddit. Jure enim, quod quis transtulit hodie, cras carebit.

Si quis se seipsum non defensurum esse contra vim paciscatur, pactum invalidum est. Nam, ut ante ostensum est, jus se defendendi contra mortem intentatam, vulnera, incarcerationem, quorum fugiendorum causa jus in omnia naturale depositum est, deponere nemo potest. Nam etsi aliquis recte pacisci possit sic, *nisi hoc vel illud fecero, occide*; pacisci tamen non potest sic, *nisi hoc vel illud fecero, occisuro non resistam*. Eligit enim homo naturaliter minus malum, id est periculum a resistantia, potius quam malum majus, nempe mortem certam. Atque hæc norunt omnes qui condemnatos sive ad carcerem sive ad mortem armati ducunt.

Si quis paciscatur seipsum accusare, nisi certus veniæ fiat, pactum invalidum est. Nam in conditione naturæ ubi non sunt judicia, nullus est accusationibus locus. In statu autem civili, accusationem sequitur supplicium; cui, cum sit vis, nemo obligatur non resistere. Idem verum est de accusatione eorum quorum condemnatione conjicimur in miseriam, quales sunt pater, uxor, aliique necessarii; testimonium enim eorum, utpote invitis dictum, a

## CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

**CAP. XIV.** natura ipsa corrumpi præsumendum est, neque ergo recipiendum. Neque accusationes expressæ per tormenta pro testimoniis habendæ sunt. Tormenta enim explorationi tantum inserviunt; et quicquid tortus confitetur, ad relaxationem cruciatuum spectat, non ad torquentium instructionem. Sive enim vera sive falsa confessione se expediat, jure id facit, jure inquam vitam propriam conservandi.

De duabus pri-  
mis legibus na-  
turalibus, et de  
contractibus.

Verba per se, ut ante dixi, homines ad pactorum præstationem constringendi vim non habent. Duo autem ei rei auxilia tantum sunt, nimirum, metus damni a violatione pacti, vel quia fallere, ut signum impotentia, dedignentur. Posterior hæc causa generositas adeo rara est, ut in rationes venire non debeat. Solus metus considerandus est, isque duorum generum, quorum alter est metus potentiarum invisibilium, alter metus potentia humanæ; et prior quidem metus est majoris potentia; posterior autem major metus. Metus prior a sua cujusque religione est, ineratque hominibus ante omnem societatem civilem. Posterior metus cum civitatibus natus est; sed ad cogendos homines ad pactorum præstationem non sufficit. In conditione enim naturæ differentia potentiarum non discernitur, nisi per eventum belli. Itaque ante societatem civilem, et quoties societas civilis per bellum interrumpitur, nihil est, quo pacta confirmari contra cupiditates hominum melius possunt, quam metus agentis invisibilis, quem vocant omnes Deum, diversis ritibus adorantes. Ad firmanda ergo pacta paciscentibus necessarium visum est, ut per deum, quem metuebant, pacta sua se præstituros esse jurarent. Juramentum autem est *promissioni adjuncta formula orationis, qua qui promittit, nisi promissum præstiterit, deum ulto-*

*rem invocat.* Formula apud Romanos hujusmodi erat, *mactet me Jupiter, sicut ego macto hanc bestiam*; et apud nos, *hoc faciam, ita me juvet Deus*. Atque hæc faciebant cum ceremoniis ritibusque unusquisque religionis propriæ, ut tanto magis a juramenti violatione deterreretur.

CAP. XIV.

De duabus primis legibus naturalibus, et de contractibus.

Constat hinc juramentum alia forma juratum, quam quæ est secundum religionem jurantis, infirmum esse. Constat item juramentum non esse nisi per deum jurantis. Quamquam enim ethnicorum aliqui per reges suos jurare soliti sunt, simul tamen intelligi divinum illis honorem a se tribui voluerunt. Juramenta autem illa non requisita, sed voluntaria, frequenter jurata, juramenta proprie dicta non sunt, sed nominis divini abusio, nata ex prava consuetudine omnia nimium vehementer asserentium.

Constat denique, quod obligationi a juramento nihil additur. Pactum enim, si licitum sit, obligat per vim legis naturalis sine jurejurando; sin illicitum sit, ne addito quidem jurejurando obligare potest.

---

## CAPUT XV.

### DE LEGIBUS NATURÆ ALIIS.

A LEGE naturæ, quæ impediencia pacem humanam jura relinquere jubet, sequitur lex naturæ tertia, *præstanda esse pacta*. Nam absque eo jus in omnia frustra deponitur, manetque omnium contra omnes bellum.

Atque in hac lege consistit natura justitiæ. Ubi enim non præcessit pactum, ibi jus nullum est translatum, sed omnia omnium sunt. Nihil ergo

## CAP. XV.

De legibus  
nature aliis.

est injustum. Manifesta hinc est injustitiæ definitio, *injustitia est pactorum non præstatio*, sive, quod idem est, *fidei datæ violatio*. Justum autem est, quod injustum non est.

Quoniam autem pacta fidei mutuæ, ut ante ostensum est, propter metum unius ne alter fallat, invalida sunt, etsi origo justitiæ sit pactum, pactum tamen non præstare, ubi causa metus sublata non est, non est injustitia. Sublata autem non est, manente jure omnium in omnia. Vocabula ergo *justum* et *injustum* ante potentiam civilem, quæ violationem pactorum ulcisci posset et cuique proprietatem suam pactis acquisitam stabilire, usurpata non fuerunt. Idem intelligitur ex recepta in Scholis justitiæ definitione, *justitia est voluntas constans suum cuique tribuendi*. Nam ubi *suum* non est, id est, ubi *proprium* non est, ibi *injustum* nihil est; et ubi *civitas* non est, nihil est *proprium*. Justitiæ autem essentia consistit in præstatione pactorum, quæ tunc valida esse incipiunt, quando constituta est civitas; itaque civitas, proprietas bonorum, et justitia simul nata sunt.

Dixit insipiens, “Non est justitia; conservationis suæ singuli et soli curam gerunt; rationis ergo est ut faciant singuli quicquid eo conducere sibimet ipsis videbitur, id est, pacta facere vel non facere, custodire vel non custodire arbitrio suo.” Pacta facere licitum esse non negat, nec observationem eorum justitiam vocari, violationem injustitiam. Sed injustitiam, sublato timore Dei, consistere aliquando posse dicit cum recta ratione. “Regnum,” inquit, “Dei acquiritur violentia. Quid si ab homine acquiri possit per violentiam injustam, anne contra rectam rationem esset, cum impossibile esset ut inde

ullum sibi malum, sed summum bonum sequeretur? Si contra rationem non est, quomodo contra justitiam est?" At hujusmodi ratiocinatione ortum est ut ab aliquibus scelera prospera virtutes existimatæ sint; utque fides, regnandi saltem causa, violanda esset. Crediderunt ethnici Saturnum cœlo expulsum a Jove esse, qui Jovem tamen injustitiæ ultorem existimaverunt: etiam jurisprudentium nostrorum aliqui hæredem regni, etsi proditor sit, statim ac moritur rex, in regnum succedere debere. "Hujusmodi facinora quocunque nomine appellata contra rationem, inquit, non sunt; quia omnes omnium actiones voluntariæ tendunt naturaliter ad bonum sibi met ipsis, et maxime rationales sunt, quæ eo maxime tendunt." Verumtamen ratiocinatio hæc, utcunque speciosa, falsa est.

Quæstio enim non est de promissis mutuis in conditione hominum naturali, ubi nulla est potentia cogens; nam sic promissa illa pacta non essent. Sed existente potentia quæ cogat, et si alter promissum præstiterit, ibi quæstio est, an is, qui fallit, cum ratione et ad bonum proprium congruenter fallat. Ego vero contra rationem, et imprudenter facere dico. Primo enim in civitate, si quis id faciat, quod, quantum prospici et ratione intelligi potest, ad suam ipsius tendit destructionem, quantum improvisum aliquod accidat quod eventum felicem efficiat, factum nihilominus fuisse imprudenter, quia improvisum. In conditione autem naturali, ubi unusquisque uniuscujusque hostis est, sine ope sociorum secure vivere nemo potest. Hominem autem, qui pacta fallere rationis esse putat, in societatem, quæ mutuis pactis ad singulorum defensionem initur, quis nisi per inscitiam admittet,

## CAP. XV.

De legibus  
naturæ alii.

aut admissum retinebit? Quare aut ejectus peribit, aut quod ejectus non sit, alienæ debet inscitæ, quod est contra rectam rationem. Etiam ipsa regni cœlestis per injustitiam acquisiti suppositio ridicula est; per solam enim justitiam acquiri potest.

Præterea, supposito quod regnum acquisitum sit per rebellionem, etiam sic contra rectam rationem acquisitum erit; tum quia successus tales ad initio incerti sunt, tum quia exemplo suo docentur alii tantundem audere contra ipsos. Pactorum ergo observatio rationis præceptum est, id est, lex naturalis.

Sunt alii qui præcepta, quæ ad conservandam vitam præsentem conducunt, leges naturæ esse negant, sed illa quæ ducunt ad felicitatem vitæ æternæ; ad quam conducere aliquando dicunt pactorum violationem, quæ violatio propterea justa est. Atque hi sunt, qui pietatis opus esse dicunt, reges suos prætextu religionis bello persequi, deponere, et interficere. Sed quoniam status humani post mortem scientia nulla est, sed tantummodo fides hominibus certis habita, dicentibus se id scire supernaturaliter vel accepisse ab aliis supernaturaliter scientibus, et sic alii ab aliis ascendendo; violatio pactorum juxta illorum sententiam non legis naturalis, sed supernaturalis violatio est. Legem autem supernaturalem habemus nullam præter Scripturam sacram. Ea autem obedientiam regibus præstare, et pacta observare passim præcipit.

Alii, rursus, pacta observanda esse concedunt, præterquam cum hæreticis. Sed hoc quoque iniquum est. Nam si vitium personæ satis causæ sit pacti violandi, satis etiam causæ debebat esse non paciscendi.

Justum et injustum vocabula, aliud *hominibus*,

aliud *actionibus* attributa significant. Hominibus attributa morem vel habitum significant, ut virtutem aut vitium. Sic homo, cui constans est voluntas jus suum unicuique tribuendi, etsi actiones ejus aliquando injustæ fuerint, ipse tamen justus est, modo justitiam amet, vel quod injuste fecerat, etiamsi clam sit, ipse damnet, factum nolit, damnum, si quod factum sit, resarciat quantum potest. Injustus contra est, qui justitiam negligit, etsi metu vel alia causa sinistra nemini unquam injuriam fecisset. Id quod justitiam veram et facere et condire solet, est animi generositas quædam, quicquam fraudi et perfidiæ deberi dedignantis. Justitiæ autem actiones denominant hominem, non *justum*, sed *insontem*; ut contra injustitiæ actiones, id est injuriæ, non *injustum*, sed *sontem*.

## CAP. XV.

De legibus  
naturæ aliis.

Præterea, injustitia hominis est animi ad injuriam faciendam habitus, injustum faciens etiam ante quam facta sit injuria propter voluntatem faciendi. Sed injustitia actionis personam aliquam affectam injuria supponit, nempe illum, quicum pactum est. Itaque contingit aliquando injuriam alius, damnum quod ab injuria est, alius facit; ut quando dominus debitam alicui solvere pecuniam servum jusserit, si servus non fecerit, injuria quæ creditori fit a domino est, quæ domino fit a servo est; non enim servus, sed dominus cum creditore pactus est. Similiter, in statu civili, debita sibi remittere homines privati possunt; sed latrocinia non item, quia sunt quasi debita publica, ita ut injuriæ factæ sint civitati.

Quod volenti fit, injuria non est. Nam nisi pactum sit ut non faceret, injuria esse non potest; si pactum sit, tollitur obligatio per voluntatem obligantis, id est ejus, quicum pactum est.



## CAP. XV.

De legibus  
naturæ aliis.

Justitia actionum dividitur a scriptoribus in commutativam et distributivam; quarum priorem dicunt in proportione arithmetica, posteriorem in geometrica consistere; ita ut commutativam in rerum commutandarum æqualitate quoad pretium, distributivam in beneficiorum æqualiter merentibus æquali distributione consistere dicant; quasi pluris vendere quam emimus injustum esset. Pretium omnium rerum contrahentium appetitu æstimatur; pretiumque justum est in quod ambo emptor et venditor consentiunt. Meritum autem, præterquam quod in contractibus qui prior præstat, ut alter quoque præstet post, mereri dici possit, non ex jure, sed ex gratia est. Distinctio ergo illa, illo quo exponi solet sensu, bona non est. Justitia commutativa proprie est justitia contrahentium, id est, conservatio pactorum de venditione et emptione, de mutuo datione et acceptione, de conductione, de commutationibus aliisque actibus contrahentium.

Justitia autem distributiva est justitia arbitri, qui quia fides ei adhibetur, si fidem servat, utrique parti quod suum est distribuit; et alia non est quam æquitas.

Ut ab antecedente pacto justitia, ita ab antecedente gratia dependet gratitudo, quæ est lex naturalis quarta, et comprehenditur hac formula: *qui beneficium gratis datum accipit, conari debet ne danti justa causa sit beneficii dati pœnitendi*. Nemo enim dat nisi respiciens ad bonum sibi, propterea quod omnis actionis voluntariæ finis bonum volenti est; quod bonum si frustra expectandum esse homines scierint, nullum erit benefaciendi initium, neque confidentiæ mutuæ, neque mutui auxilii, neque reconciliationis inter inimicos. Manebunt ergo in

conditione belli : quod est contra legem naturæ primam, quæ pacem quærendam esse dictat.

Lex naturæ quinta est, ut *unusquisque se commodum cæteris præstet*. Quod ut intelligatur, considerandum est, esse in hominum ad societatem aptitudine ingeniorum diversitatem, a diversitate passionum ortam, non dissimilem ejus quam videmus in congestis ad domum ædificandam lapidibus. Sicut enim lapis, qui propter asperitatem et figuræ irregularitatem plus loci proximis adimit quam ipse implet, neque propter duritiam complanari potest, ab ædificantibus ut inutilis et molesta abjicitur : ita etiam homo, qui propter asperitatem ingenii de rebus contendit, sibi quidem superfluis, vicino autem necessariis, nec propter affectuum contumaciam corrigi potest, e societate ejiciendus est. Cum enim unusquisque naturæ non modo lege, sed etiam necessitate, conservationem propriam, et quæ ad eam necessaria sunt conari intelligitur ; is, qui ob superflua repugnat, belli sequuturi reus est, facitque contra legem naturæ primam.

Lex naturæ sexta est, ut *unusquisque, accepta temporis futuri cautione, præteritas injurias pœnitentibus et petentibus condonet*. Nam condonare alicui injuriam nihil aliud est quam pacem petentibus pax concessa ; quæ tamen perseverantibus in inimicitia non est pax, sed metus. Pœnitentibus autem non concessa, signum est animi a pace alieni, et proinde contra legem naturæ.

Septima est, *in ultionibus non respiciendum esse ad magnitudinem mali præteriti, sed ad magnitudinem boni nascituri*. Lege hac vetitum est pœnam alio consilio infligere, quam ut qui peccavit emendetur, vel moneantur, qui vident, ut caveant.

CAP. XV.

De legibus  
naturæ aliis.

## CAP. XV.

De legibus  
naturæ aliis.

Sequitur enim lex hæc ex præcedente, quæ, quando cautum est de futuro, præteriti veniam dare jubet. Ulcisci enim, nisi ad futurum bonum dirigatur, ἐπιχειρεκακία est, id est, de malo alieno vanus et inutilis triumphus; et proinde contra rationem, et legem naturæ quæ de vanis et superfluis contendere prohibet. Violatio legis hujus *crudelitas* appellatur.

Quoniam autem odii et contemptus signa omnia ad pugnam accendunt, octavo loco pro lege naturali ponimus, *ne quis alium facto, verbo, vultu, aut gestu odisse vel despiciere se significet*. Lege hac prohibetur contumelia.

Quæstio de ordine inter homines in conditione naturali nulla est. Distinctio illa introducta est a lege civili. Scio Aristotelem (Lib. 1. *Politicorum*) quasi principio uti, esse alios a natura factos ad imperium, nimirum, sapientes, id est, ut innuere voluit, philosophos qualis ipse erat; alios ad servendum, nempe homines corporibus et ingenio duris; quasi dominium et servitus non a consensu hominum, sed a differentia ingeniorum originem habuerint; id quod non modo contra rationem, sed etiam contra experientiam est. Quis enim ita stultus est, ut sibi ab aliis imperari mallet, quam a seipso? Etiam quando vi contenditur inter illos qui habentur sapientes, et illos qui sunt robusti, priores illi raro aut nunquam victoria potiuntur. Si ergo homines natura æquales fecit, agnoscenda est æqualitas: sed si inæquales fecit, quia tamen unusquisque unicuique æqualem se esse putat, pax nisi æqualibus conditionibus non habebitur. Admittenda ergo est æqualitas, et lex naturæ nona est *homines omnes inter se natura æquales esse*. Hujus legis violatio *superbia* est.

Ex hac lege sequitur decima, *ut in pace ineunda nemo reservari sibi poscat jus aliquod, quod cuiquam cæterorum reservatum nolit.* Cum enim vitæ conservandæ causa, sicut deponi jura quædam naturalia, ita retineri quædam necessarium esset, nempe jus proprii corporis curandi, igne, aqua, aere fruendi, cæterisque sine quibus homo vivere non potest; si jam plus retinere juris postulat aliquis, quam aliis libenter concessum vellet, facit ille contra legem præcedentem. Hujus legis violationem Græci *πλεονεξίαν*, Latini *arrogantiam* dicunt.

CAP. XV.  
De legibus  
naturæ aliis.

Si in controversia juris sententia alicujus arbitri fidei permittatur, lex naturæ est undecima, *ut in utramque partem æquus sit.* Nam absque eo finiri lites non possunt. Qui ergo æquus non est, litigantibus, quantum in eo est, arbitria et judicia, et per consequens pacem ipsam tollit, contra legem naturæ primam.

Ex hac lege sequitur duodecima, *quæ dividi non possunt, eorum usum communem esse; idque, si fieri possit et quantitas rei patiat, sine restrictione; alioqui, numero utentium proportionaliter.* Distributio enim æqualis aliter esse non potest.

Sunt autem quædam res, quarum neque divisio neque usus communis esse potest. De his lex naturæ statuit decima tertia, ut *jus integrum, vel, si usus alternus placet, possessio prima sorte determinetur.*

Sortium duo sunt genera, *arbitrarium* et *naturale.* Arbitrarium, in quod consentiunt partes. Naturale est, aut primogenitura, aut prima occupatio.

Itaque *quarum rerum neque divisio est neque usus communis, eæ res vel primi occupantis, vel*

CAP. XV. *primogeniti sunt, vel sorte acquisitæ* : quæ est lex naturæ decima quarta.

De legibus naturæ alii.

Lex naturæ decima quinta est, *ut pacis mediatoribus ire et redire tuto liceat*. Lex enim, quæ dictat pacem quærendam esse, ut finem, dictat quoque mediatorum protectionem, ut viam.

Quoniam autem inter eos, qui leges naturales observant, quæstiones nasci possunt, primo, an factum sit ; secundo, si factum est, utrum jure an injuria ; quarum prima dicitur controversia facti, secunda controversia juris : nisi litigantes in sententia alicujus tertii acquiescere mutuo paciscantur, bellum manet. Tertius autem *arbiter* dicitur. Itaque lex naturæ decima sexta est *in sententia arbitri acquiescere*.

Quoniam autem unusquisque in omni actione sua respicere solet ad bonum sibi, *arbiter idoneus in causa propria nemo est*. Quæ est lex naturæ decima septima.

Propter eandem causam, *pro arbitro recipiendus nemo est in controversia quacunque, cui lucrum, dignitas, vel voluptas a victoria partis alterutrius manifeste oritura est*. Corruptitur enim talis arbiter a natura humana. Quæ est lex naturæ decima octava.

Decima nona lex naturæ est, *in quæstione facti judicandum esse secundum testes*. Litigantium enim uni credere potius quam alteri, contra æquitatem est, nempe legem naturæ undecimam.

Atque hæ naturæ leges sunt, quæ conducunt ad multitudinem hominum in pace conservandam. Aliæ autem res sunt, quæ ad singulorum destructionem tendunt, ut omne genus intemperantiæ. Sed quia naturam individuum spectant, nec ad institutam doctrinam pertinent, omittantur.

Est hæc, dicet aliquis, legum naturalium deductio subtilior quam ut intelligi ab omnibus possit, quorum maxima pars alimentis studet aut voluptatibus. Ne tamen etiam tardissimis excusationis locus relinquatur, contraxit eas Scriptura Sacra in unam, eamque brevem et perspicuam, sententiam, *quæcunque vultis facere vobis homines, id facite illis*; et philosophi, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Quare ad totam legem naturalem perdiscedendam, alia re opus non est, quam ut actiones alienas cum nostris pensitantes, in alteram lancem transferamus, ne passiones propriæ ponderi forte aliquid addiderint.

Leges naturales obligant in *foro interno*, id est, earum transgressio, non crimen proprie, sed vitium dicendum est. Sed in *foro externo* non semper obligant. Nam qui illas observaret tunc, quando a cæteris contemnuntur, cæteris præda esset, contra fundamentum omnium legum naturalium, nempe naturæ conservationem. Attamen, quando de earundem observatione a cæteris cautum est, tunc is, qui eas non observat, bellum, non pacem quærit.

Legem omnem, in foro interno obligantem, factum violat non modo legi contrarium, sed etiam congruum, si contrarium putet is qui facit. Quamquam enim actio ipsa fuerit secundum legem, voluntas contra erat. Nam in foro interno solus animus reus fit.

Eædem leges, quia ad velle tantum obligant, velle, inquam, constanter et sincere, faciles observatu sunt; solus conatus sufficit. Qui illas observare quantum potest conatus est, observavit et justus est.

Legum naturalium scientia vera et sola ethica

CAP. XV.

De legibus  
naturæ aliis.

CAP. XV.

De legibus  
naturæ aliis.

est. Ethica autem alia non est, præter scientiam earum rerum quæ in congressibus et societate hominum bonæ vel malæ sunt. Bonæ autem et malæ dicuntur eadem res a diversis hominibus, propter hominum appetitus, aversiones, consuetudines, et doctrinas diversas diverse; et quandoque ab eodem homine, propter mutationem voluntatis, eadem res modo bona modo mala appellatur.

Inde autem oriuntur disputationes, controversiæ, et tandem bellum. Quamdiu ergo homines privati boni et mali mensuram faciunt, tamdiu homines sunt in conditione belli omnium contra omnes. Pacem ergo bonam esse confitentur, quæruntque omnes. Itaque media ad pacem necessaria bona esse negari non potest. Sunt autem illa, justitia, gratitudo, modestia, æquitas, et cæteræ leges naturæ. Bona igitur moralia sunt, id est, virtutes; et his contraria mala, id est, vitia. Scientia autem virtutum et vitiorum est philosophia moralis. Doctrina ergo de legibus naturæ vera est ethica. Scriptores ethici, etsi easdem agnoscant virtutes atque eadem vitia, in quo tamen consistit bonitas virtutis et quare laudabilis sit non videntes, virtutes alias non agnoverunt quam passiones, sed mediocres; quasi fortitudo, non causa sed gradus audendi: et liberalitas, non causa sed quantitas dati esset.

Dictamina hæc rationis nomen quidem obtinuerunt legum, sed improprie dictarum. Sunt enim de iis rebus, quæ ad conservationem hominum conducunt, tantum theoremata. Lex autem, proprie dicta, est vox imperantis, vel prolata vel scripta, ita ut omnes, qui obedire tenentur, sciant vocem ejus esse.

## CAPUT XVI.

## DE PERSONIS ET AUTHORIBUS.

**PERSONA** est *is qui suo vel alieno nomine res agit* : CAP. XVI.  
 si suo, persona *propria*, sive naturalis est ; si alieno, De personis  
et authoribus.  
 persona est ejus, cujus nomine agit, *repræsentativa*.  
 Personam Græci vocant *πρόσωπον*, quod significat faciem hominis naturalem. Sed a Latinis persona frequentissime sumitur pro facie fictitia, quæ et *larva* dicitur, quali utebantur in theatris histriones. A theatro autem in forum translata est, etiam sine larva ; adeo ut persona, tum in theatro tum in foro, idem significaret quod actor ; et personam alicujus gerere aut sustinere diceretur ille, qui nomine cujuscunque, etsi sine larva, partes ageret. Atque eo sensu utitur vocabulo *persona* Cicero ad Atticum, ubi dicit, *unus sustineo tres personas, mei, judicis, et adversarii*. Itaque deputati, procuratores, proreges, alique qui aliorum negotia faciunt, eorum personæ sunt repræsentativæ.

Verba et facta repræsentantium ab iis, quos repræsentant, aliquando pro suis agnoscuntur ; tunc autem repræsentans actor, repræsentatus author dicitur, ut cujus autoritate actor agit. Qui autem in quæstione de bonis et possessionibus, dominus, in quæstione de verbis et actionibus, author appellatur : et ut jus habendi dominium, ita jus agendi autoritas dicitur.

Si ergo actor paciscatur per autoritatem sibi datam, authorem obligat et pacti consequentiis omnibus subjicit, tanquam si in persona sua propria pactus esset. Omnia ergo, quæ de natura pactorum



CAP. XVI. (cap. XIV. XV.) dicta sunt, vera etiam sunt ubi pacta fiunt per personas repræsentativas, sed secundum De personis et authoribus. auctoritates sibi concessas.

Itaque qui cum actore paciscitur, cujus auctoritatem nescit, proprio id facit periculo. Nemo enim pacto obligatur, cujus ipse not sit author. Quando ergo aliquod contra legem naturæ auctoritate aliena facit actor, non actor sed author legem violat. Actio quidem contra legem est, sed non actoris sed authoris actio est; quia legem violasset actor si non fecisset, cum facere pactus esset.

Qui cum actore, auctoritatis illi concessæ inscius, verbo ejus credens paciscitur, nisi auctoritatem actor rogatus ostendat, non est ulterius obligatus. Pactum enim sine auctoritate invalidum est. Sin qui pactus sit, aliam cautionem non expectabat præter actoris verbum tum cum paciscebatur, pactum contra actorem valet, quia se authorem fecit. Et sic, ubi auctoritas manifesta est, author; ubi ficta est, actor obligatur.

Paucæ res sunt, quarum non possunt esse personæ. Quamquam enim persona sit per naturam aliquid quod intelligit, id tamen, cujus persona geritur, non semper necessario ita est. Itaque rei inanimatæ, ut ecclesiæ, nosocomii, pontis, persona geri potest a rectore vel curatore aliquo. Authores autem res inanimatæ esse non possunt; verum rectores et curatores, qui gerunt personam rerum inanimatarum, agent per auctoritatem eorum, quorum est dominium illarum. Personæ ergo ejusmodi extra statum civilem non existunt.

Infantis, et ejus qui mentis compos non est, persona geri potest per tutorem; qui tamen, dum infans mentis impos est, author non est nisi per conces-

sionem civitatis. *Authoritas enim tutoribus et curatoribus dari non potest nisi jure civili.*

CAP. XVI.

De personis  
et authoribus.

Idoli, id est meri figmenti, quales erant dii gentium, personæ fuere constitutæ, quæ bona mobilia et immobilia et jura tenuerunt idolis consecrata. Idolium autem, cum sit nihil, nullius rei author esse potuit. *Authoritatem dederunt civitates.*

Etiam Dei veri persona geritur et gesta est. Mundum enim in propria persona creavit: in redimendo genere humano personam Dei gessit Jesus Christus: in electis sanctificandis ejusdem Dei personam gessit Spiritus Sanctus: id quod docemur in catechismo publico, nempe, *credere in Deum Patrem, qui creavit me et totum mundum; et in Deum Filium, qui redemit me et totum genus humanum; et in Spiritum Sanctum, qui sanctificavit me et omnem electum populum Dei.*

Etiam plurium hominum fit una persona, quando repræsentatur ab uno qui habet a singulis authoritatem. Non enim repræsentati, sed repræsentantis unitas est, quæ personam facit esse unam; neque unitas alio modo in multitudine intelligi potest.

Quoniam autem multitudo naturaliter non unum aliquod, sed multi sunt; non unus, sed multi, nempe singuli, authores sunt eorum quæ dicit vel facit actor, qui est persona ipsos repræsentans. Unusquisque enim eorum communi actori suo authoritatem tribuit suam. Sin authoritas finita sit quæ tribuitur, author quisque est illarum solummodo actionum quæ in mandatis continentur.

Si actor seu persona non sit unus homo, sed cætus hominum, tunc vox partis majoris accipienda est pro voce personæ. Nam si pars minor pronuntiet, exempli causa, affirmative, major negative, voces

CAP. XVI. negativæ abundantes, ut quibus non contradicitur, personæ, id est, omnium vox est ; nam alioqui, contra naturam, persona muta esset.

De personis  
et authoribus.

Si persona repræsentans ex pluribus constet numero paribus, præsertim parvo, continget sæpe numero, negationibus et affirmationibus se mutuo extinguentibus, personam fieri mutam, et proinde inutilem et agendi incapacem. Potest tamen fieri ut voces contradictoriæ, eædemque æquales numero, quæstionem determinent ; ut in accusationibus, eo ipso reum absolvunt, quod condemnare eum propter voces æquales non possunt ; at contra, non absolvere non est condemnare. Idem contingeret deliberantibus utrum aliquid statim faciendum sit, an in aliud tempus differendum. Eo enim quod præsentem executionem non decernunt, decernunt dilationem.

Porro, si numerus impar sit, ut tres vel plures ; siquidem vox unius tolleret voces reliquorum contradictorias, numerus ille persona non esset, propter diversitatem opinionum et appetituum in rebus multis et maximi momenti. Muta enim esset et ad agendum inepta.

Authorum duo sunt genera. Sunt enim alii simpliciter authores ; de quibus modo dictum est : alii conditionaliter tantum ; ut qui pactum præstare in se recipit, si is, qui pactus est, ante constitutum diem non præstiterit. Atque hi, quamquam fidei habendæ authores sunt, aliis tamen nominibus pro variis actionum generibus vocitantur, ut fidejussores, sponsores, prædes, vades.

# DE CIVITATE SIVE REPUBLICA.

---

---

## CAPUT XVII.

DE CAUSA, GENERATIONE, ET DEFINITIONE CIVITATIS.

QUOD homines, libertatis et domini per naturam amatores, ex præscripto, ut fit in statu civili, vivere voluerunt, finis et causa fuit cura conservationis suæ vitæque commodioris, id est, ut e conditione misera belli omnium contra omnes exirent; quæ conditio libertati naturali, propter passiones humanas, necessario tunc adhæret, quando nulla extat potentia visibilis quæ passiones illas terrore pœnarum temperare possit, legesque naturales et pacta observari faciat. Leges enim naturæ, ut justitia, æquitas, etc., et uno verbo, *facere aliis quod fieri vellemus nobis*, absque metu potentiae coactivæ, passionibus naturalibus, quales sunt ira, superbia, cupiditasque omnis, contrariæ sunt.

CAP. XVII.  
De causa, generatione, et definitione civitatis.

Exitum autem e conditione belli omnium contra omnes leges et pacta per se præstare non possunt. Verba enim sunt, dumque verba tantum sunt, non timentur, ideoque ad securitatem hominum per se sine armis inutilia sunt. Itaque leges, quas qui observare aliis observantibus conatus est, observavit, quoties potentiae cogentis metus abest non obligant, neque impediunt quin securitatem suam a viribus et artibus propriis petere unicuique licitum sit. Idem etiam docent historiae veteris Græciæ, ubi cum nulla essent præter paterna imperia, latrocinium

## CAP. XVII.

De causa, generatione, et definitione civitatis.

mari terraque quæstus non modo licitus, sed etiam, a crudelitate et ab agri colendi instrumentis abstinentibus, honorificus erat. Quod autem fecerunt tunc familiæ parvæ, id nunc faciunt civitates, id est familiæ magnæ, dominia sua securitatis causa ad omnem periculi vel invasionis hostilis suspicionem augentes; et tum hostes, tum eos qui hostibus auxiliaturi videntur, quantum possunt vi et astu debellant aut debilitant; idque, quia aliter securi esse non possunt, juste.

Neque securitatem, quam quærunt, præstare potest paucorum hominum inter se conspiratio, quia in parvis numeris parva sociorum accessio ad certam sufficit victoriam, animosque addit aggressoribus. Multitudo autem, quæ securitatis suæ spem præstare potest, numero non certo, sed cum viribus hostium comparato determinatur, ut major sit quam ut excessus tanti et tam conspicui momenti ad bellum finiendum sit, ut hostis ad aggrediendum provocetur.

Sit autem multitudo quantacunque, si tamen actiones eorum judiciis et arbitriis multorum gubernentur, nullam inde expectare possunt securitatem, neque contra communem hostem, neque contra injurias alter alterius. Dissidentes enim inter se de virium usu non sibi mutuo auxiliaturi sunt, sed oppositis consiliis vires ad nihilum reducturi. Unde non modo a communi hoste facile superantur, sed etiam de commodis propriis inter se bello certaturi sunt. Siquidem enim hominum numerus magnus sine potentia communi, quæ posset omnes cogere, in æquitatem cæterasque leges naturæ observandas consentire supponeretur, idem etiam de toto genere humano supponendum esset; itaque regimine civili

omnino opus non esset, victuris scilicet hominibus in pace et sine dominis. CAP. XVII.

Neque ad securitatem, quam perpetuam esse volunt, sufficit ut gubernentur pro certo tantum et determinato tempore, ut in uno prælio vel bello uno. Etsi enim per conatum unanimum hostem vincant, postea tamen, si communem hostem non habeant, vel si alii hostem, alii amicum, eundem putent, societas necessario dissolvetur, et propter voluntatum differentias inter seipsos bellum renovabitur.

De causa, generatione, et definitione civitatis.

Sed sunt, inquiet aliquis, animalia quædam bruta, ut apes et formicæ, quæ pacifice in eodem alveari et in eadem formicaria inter se vivunt, habenturque ab Aristotele pro animalibus politicis, regunturque suo unumquodque iudicio et appetitu; idque sine usu sermonis, quo significare alius alii possit quid ad utilitatem communem conducere vel non conducere existimant. Quid ergo impedit quo minus homines idem faciant?

Ad hoc respondeo. Primo, quod homines inter se de honoribus et dignitate perpetuo contendunt; sed animalia illa non item. Itaque inter homines invidia, odium, bellum, propter eam, inter alias, causam sæpe nascitur; inter illa rarissime.

Secundo, inter animalia illa bonum publicum et privatum idem est. Ergo ad bonum privatum dum naturaliter feruntur, simul procurant bonum commune. Homini autem in bonis propriis nihil tam jucundum est, quam quod alienis sunt majora.

Tertio, animalia illa, quia carent ratione, in rerum suarum communium administratione nihil vident, aut videre sibi videntur, quod culpent; inter homines autem permulti sunt, qui se cæteris sapientiores et regendæ civitatis capaciores esse

**CAP. XVII.** putant, quique, dum suo quisque modo reformare volunt, dissident inter se et belli causa sunt.

De causa, generatione, et definitione civitatis.

Quarto, animalia illa, etsi ad cupiditates suas significandas inter se vocis usum habeant quanto egent, verborum tamen arte illa carent, qua homines alii aliis videri faciunt bonum malum, et malum bonum ; magnum parvum, et parvum magnum ; et alter alterius actiones ita reprehendit, ut inde turbæ oriantur.

Quinto, animalia bruta inter injuriam et damnum non distinguunt. Itaque quamdiu bene sibi est, cæteris non invident. Homo autem tunc maxime molestus est, quando otio opibusque maxime abundat. Tunc enim sapientiam suam in regentium actionibus reprehendendis ostentare amat.

Postremo, animalium illorum consensio a natura est ; consensio autem hominum a pactis est, et artificiale. Mirum ergo non est, si ad firmitatem et durationem ejus aliud præter pactum requiratur, nempe potentia communis quam singuli metuant, et quæ omnium actiones ad bonum commune ordinet.

Communem autem potentiam constituendi, quæ homines tum ab invasione exterorum tum ab injuriis mutuis tueri possit, ita ut propriæ industriæ et telluris fructu contenti vivant et alantur, unica via hæc est ; ut potentiam et vim suam omnem in hominem vel hominum cœtum unum unusquisque transferat, unde voluntates omnium ad unicam reducantur ; id est, ut unus homo vel cœtus unus personam gerat uniuscujusque hominis singularis, utque unusquisque authorem se esse fateatur actionum omnium quas egerit persona illa, ejusque voluntati et judicio voluntatem suam submittat. Est autem hoc

aliquid amplius quam consensio aut concordia. Est enim in personam unam vera omnium unio ; quod fit per pactum uniuscujusque cum unoquoque ; tanquam si unicuique unusquisque diceret, *Ego huic homini, vel huic cœtui, auctoritatem et jus meum regendi meipsum concedo, ea conditione, ut tu quoque tuam auctoritatem et jus tuum tui regendi in eundem transferas.* Quo facto, multitudo illa una persona est, et vocatur *Civitas* et *Respublica*. Atque hæc est generatio *magni illius Leviathan*, vel, ut dignius loquar, *mortalis Dei* ; cui pacem et protectionem sub Deo immortalis debemus omnem. Auctoritate enim tanta ab omnibus et singulis collata, tantam potentiam et tantarum virium usum habet, ut terrore earum voluntates omnium ad pacem inter se et ad conjunctionem contra hostes conformare possit. In quo consistit essentia civitatis, quæ sic definitur : *Civitas persona una est, cujus actionum homines magno numero, per pacta mutua uniuscujusque cum unoquoque, fecerunt se authores ; eo fine, ut potentia omnium arbitrio suo ad pacem et communem defensionem uteretur.* Is autem, qui civitatis personam gerit, *summam habere* dicitur *potestatem*. Cæteri omnes *subditi* et *cives* appellantur. Potestas autem summa duobus modis habetur ; quarum una est vis ; ut cum pater filios suos sibi obedire cogit ; vitam enim illis non alendo auferre potest ; vel ut qui victis hostibus ea conditione vitam condonat, ut imperata faciant. Alter modus est, quando homines sponte summam potestatem in unum hominem vel cœtum spe protectionis conferunt. Atque hæc civitatis institutio ; illa civitatis acquisitio est. Dicam autem primo de civitate instituta.

## CAP. XVII.

De causa, generatione, et definitione civitatis.



## CAPUT XVIII.

DE JURE HABENTIUM POTESTATEM SUMMAM IN CIVITATE  
PER INSTITUTIONEM.

**CAP. XVIII.** INSTITUITUR civitas quando homines, sponte sua convenientes, singuli cum singulis paciscuntur, ut, cuicumque homini vel cœtui pars major suffragiis suis personam omnium gerendi jus contribuit, illi omnes obedirent. Obligatur ergo unusquisque eorum, sive suffragium suum in illum contulerit sive non contulerit, illi quem major pars elegerit obedire, et pro authore actionum illius omnium habendus est. Nam nisi in parte suffragiorum majore intelligantur comprehensa suffragia omnium, frustra conventum est, et contra finem ab unoquoque sibi propositum, nempe, pacem et protectionem omnium.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

A forma institutionis, tum potestas omnis et jura omnia summam habentis potestatem, tum civium omnium officia derivantur.

Primo, ex eo quod pacti sunt intelligitur, quod nullis pactis prioribus obligati erant ad id quod pacto præsentis contrarium est. Itaque qui civitatis alicujus jam cives sunt, pactum novum inire non possunt, quo personam suam in alium transferre vel cuiquam alii, non permittente qui summam habet potestatem, in re quacunque obedire obligentur; et per consequens, qui sub monarcha cives sunt, neque monarchiam rejicere neque ad libertatem naturæ relabi, si noluerit qui habet summam potestatem vel quilibet alius civium, jure possunt. Violarent enim pactum initum cum singulis; et potestatem summam, jure jam habenti datam, contra jus eriperent. Præterea, si qui eam eripere conaretur, in-

terfectus aut quocunque supplicio affectus fuerit, supplicii proprii author esset ; et quia injustum est, quod facientis ipsius autoritate puniri potest, eo quoque nomine injustus. Quod autem cives quidam contumaciæ pactum prætenderunt novum, non cum hominibus sed cum Deo initum, id quoque injustum erat. Pactum enim cum Deo iniri non potest, nisi mediante aliquo qui Deum repræsentat ; id quod solus facit is, qui summam sub Deo habet potestatem. Sed prætensio illa pacti cum Deo, manifestum mendacium erat, neque injustum tantum, sed vilissimum factum esse cogoverunt ipsi prætendentes.

CAP. XVIII.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

Secundo, summa potestas propter malam reipublicæ administrationem habenti tolli non potest ; primo, quia, cum totius civitatis personam gerat, quæ ut actor facit ille, ut author facit civitas. Quis autem est, qui civitatem ream faciet ? Deinde is, in quem confertur potestas summa, cum nemine paciscitur conferentium ; et proinde nemini eorum injuriam potest facere propter quam potestate sua privaretur. Aut enim pactus est cum tota multitudine quasi cum una persona ; quod non potuit fieri antequam eligeretur, quia multitudo illa una persona nondum erat : aut cum singulis seorsim, et sic, simul atque electus est, unusquisque malæ administrationis, cujus reum faciunt illum, author ipse est et accusat seipsum. Velle ergo pactis illum obligare, qui summam habet potestatem, est ipsam civitatem obligare velle. Verum si concedamus illum, qui summam habet potestatem, pacta cum civitate et inire et violare posse, is autem cum violaverit violasse negaverit, quis litem hanc determinabit ? Nisi autem determinetur, reditur ad anarchiam, nec civitas amplius est. Si determinetur a

## CAP. XVIII.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

civitate, ab ipso determinatur, qui personam civitatis gerit, id est, a potestatem summam jam habente. Quem qui pactis obligari existimant, eo videntur decepti esse, quod non distinguant inter *obligationes*, quæ fiunt per verba, et *ligationes*, quæ fiunt per capistra; nec cogitant verba per se infirma esse. Postquam autem summa potestas constituta et armata est, tum demum vi tantæ potestatis etiam verba capistra fiunt. Partim etiam eo decepti sunt, quod multitudinem hominum in unum locum convenientium, etiam antequam de summa potestate consenserint, non modo personas sed personam esse, et seorsim a singularibus loqui et agere imaginati sint. Quando vero in cœtu populari potestas summa collocata est, pactum tale intervenisse nemo dicit. Quis enim adeo hebes est, ut populum, exempli causa, Romanum, qui imperium Romæ summum habuit quondam, summam illam potestatem tenuisse per pactum cum Romanis, et proinde populum Romanum a Romanis, nisi bene regnasset, deponi potuisse dicat? Quod autem in monarchia et statu populari quæstionem hanc eandem esse non omnes videant, causa est ipsorum ambitio, cœtui potius quam uni homini faventium; quia sub uno homine vulgus sunt, sed sub cœtu regnantis pars sunt.

Tertio, si consensu partis majoris summa potestas semel constituta sit, nemini eorum, cui factum displicet, suffragii sui in contrarium testes poscere, vel memoriam rei extare postulare licitum est. Postulatio enim talis factum mutare volentis est, et per consequens, paci factæ renuntiantis, et bellum contra cæteros denuntiantis, et in conditionem naturæ quam fugiebat, contra finem quem habuit quando cum cæteris in conventum venit, redeuntis.

Quarto, quoniam per institutionem ipsam omnium actionum illius, in quem summam contulerunt potestatem, author est conferentium unusquisque; manifestum est, quod ab habente summam potestatem nemini conferentium fieri posse injuriam. Nam factum authoris, id est, uniuscujusque, est quicquid ille fecerit. Sibi ipsi autem injuriam facere nemo potest. Quin is, qui summam habet potestatem, facere inique possit, non negaverim. Iniquum enim quod contra legem naturæ, injustum quod contra legem civilem factum est, appellatur. Nam justum aut injustum ante civitatem constitutam nihil erat.

CAP. XVIII.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

Quinto, non potest qui summam habet potestatem a civibus occidi, aut quomodocunque jure puniri. Nam qui injuriam facere non potest, ne reus quidem fieri, multo minus condemnari potest. Quicquid enim fecit, facti author est civium unusquisque.

Sexto, quia civitatis instituendæ finis pax est et defensio, et quicumque in finem jus habet, jus etiam in media habet; sequitur, ut cuicumque, sive homini sive cœtui, tribuitur potestas summa, eidem etiam de mediis ad pacem et defensionem judicatio tributa sit, et ut tum in ipso periculo tum præventionis causa ante periculum, judicet quid factu necessarium sit, tum ad pacem civium inter se et securitatem contra hostes conservandam, tum ad damna civitatis resarcienda.

Septimo, summæ potestati adhæret quæ ad conservationem vel violationem pacis tendunt decernere, et quando, quatenus, quibus apud multitudinem concionari permittendum sit, et qui libri publicandi et a quibus examinandi sint. Actiones enim ab opinionibus ortum habent: in harum ergo

**CAP. XVIII.** regulatione consistit regulatio civium, unde oritur pax et concordia. Quanquam autem doctrinarum veritas sola scopus sit, paci tamen, si veræ sunt, non repugnant. Doctrinæ enim paci contrariæ veræ esse non possunt, nisi etiam pax et concordia contrariæ dicantur legibus naturalibus. In civitatibus quidem, rectorum doctorumque negligentia aut imperitia, errores progressu temporis universaliter pro veris recipi, et veritates displicere possunt; veritatis tamen novæ utcunque subita apparitio, etsi sopitum bellum aliquando excitare possit, pacem tamen nunquam violat. Qui enim adeo remisse regnatur, ut opinionis novæ introducendæ causa capere arma audeat, etiam tunc animum rebellandi habuit. Quod autem non aggressus sit, a metu est, viventis nempe quasi in procinctu prælii. Ad summam ergo potestatem attinet opinionum et doctrinarum omnium judicatio, ut quæ discordiarum bellique civilis sæpissime causa et origo esse solent.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

Octavo, ejusdem summæ potestatis jus est, regulas præscribere, quibus, quid sit suum unusquisque sciat et fruatur sine molestia a concivibus; et quid agere licite possit, et quid licite non possit; id est, regulas præscribere circa rerum proprietatem. Nam ante summam potestatem constitutam jus erat omnibus in omnia, quod erat causa belli. Regulæ ergo, quibus definiuntur *meum* et *tuum*, et in actionibus *bonum*, *malum*, *licitum*, *illicitum*, a quibus dependet pax civium, ab habente potestatem summam præscribendæ sunt. Vocantur autem regulæ illæ *leges civiles*, sive civitatis illius leges, cujus civibus præscribuntur; quanquam nomen illud *lex civilis* restringatur hodie ad significandum leges Romanas antiquas, quia civitatis Romanæ, propter

imperium Romanum late expansum, nos etiam olim  
pars fuimus. CAP. XVIII.

Nono, summæ potestatis etiam est jus *judicandi*, id est, causas omnes tum juris tum facti cognoscendi, et controversias omnes decidendi. Nam alioqui civibus ab injuriis mutuis protectio nulla esset, et leges de *meo* et *tuo* frustra essent, manerentque homines in conditione belli omnium contra omnes.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

Decimo, ejusdem summæ potestatis est cum aliis civitatibus bellum et pacem facere suo arbitrio, id est, judicare utrum bono an malo civitatis bellum futurum sit necne, quantæque copiæ comparandæ, et quomodo a civibus alendæ sint. Civium enim tutela ab exercitibus dependet, exercituum robur a civitatis unitate, civitatis unitas ab unica summam habentis potestatem persona. Etiam militiæ jus, etiam solum, summa est potestas; quia jus in milites est jus in potentiam totius civitatis.

Undecimo, ejusdem potestatis est consiliarios, magistratus, ministrosque omnes tam pacis quam belli eligendi jus. Cui enim pacis et defensionis procurandæ imponitur onus, eidem jus conceditur mediis, quibus se exoneret, pro arbitrio suo utendi.

Duodecimo, ejusdem potestatis jus est præmia, ut divitias honoresque, bene merentibus tribuendi, et transgressoribus pœnas legibus præfinitas infligendi; vel si pœna lege statuta non sit, faciendi leges pœnales, quæ sibi ad excitandos et terrendos improbos videbuntur commodissimæ.

Postremo, si cogitemus quanti unusquisque se æstimat quantumque ab aliis sibi honoris deferri cupit, quibus ipse tantundem tribuere indignum putat, unde simultates, factiones, et bellum denique nasci solet; fatebimur ad civitatis dissolutionem

## CAP. XVIII.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

tendere etiam controversias de honore et ordine civium, et potestatis summæ coercione indigere. Necessariæ ergo sunt leges, quibus quis cuique honor tribuendus sit in congressibus et alloquiis, definitur. Itaque conferendi titulos, ordinesque civium distinguendi, ejusdem summæ potestatis jus est.

Atque hæc sunt jura summam habentis potestatem principalia; ut ampliter hic demonstratum est, et brevius demonstrari potuit unico hoc argumento. Jura enim hæc omnia quin civitatis sint, negabit nemo. Civitas autem nisi per personam suam, nempe, eum qui summam habet potestatem, neque loqui neque agere potest. Sunt ergo jura hæc omnia illius, qui in civitate summam habet potestatem, sive is homo sit, sive cœtus hominum. Sunt autem et alia jura ejusdem, sed minora, et in diversis civitatibus diversa, quibus tamen amissis cives protegendi potentia non amittitur, et quæ transferri possunt ad cives privatos. Sed illa, quæ enumeravimus, jura majora transferri non possunt. Jure enim militiæ amisso, jus judicandi propter defectum potentiæ frustra erit. Jure exigendi pecuniam amisso, milites nulli erunt. Jure regulandi doctrinas amisso, animabuntur cives supersticiosi ad rebellionem a suis ipsorum phantasiis. Summatim, si jurium dictorum quodlibet unum desit, cætera cessabunt omnia, fietque divisio de qua Christus ipse loquens dixit, *regnum divisum in seipso stare non potest*. Nisi enim jurium horum divisio antecedit, divisio populi in exercitus oppositos nulla erit. Opinio docentium jura regni Anglicani divisa esse inter regem, proceres, et cœtum communium, causa fuit belli quod sequutum est civilis; etiam disputationes de quæstionibus politicis et theolo-

gicis, quibus tamen populus ita nunc de jure regio eruditus est, ut in Anglia pauci, puto, nunc sint qui jura prædicta inseparabilia esse non videant; et publice agniture sint, simul atque redierit pax, et quamdiu calamitatum præteritarum meminerint; sed non diutius, nisi melius erudiatur populus.

CAP. XVIII.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

Quoniam autem jura hæc summæ potestati essentialia et inseparabilia sunt, sequitur, ut quibuscunque verbis separari et aliis concedi videantur, nisi potestati summæ simul et expressis verbis renunciatum sit, concessionem nullam esse; sed concessa omnia, summa potestate, id est, persona civitatis retenta, inseparabiliter redire.

Cum ergo autoritas hæc ingens indivisibilis sit, et habenti summam potestatem inseparabiliter adhæreat, quis color inveniri potest opinioni illorum, qui dicunt de regibus civitatis personam gerentibus, quod *etsi singulis majores, universis tamen minores sunt*? Nam si per *universos* intelligunt civitatis personam, ipsum intelligunt regem. Itaque rex seipso minor erit; quod est absurdum. Sin per *universos* multitudinem intelligunt solutam, singulos intelligunt. Itaque rex, qui major singulis est, major quoque erit universis; quod iterum est absurdum. In civitate autem, ubi summa potestas est in cœtu populari, absurda hæc esse satis vident; in monarchia non vident, quanquam potestas summa, ubicunque collocatur, eadem est.

Sicut autem potestas summa civis cujuscunque potestate major est, ita et honor ipsi debitus honore, qui debetur cuicunque et quotcunque civibus, major est. Qui potestatem habet summam, honorum et dignitatum omnium fons est; et sicut coram domino familiæ servi filique omnes inter se æquales,



## CAP. XVIII.

De jure habentium potestatem summam in civitate per institutionem.

et sine honore sunt; ita et cives coram eo qui gerit personam civitatis, omnes inter se æquales sunt, quanquam extra præsentiam illius alii aliis magis splendeant; nam coram illo non amplius splendent quam stellæ præsentem sole.

Dicet fortasse aliquis conditionem civium esse miseram, ut qui libidini et passionibus regentium sunt obnoxii. Id autem qui sub monarchiam vivunt, monarchiæ, qui sub cœtum plurium vivunt, illi regiminis formæ imputare solent; quamquam in omni forma, quæ protegere eos possit, potestas æqualis sit. Non enim cogitant quod res humanæ sine incommodo esse non possunt; nec quod incommoda quæ in qualibet civitatis forma accidere possunt maxima, præ belli calamitatibus, et quæ in conditione hominum naturali, sine domino, sine lege, ex raptu viventium contingunt, vix sensibilia sunt; nec denique quod gravissima onera, quæ ab habentibus potestatem summam imponuntur, non ab eo, quod illos aut pauperes aut debiles fieri cupiant, proficiscuntur, quibus divites et fortes eos esse regentium commodo maxime expedit, sed ab ipsorum civium tenacitate, ea contribuere, quæ ad pacem et defensionem suam necessaria sunt, recusantium. Inde autem regentibus plerumque nascitur, dum pax est, pecuniam exigendi quantam possunt necessitas, ut quæ opus sunt ad bellum, parata habeant. Sed civibus data sunt a natura quasi vitra, quæ objecta majora quam sunt videri faciunt; per quæ si tributum videant quantulumcunque, magnam putant esse oppressionem. Telescopiis carent, nempe scientiis quibus a longinquo prospicere possent miserias illas impendentes, quæ sine pecuniarum contributionibus sunt inevitabiles.

## CAPUT XIX.

DE GENERIBUS CIVITATUM PER INSTITUTIONEM, ET DE  
SUCCESSIONE AD SUMMAM POTESTATEM.

**DISTINCTIO** civitatum a distinctione oritur personæ summam habentis potestatem. Quoniam ergo summa potestas unius hominis est, vel plurium; et siquidem plurium, aut omnium, (ita ut in curiam conveniendi unicuique jus sit), aut certorum hominum a cæteris distinctorum: tria tantum esse possunt civitatum genera, nempe monarchia, ubi summa potestas in uno homine est; democratia, ubi summa potestas in cœtu hominum est, in quem cœtum quilibet civis admittitur; et aristocratia, ubi summa potestas in cœtu civium est qui optimates dicuntur. Alia civitatis species nulla est; cum necessarium sit ut summam potestatem habeat vel unus homo, vel plures, vel omnes.

CAP. XIX.

De generibus civitatum per institutionem, et de successione ad summam potestatem.

Alia quidem civitatum in historiis librisque politicorum occurrunt nomina, ut tyrannis, et oligarchia, sed non sunt propria; significant enim affectum, non conceptum ejus, qui illis utitur. Nam qui monarchæ irati sunt, tyrannum appellant; qui optimates oderunt, statum eorum oligarchiam dicunt; et qui demagogos non amant, statum democraticum anarchiam vocant; nec tamen inde sequitur speciem aliquam regiminis esse anarchiam.

Quod multitudo, antequam in unam civitatem coaluerint, potuit, si voluisset, potestatem summam in unum hominem, non minore jure quam in cœtum contulisse id est, monarchæ se subjecisse non minus absolute quam cœtui, manifestum est. Ubi ergo monarchia semel instituta est, alia persona ad

## CAP. XIX.

De generibus civitatum per institutionem, et de successione ad summam potestatem.

multitudinem repræsentandam jure eligi non potest, nisi ad certa et a monarcha definita negotia, neque hoc monarchæ injussu. Alioqui enim summam potestatem haberent duæ simul aut plures personæ in eadem civitate, quæ inde in conditionem belli omnium contra omnes reduceretur, contra finem institutionis. Sicut autem in cœtu populi summam habente potestatem, qui cives sibi subditos per homines deputatos convenire juberet ad negotia a cœtu definita, puta ad consilium in rebus arduis impertiendum, vel ad nocumenta tollenda, insanus haberetur, qui homines ita convocatos summam potestatem habere, et totius civitatis multitudinem repræsentare, et personam civitatis gerere arbitraretur; ita etiam insanus haberi debet qui, si de iisdem negotiis in monarchia monarchæ jussu convenierint, convenientes putaret gerere personam civitatis. Atque hoc ita manifestum est, ut mirum sit non animadversum esse ab iis, qui regem suum post sexcentorum annorum successionem, sine contradictione legitimum, quem et regem agnoverunt et cui majestatem attribuerunt, non tamen ut civitatis personam consideraverunt, sibimet ipsis totius civitatis Anglicanæ repræsentationem assumentes. Moneantur hinc qui summam habent in quocunque civitatis genere potestatem, cives suos officii tanti jura edocere, sed eadem jura ipsi prius doceri, si potestatem summam retinere cupiant.

Differentia inter tria hæc civitatum genera non consistit in diversitate potestatis, sed in diversitate aptitudinis civium ad finem suum, nempe pacem et defensionem. In comparatione autem monarchiæ cum duabus reliquis, notandum est, eum qui personam civitatis gerit, vel, si cœtus sit, quemlibet

ex cœtu, personam naturalem esse; et quanquam in persona sua politica civitati studeat, non tamen ideo ad rem familiarem suam, et cognatorum, et amicorum minus respicere; et sæpissime, si contingat bonum publicum cum privato non congruere, privatum publico anteferre. Nam passiones hominum ratione plerumque fortiores sunt. Quando ergo bonum publicum et privatum arctissime uniuntur, tunc maxime procuratur bonum publicum. In monarchia autem bonum publicum et privatum idem est. Regis enim divitiæ, potentia, et honor a viribus et existimatione civium proficiscuntur. Nam rex, cujus subditi pauperes, debiles, aut viles sunt, neque dives, neque magnus, neque securus esse potest. In democratia autem bonum publicum minus aliquando hominis improbi, avari, vel ambitiosi bono privato expedit, quam consilium perfidum, actio proditoria, vel bellum civile.

Secundo, monarcha quem, quando, ubi vult consulit. Itaque eorum, qui in re de qua deliberat veratissimi sunt, qualiscunque sint ordinis, sine fuce oratorio, ante exequendi tempus, quantum vult, et secreto consilia audire potest. Cœtu sautem, ubi consilio opus est, consiliarios nullos extra corpus suum habere potest, quorum maxima pars rerum civilium imperiti sunt; cæteri, cum oratores sint, orationibus aut fucosis aut inepte doctis sententias dicentes, civitatem aut turbant aut nihil juvant. Neque omnino cœtui hominum consilii, quod tacitum esse expedit, capiendi, propter multitudinem tempus aut locus est.

Tertio, monarcharum decreta inconstantiam nullam habent præter eam, quæ naturam sequitur humanam; sed in cœtibus accedit inconstantia alia

## CAP. XIX.

De generibus civitatum per institutionem, et de successione ad summam potestatem.

## CAP. XIX.

De generibus  
civitatum per  
institutionem,  
et de succes-  
sione ad sum-  
mam potestatem.

ab ipso numero hominum. Nam paucis eorum, qui decretum fecerant, absentibus, quod decretum est hodie cras rescinditur.

Quarto, monarcha a seipso invidia aut avaritia dissentire nequit. Cœtus autem dissensionem in seipso habere potest, eamque tantam, ut producat bellum civile.

Quinto, in monarchia incommodum quidem est, ut possit monarcha ad ditandum amicum aliquem fortunis omnibus bonum civem, quod tamen nunquam factum legimus, spoliare. Sed idem contingit non raro, ubi summa potestas in cœtu est. Eadem enim est utrobique potentia, utrique errare possunt; nec minus facile decipi potest cœtus a rhetoribus et oratoribus blandis quam monarcha a blanditiis aulicorum, sed facilius; nam in cœtu alter alterius avaritiæ et ambitioni vicissim inservit. Sunt autem monarchæ, ut unius hominis, cognati et amici quos ditare velit, pauci. Qui vero gratia apud cœtum valent, propter necessitudinem factionis cognati et amici multi sunt. Is, cui monarcha favet, amicis æque prodesse, et inimicis obesse potest; at oratores, id est, quibus favet cœtus, potestatis nocendi plusquam satis, juvandi parum habent. Accusatio enim, ut est natura hominum, minore eloquentia indiget quam defensio, majoremque habet cum justitia similitudinem condemnationis quam absolutio.

In monarchia incommodum est, quod summa potestas descendere ad infantem potest, vel ad virum qui inter bonum et malum discernere nesciat; unde potestatis usus in alio erit, puta curatore aut protectore. Sed incommodum in eo consistit, quod propter tantam dignitatem et officium tam lucrosam

nascetur inter potentiores cives competitio, et ex competitione bellum. Verum quod incommodum hoc non a forma regiminis monarchici oritur, argumento est, quod monarcha præcedens, tutelam successuri infantis quis habiturus sit, declaravit; idque vel expresse per testamentum, vel tacite, nempe consuetudini circa quæstiones similes non contradicendo; tunc autem si competitio vel bellum subsequatur, forma regiminis monarchici culpa non est, sed injustorum et ambitiosorum civium. Etsi autem monarcha præcedens tutelam nemini commiserit, incommodo tamen huic satis provisum est a jure naturali, nimirum, ut tutela illi committatur, cujus per naturam maxime interest infantis jura et personam conservari, et cui minimum a morte vel a diminutione ejus accessurum est emolumentum. Cum enim omnes bonum sibi quærant, si tutela infantis homini committeretur, qui se per illius mortem promovere posset, tutela non esset sed proditio, tanquam si quis tutelam agni committeret impranso lupo. Itaque, cum provisum sit ne contentionis de infantis tutela causa justa esse possit, non est, si pax turbetur, formæ regiminis monarchici, sed ambitiosis et injustis civibus officia sua ignorantibus attribuendum. Contra autem, civitas magna, in qua summam potestatem habet cœtus, vix ulla est quæ curatore tanquam infans aliquando non indigeat. Nam ut infans a consilio curatoris dissentire propter inscitiam non potest: ita cœtui a sententia majoris partis dissentire non est liberum. Et ut infantibus dantur tutores; ita cœtibus in rebus arduis *dic-tatores, custodes libertatis, protectores* dari insolitum non est; quorum regimen pro tempore est monarchicum; et a quibus sæpius cœtibus sublata

## CAP. XIX.

De generibus civitatum per institutionem, et de successione ad summam potestatem.

## CAP. XIX.

De generibus civitatum per institutionem, et de successione ad summam potestatem.

est potestas summa, quam monarchis infantibus a curatoribus suis.

Quanquam civitatum genera, ut dixi, tria tantum sint, monarchia, democratia, et aristocratia; considerantibus tamen civitates singulares quæ nunc sunt, et quæ per terrarum orbem olim fuere, plura fortasse videbuntur. Exempli causa, regnum quod vocatur electivum, ubi summam potestatem pro certo aliquo tempore habet rex; vel, qui potestatem summam hæreditariam quidem habet, a civibus autem limitatam; quæ formæ regiminis a plerisque monarchiæ appellantur: item, civitas democratice vel aristocratice gubernata, si civitatem aliam bello victam sibi obedire cogat, et per præfectum aliumve ministrum regat, videri forte potest, propter cœtum regentem, regimen democraticum vel aristocraticum esse. Sed non est ita. Neque enim reges temporarii, neque reges, quibus potestas circumscripta est, summi sunt, sed summorum ministri. Neque provincia, quæ democratiae aut optimatibus subjecta est, regitur a civitate dominante democratice aut aristocratice, sed monarchice.

Primo autem rex, cujus potestas cum vita terminatur, quales nonnulli hodie sunt in orbe Christiano; aut is qui summam quidem habet potestatem, sed post tempus certum vel ad alicujus alterius voluntatem deponendam, qualis erat quondam Romæ dictator; si successoris eligendi potestatem habeat, non est amplius monarcha temporarius, sed imperium habet sibi et hæredibus suis. Sin potestate illa careat, alter est vel homo vel cœtus, qui post illius obitum regem novum eligere potest. Sed is, qui hoc potest, summam potestatem ante habuit. Dare enim alteri, quod ipse non habet, nemo potest.

Quod si successionem dare potest alius nemo, is, qui potestatem ante habuit, retinere et successorem suum eligere potest, immo debet, ne, contra legem naturæ, cives fidei suæ commissos deserta potestate summa in conditionem naturæ relabentes perire patiatur.

CAP. XIX.

De generibus civitatum per institutionem, et de successione ad summam potestatem.

Secundo, rex electus ad potestatem præscriptam, præscribente, sive is homo sit sive cœtus, minor est; et proinde non est summus. Potestatem ergo summam habenti jus successoris eligendi semper hæret. Regiminis autem ejus forma non proprie monarchia, sed vel democratia vel aristocratia est.

Populus Romanus victam Pompeio duce Judæam rexit. Regiminis ergo Judæorum forma sub populo Romano, quo nomine appellabitur? Democratia non erat, neque aristocratia, quia non regebatur a cœtu hominum Judæorum. Quid ergo, an monarchia erat, cum summa potestas non in homine uno, sed in cœtu Romano resideret? Quidni? Populi Romani quanquam summa potestas in cives Romanos aristocratia erat vel democratia, in Judæos tamen monarchia erat. Tam enim civitatis unius in civitates plures, quam unius hominis in plures homines imperium monarchia est.

Quæcunque civitatis forma est, materia, id est, homines, mortalis est. Nam homines, tum singuli tum cœtus integri, morti subjecti sunt. Itaque, quemadmodum ad civitatis constitutionem necessarius erat *artificialis homo*, ita etiam ad conservationem civitatis necessaria erat *artificialis vita*, sine qua post ætatem unam moriente monarcha civitas omnis interiret. Vita autem hæc artificialis ea est, quam vocant jus successionis.

Perfecta civitatis forma esse non potest, ubi suc-



**CAP. XIX.**  
 De generibus  
 civitatum per  
 institutionem,  
 et de succe-  
 sione ad sum-  
 mam potestatem.

cessorem eligendi jus non sit in antecessore. Nam si in illo non est, in subdito est; ideoque ab eo, qui summam habet potestatem, assumi sibi potest. Illius ergo, aut nullius est; et sic civitas dissolvitur, contra instituentium intentionem.

In democratia, cœtus totus deficere, nisi deficientibus civibus, non potest. Quæstiones igitur de jure successionis ad democratiam non pertinent.

In aristocratiis autem, si quis ex cœtu summo moriatur, alterum in illius locum a cœtu ipso vel ipsius autoritate substituendum esse, propter eam quam habet potestatem summam, manifestum est.

Difficultas de jure successionis maxima in monarchiis est. Circa quam duæ quæstiones esse possunt; altera, an monarchæ præsentis jus sit quem vult eligendi; altera, quis sit quem vult. Ad primam autem, considerandum est, aut jus illud monarchæ præsentis esse, vel multitudinis solutæ. Ni monarchæ sit præsentis, moriente illo civitas dissolvitur, quia nullus est, qui jus illud postulare sibi potest, homo singularis; multitudo autem neque agere quicquam aut loqui potest, ut quæ persona amplius non est. Redeunt ergo omnia ad conditionem belli; et, per consequens, successoris constitutionem ad monarcham præsentem pertinere, ex ipsa civitatis institutione manifestum est.

Quæstio autem, quis ille sit, quem monarcha successorem sive hæredem sibi esse voluit, aut per ipsius testamentum aut per alia signa idonea judicandum est.

Per testamentum, si viva voce successorem declaraverit, ut fecerunt imperatores Romanorum primi hæredibus nominatis. Vox enim *hæres* non semper filium aut cognatum significat, sed quem-

cunque quisque potestatis suæ successorem esse velit. Si ergo monarcha successorem suum diserte nominaverit, summa potestas, simul atque mortuus est antecessor, in nominato est.

## CAP. XIX.

De generibus civitatum per institutionem, et de successione ad summam potestatem.

Ubi vero testamentum et verba aperta desunt, ibi voluntatis ejus alia signa naturalia observanda sunt. Quorum signorum unum est consuetudo loci. Ubi ergo succedere consuevit is, qui genere est proximus, illius est potestas summa, antecessore mortuo; quia si alium succedere sibi voluisset, facile illum vivens nominare potuisset. Eadem autem regula est, sive proximitas illa maris fuerit sive fœminæ. Consuetudo enim, quæ principis verbo tolli facile potuit nec tollitur, signum est sublatam esse nolentis.

Ubi vero neque testamentum neque consuetudo anteivit, ibi intelligendum est, primo, regimen manere monarchicum; quia formam illam regnando commendaverat, neque verbo improbaverat. Secundo, liberos suos potius quam alios ad tantam dignitatem promovere voluisse; et ex liberis, marem quam fœminam, ut per naturam ad sustinenda pericula aptiorem. Tertio, si prole careat, fratrem quam alium, atque ita semper propinquiorem quam remotiorem. Præsumitur enim sanguine propinquiorem, amore quoque, cæteris paribus, potiores esse.

Verum si monarchæ, per testamentum aut contractum, successorem constituere quem velit liceat, magnum inde videtur oriri posse civitati incommodum. Nam potestatem summam in hominem alienigenam transferre poterit; id quod (quia alienigenæ neque eidem forte regiminis formæ assueti sunt, neque eodem utentes sermone se mutuo con-

## CAP. XIX.

De generibus  
civitatum per  
institutionem,  
et de succes-  
sione ad sum-  
mam potestatem.

temptui aut odio habent) in civitatis oppressionem tendere verisimile est. Sed incommodum hoc non ab eo nascitur, quod summam potestatem habeat alienigena, sed vel ab imperitia regentis, vel a contumacia civium quorum alteri alterorum mores, ut æquum est, ferre nolunt. Quod incommodum Romani olim ex civitatibus, quas sibi subjecerant, impertiendo alienigenis multis, et interdum totis civitatibus, jus civium Romanorum, sustulerunt. Idem etiam conatus est, sed frustra, per regnorum Angliæ et Scotiæ unionem rex noster sapientissimus Jacobus. Quod si perfecisset, bellum civile, quod utramque gentem miseram facit, nasci potuisse non videtur. Civibus ergo, si monarcha successorem alienigenam constituat, injuriam nullam facit, quanquam culpa regentium vel ipsorum civium incommodum inde aliquando oriatur. Idem etiam ex eo manifestum est, quod regna in alienigenas per cognationem descendunt, quanquam eadem sequutura sint incommoda, pro licite acquisitis sine contradictione haberi solent.

---

 CAPUT XX.

## DE DOMINIO PATERNO ET DESPOTICO.

CIVITATEM per acquisitionem voco, ubi summa potestas acquisita est per vim, ita ut, mortis vel vinculorum metu, imperata facere unius personæ sive singuli sive pluralitate suffragiorum cuncti se obligaverunt.

Atque hoc dominii sive summæ potestatis genus ab eo quod fit per institutionem, in hoc tantum

differt, quod hic metu mutuo, ibi metu unius cives imperium in se admittunt. Utrique tamen id faciunt metu. Id quod ab iis qui pacta propter metum inita irrita esse universaliter pronuntiare solent, notandum est.

Id enim si verum esset, civitatis forma nulla esset, in qua obedientiam civium civitas exigere jure posset. In civitate quidem, ubi vis prohibetur et latrocinia indicare jubent leges, promissa terrore extorta irrita sunt; non autem ex natura pactorum irrita sunt. Etiam ubi promissa metu facta invalida sunt, promissorem absolvit non pacti invaliditas, sed sententia summæ potestatis. Alioqui universaliter verum est promissum licitum illicite violari.

Jura autem summæ potestatis, sive institutæ sive vi acquisitæ, eadem sunt, neque sine habentis consensu auferri vel transferri possunt. Itaque qui ea possidet neque puniri neque reus fieri jure potest. De pace et bello, et de doctrinis publice docendis, et de controversiis omnibus judicat. Magistratum, consiliariorum in pace, ducum in bello, ministro-rumque publicorum constitutor solus est. Premiorum, pœnarum, honoris, et ordinis arbiter; legum denique omnium author latorque est, propter rationes capite præcedente allegatas.

Est etiam dominiî acquisiti genus aliud per generationem, quod paternum dicitur: cujus jus patris est, non quia filium genuit, sed quia consensit filius, vel propter alia aliqua argumenta. In uniuscujusque enim filii vel filiæ generatione, duo concurrunt generantes. Si ergo dominiî jus sola generatione definiretur, duo essent domini, quibus amobus obedire impossibile est. Quod autem scripserunt aliqui,

## CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico.

## CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico.

dominium patris esse propter præstantiam sexus, non recte dicitur. Neque enim mas fœminæ tantum aut viribus aut prudentia semper præstat, ut dominium determinare possit sine bello. In civitatibus obtinet jus civile. Itaque ubi mas regnat, ibi mari, ubi fœmina, ibi fœminæ dominium tribuitur in filios regios. Sed quæstio nunc est de jure domini in conditione naturali, ubi leges matrimoniales nullæ sunt præter sexuum amorem mutuum et prolis curam naturaliter insitam, ubi pater et mater de dominio in infantem aut pacto disponunt, aut omnino non disponunt. Si ergo disponunt, per pactum id faciunt, et dominium cujus sit a pacto indicatur. Sic Amazones cum maribus vicinorum pacti sunt, ut geniti pueri ad illos remitterentur, puellæ apud matres remanerent.

Sin pactum nullum interveniat, dominium matris est. In conditione enim naturali, ubi leges matrimoniales nullæ extant, quis pater est ignoratur, nisi indicante matre. A matris ergo arbitrio dependet dominium; ipsius ergo est. Rursus, infans in potestate matris nascitur, ita ut penes illam sit aut educare aut exponere vel interficere. Si ergo alat, matri vitam debet infans, et propterea illi præ omnibus aliis obedire obligatur. Dominium ergo matris est. Sin exponat illum mater, alius autem repertum servet alatque, alentis dominium est. Servati enim semper dominus est servator; quia finis, propter quem alteri alteris se subjiciunt, conservatio est.

Si pater matris dominus sit, etiam infantis dominus est. Sin mater patris sit domina, ut fit quando regina, summam habens potestatem, subdito suo nubit, dominus infantis mater est, ut quæ domina est mariti sui.

Si vir et uxor, potestatem in diversis civitatibus summam habentes, filium habeant, et de dominio in illum contrahant, dominium dependet a contractu. Si non contrahant, dominus vel domina est cui dominium regni est, in quo nascitur filius; quia is, qui civitatis dominium habet, civium omnium in ea natorum dominus est.

Qui dominus filii est, dominus quoque est filiorum filii; quia qui jus in personam habet, jus quoque habet in ea quæ sunt personæ.

Jus successionis ad dominium paternum eodem modo procedit, quo in monarchia per institutionem, de qua dictum est in capite præcedente.

Dominium per victoriam in bello acquisitum ab aliquibus scriptoribus despoticum appellatur, quod est dominium herile in servos. Per victoriam autem acquisitum tunc est, quando victi vitandæ mortis imminentis causa facturos se paciscuntur, pro vita et libertate corporis concessa, quicquid a victore imperabitur. Post pactum illud victus victoris servus est. Quod nomen utrum an a servare an a servire derivetur, disputent grammatici. Significat autem non captum illum qui carcere concluditur aut catenis constringitur, sed captum illum qui pacto servire obligatur. Vincetus enim vel incarcerationis, ut qui cum victore nihil pactus est, nullo jure teneri potest quin carcerem, si potest, effringere, vincula dirumpere, victorem interficere, aut in servitute vicissim adducere jure possit. Captus autem qui pro libertate corporea fideliter servire pactus est, idem facere sine pacti violatione, id est, sine injuria non potest.

Non ergo a victoria jus dominii, sed a victi pacto nascitur; neque eo obligatur, quod captus est, sed

CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico.

## CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico

quod voluntati capientis se submitit. Neque ob submissionem ejus obligatur victor vitam ei condonare, nisi ante id promiserit.

Quod soleant homines vitam ab instante hoste petere, ideo faciunt, ut declinata morte quæ ab irato hoste statim expectatur, possint postea aut pecunia aut servitute vitam redimere; non quod victor redemptionis pretium accipere teneatur. Tunc demum servus vitæ securus est, quando corpus suum sibi creditur. Sin opus faciat aut quomodocunque sine pacto serviat, non id vi juris, sed metu mortis facit.

Dominus servi, omnium honorum quæ habet servus dominus est, et domino acquiritur quicquid acquirit servus. Continetur enim hoc in natura servitutis.

Jura denique omnia domini paterni tum despotici sive herilis eadem sunt quæ summæ potestatis in civitate per institutionem; et propter rationes easdem; quæ rationes in capite præcedente satis explicatæ sunt. Itaque monarcha, qui duarum aut plurium civitatum summam habet potestatem, in una per institutionem, in altera per acquisitionem, si, prætextu victoriæ, uni quam alteri duriores se præbeat, aut per iniquitatem aut per juris naturalis ignorantiam id facit. Constat hinc familiam magnam, nisi civitatis alicujus pars sit, quantum ad jura attinet, civitatem esse parvam, sive illa familia ex patre et filiis, sive ex domino et servis, vel ex patre et filiis et servis constet; et in ea familia monarcham dominum patremque esse. Familia tamen proprie civitas non est, nisi tantæ sit potentiæ vel per numerum suum vel per alias opportunitates, ut subjici sine bello non possit. Ubi enim homines

manifeste debiliores sunt quam ut tueri se possint uniti, unusquisque eorum, periculo imminente, ad vitæ suæ conservationem sive fuga sive deditione potest pro suo arbitrio jure uti; quemadmodum faciunt milites magno exercitu circumventi, si ipsi pauci sint, arma deponere, vitam petere, vel fugere potius solent quam ab hostibus occidi. Atque hæc de juribus eorum, qui summam habent potestatem, sufficiant ex rei natura deducta.

Videamus jam de eadem re quid docent Scripturæ Sacræ. Ad Mosem populus Israeliticus (Exod. xx. 19), sic loquitur: *Loquere tu nobiscum, et audiemus; sed nobiscum ne loquatur Deus, ne moriamur.* Debebat ergo Mosi a populo Israelitico plenissima et absoluta obedientia. De jure regum Deus ipse (1 Sam. viii. 11—17), per Samuelem dicit: *Hæc erit ratio ipsa regis qui regnabit super vos; filios vestros accipiet, ut sibi disponat in curribus suis et in equitibus suis, et ut currant ante currum suum; et ad disponendum sibi chiliarchos, et præfectos quinquagenis; et ad arandum arva sua, et ad metendum messem suam, et ad faciendum instrumenta bellica sua, et instrumenta curruum suorum; similiter filias vestras accipiet in unguentarias, in coquas, et in pistrices; etiam agros vestros, et vineas vestras, ac oliveta vestra optima accipiet, et dabit servis suis; servosque vestros, et ancillas vestras, ac juvenes præstantissimos, et asinos vestros accipiet, adhibebitque ad opus suum: greges vestros decimabit; denique vos eritis ei servi.* Potentia hæc absoluta est, nempe, *cives omnes regis servi sunt.* Rursus, audita ratione regis sui populus assensit tamen dicens (vers 19—20); *sed rex præerit nobis, ut simus nos quoque sicut*

## CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico.



## CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico.

*omnes istæ gentes ; et vindicet nos rex noster, et procedens ante nos gerat bella nostra.* Confirmata hic sunt iis, que habent summam potestatem, jura omnia tum militiæ tum judiciorum ; quæ adeo absoluta est potentia, ut homo ad hominem potentiam majorem transferre non possit. Præterea, potentia, quam a Deo petivit Salomon, hæc erat (1 Reg. iii. 9) : *Des servo tuo animum intelligentem ad judicandum populum tuum discernendo inter bonum et malum.* Quamobrem jus judiciorum et jus præscribendi regulas boni et mali, id est, jus legum ferendarum, pertinent ad illum qui summam habet potestatem civilem. Quæsivit Davidem Saulus ut eum occideret ; cum tamen Saulum occidere potuit David, et ut faceret hortati sunt eum servi ejus, vetuit eos David dicens, (1 Sam. xxiv. 7) : *Absit ut facerem rem hanc domino meo, uncto Jehovahæ, extendendo manum meam contra eum ; nam unctus Jehovahæ est.* Confirmatur hic regum impunitas. De servorum obedientia dicit Sanctus Paulus, (Col. iii. 22) : *Servi obedite dominis vestris in omnibus.* De obedientia filiorum dicit (Col. iii. 20), *Filii obedite parentibus in omnibus.* Debita ergo a filiis et servis patribus suis et dominis est obedientia simplex. Porro (Matth. xxiii. 2, 3) dicit Christus, *In cathedra Mosis sedent Scribæ et Pharisei ; omnia ergo quæ dixerint vobis ut servetis, servate et facite.* Ecce rursus obedientiam simplicem. Etiam Sanctus Paulus, (Tit. iii. 1) *Ipsis suggere ut sese subjiciant principibus ac potestatibus obtemperent.* Obedientia hæc simplex est. Postremo Servator noster ipse docet (Matth. xxii. 21) tributa imposita a summa potestate civili solvenda esse, ipse solvens et *date*, inquit, *Cæsari ea quæ Cæsaris sunt.* Item, quod quicquid is, qui summam habet potes-

tatem, exegerit a subdito suo, recte exigitur quando opus erit, et quod utrum opus sit necne ipse iudicabit, ostendi potest ex verbis Christi (Matth. xxi. 2, 3) discipulis suis mandantis, *Ite in vicum qui vobis est ex adverso, et statim invenietis asinam ligatam et pullum cum ea; solventes eos adducite ad me: et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Domino his opus est; statim autem mittet eos.* Non interrogabunt utrum necessitas illa sive opus jus eos capiendi domino tribuat, neque utrum dominus necessitatis illius iudex sit; sed in voluntate Dei acquiescent.

His locis addi etiam potest quod dicitur (Gen. iii. 5), *Eritis sicut dii, scientes boni et mali; et (vers. 11) quis indicavit tibi nudum esse te? An de fructu illius arboris, de quo interdixeram tibi ne comedas ex eo, commederis?* Cognitio, id est, iudicatio boni et mali, vetabatur sub nomine fructus arboris scientiæ boni et mali, in experimentum obedientiæ Adami. Diabolus autem, ut ambitionem femine, cui fructus ille pulcher jam visus erat, incenderet, dixit illi fore illos quasi deos, scientes boni et mali. Cum igitur comedissent ambo, arrogarunt quidem officium quod Dei solius erat, nempe iudicationem boni et mali, sibimet ipsis; quanquam facultatem novam discernendi inter bonum et malum nullam acquisierant. Quod dicitur autem, quod cum comedissent, viderunt se nudos esse, nemo locum illum ita interpretatus est, quasi cæci ante fuerint neque suas ipsorum cutes viderint. Sensus autem manifestus est, quod eo primum tempore nuditatem suam, in qua Deo visum est illos creare, indecoram esse iudicarunt, et pudore suo Dei opus tacite condemnarunt. Interrogat ergo Adamum Deus, *commedisti, etc.* tanquam si dixisset, tu, qui

## CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico.

## CAP. XX.

De dominio  
paterno et  
despotico.

obedientiam mihi debes, arrogasti tibi potestatem de actionibus meis judicandi? Unde perspicue, quanquam allegorice, significatur, facta eorum, quibus summa est potestas, a subditis suis non esse reprehendenda nec disputanda.

Itaque manifeste, quantum ego intelligo, non modo ex ratione, sed etiam ex Scriptura Sacra, summam potestatem, sive ea in uno homine, ut in monarchiis, sive in uno cœtu, ut in democratiis et aristocratiis, collocata sit, tantam esse apparet quantam facere eam possunt homines. Quanquam autem de potestate indefinita multa incommoda homines imaginari sibi possunt, incommoda tamen quæ potestatem limitatam comitantur, nempe bellum uniuscujusque contra vicinum suum, multo sunt majora. Conditio hominum in hac vita sine incommodis nunquam erit. Neque est in civitate quacunque incommodum magnum, nisi quod plerumque a civium ipsorum contumacia et a violatione pactorum illorum, in quibus essentia civitatis consistit, ortum sit. Quicumque autem potestatem summam, nimiam esse putans, diminuere conabitur, subjiciet se potestati majori quæ summam limitare posse videbitur.

Maxima contra potestatem absolutam objectio desumitur ab eo quod fieri solet, et eorum est qui interrogant *ubi* et *quando* potestas absoluta a subditis agnita fuerit. Sed vicissim ego illos interrogo *ubi* et *quando* libera a seditione et bello civili extitit civitas, ubi potestas absoluta non fuerit. In gentibus illis ubi civitates diu duraverunt nec nisi bello externo perierunt, subditi de potentia summa suorum principum nunquam disputaverunt. Argumentum autem a consuetudine hominum sump-

tum, qui in causas et naturam rerum civilium nunquam profunde inspexerunt, invalidum est. Etsi enim homines fundamenta domorum suarum super arenam collocarent, non tamen inde inferri potest ut ita fieri debeat. Scientia constituendi conservandique civitates, regulas certas habet et infallibiles non minus quam arithmetica et geometria; neque ab usu tantum dependet. Quas regulas excogitandi otium neque habuerunt pauperes, neque qui otium et voluntatem habuere, qua methodo id faciendum erat intellexerunt.

## CAP. XX.

De dominio paterno et despótico.

## CAPUT XXI.

## DE LIBERTATE CIVIUM.

*Libertas* significat proprie absentiam impedimentorum motus externorum; et dicitur non minus de rebus irrationalibus et inanimatis, quam rationalibus. Quicquid enim ita ligatur vel concluditur, ut nisi in spatio ab externis corporibus determinato moveri nequeat, id ulterius progrediendi *libertate* carere dicimus. Itaque animalia dum muris includuntur vel catenis ad locum certum alligantur, eundi quo alioqui itura essent *libertate* carent. Quando vero impedimentum in ipsa est natura rei, non *libertate* sed *potentia* carere dicitur; sic homo, qui morbo affixus lecto est, eundi *potentia*, non *libertate*, privari dicitur.

Juxta hanc propriam et receptam vocis significationem, *liber* dicitur is qui ex iis, quæ viribus et arte propria facere potest, quin faciat quicquid vult non impeditur. Sed voces *liber* et *libertas* qui ad alias res præter corpora applicant, abutuntur. Quod

## CAP. XXI.

De libertate  
civium.

enim motui subjectum non est, non est obnoxium impedimento. Quoties ergo dicunt, exempli causa, *via libera* est, non significatur libertas *viæ*, sed *viatoris*. Item, quando dicimus *donum liberum* est, non rei *datæ* sed *datoris* libertatem intelligimus. Etiam quando quis *libere loqui* dicitur, non *sermonis*, sed *loquentis* libertas est. *Liberum* denique *arbitrium*, non voluntatis libertas sed volentis est.

*Metus* et *libertas* simul consistere in eadem actione possunt, ut quando aliquis metu naufragii bona sua in mare projicit; nam libenter id facit, potuitque, si nolisset, non facere; *libere* ergo fecit. Sic ille qui metu carceris debitum solvit, *libere* solvit, quia *liberum* illi erat vel solvere vel non solvere. Similiter actiones civium omnes, quas metu legum faciunt, si non facere potuerunt, liberae erant.

Etiam *libertas* et *necessitas* consistere simul possunt. Nam aqua per fluminis alveum tum libere tum necessitate naturæ versus declivia movetur. Item actiones omnes voluntariæ, quæ sua natura *liberæ* sunt, quia tamen causas habent, et causæ illæ alias causas, et sic perpetuo usque ad causarum omnium causam primam, nempe divinam voluntatem, necessariæ sunt; adeo ut illis, qui causarum omnium connexionem viderent, actionum omnium etiam voluntariarum necessitas manifeste esset. Deus ergo, qui videt et disponit omnia, necessitatem videt omnium actionum a sua ipsius voluntate proficiscentium. Homines enim, quanquam multa faciunt contra leges divinas, id est, multa quorum Deus non est author, nullam tamen passionem, voluntatem, aut appetitum habent, cujus causa prima et plena non sit a voluntate Dei. Nisi enim voluntas Dei necessita-

tem voluntati humanæ imponeret, et per consequens actionibus omnibus ab ea dependentibus; libertas voluntatis humanæ omnipotentiam et omniscientiam et libertatem Dei tolleret. Atque hæc, quatenus ad institutum præsens, de naturali et proprie dicta *libertate* disputata sufficiant.

CAP. XXI.

De libertate  
civium.

Quemadmodum autem homines pacis et conservationis suæ causa hominem fecerunt *artificialem*, quem vocant civitatem, ita etiam vincula excogitarunt artificialia, quæ vocantur leges civiles; quæ vincula ipsi mutuis inter se pactis ab una parte ad illius, cui summam dederunt potestatem, labra, ab altera parte ad suas ipsorum aures alligarunt. Vincula autem hæc, etsi natura sua fragilia, satis tamen tenacia sunt, non a difficultate sed a periculo quo frangantur.

Vincula hæc *artificialia* ea sunt, quæ opponi intelligo libertati civium. Cum enim actionibus leges præscribere omnibus impossibile sit; *libertatem* habere civis dicitur ad illas actiones, de quibus in legibus nihil definitur, et ad eas solas. In his ergo unicuique id, quod sibi maxime videbitur expedire, facere liberum est. Sin de libertate corporis a carcere et catenis libertas civilis intelligeretur, absurdissime conquererentur libertatemque flagitent hodie rebelles nostri, qui ea manifestissime fruenter rebellaverunt. Libertas igitur civium in iis tantum rebus consistit, quas in legibus ferendis legislator prætermisit.

Libertas tamen hæc civilis, quin is, qui summam habet potestatem, vitæ et necis civium arbiter sit impedimento non est. Ostensum enim est civibus ab eo, qui summam habet potestatem, id est civitate, injuriam fieri non posse; etsi per iniquitatem

## CAP. XXI.

De libertate  
civium.

injurius esse in Deum possit. Contingere ergo potest, et contingit sæpe in civitatibus, jussu summam habentis potestatem, innocentem etiam sine injuria interfici; ut quando filiam suam occidi jussit Jephtha. Etiam in occisione Uriæ, etsi rex David inique fecit, et contra Deum graviter peccavit, contra Uriam tamen non peccavit, qui facti illum authorem se fecerat. *Tibi soli peccavi*, sunt (Ps. iv. 6) verba ipsius ad Deum Davidis. Deo enim solo obligari potuit rex. Etiam populus Atheniensis, cum civem per ostracismum in exilium mitteret, non illum criminis accusabat, sed quemcunque exulare voluit numerus concivium maximus, is exulabat; non quia violator legum erat, sed quia propter nimiam potentiam violare leges impune posse videbatur. Itaque Aristidem, cui cognomen justus ipsi ante dederant, civitate expulerunt. Expulerunt item Hyperbolum imi ordinis hominem scurram, quem nemo metuebat quia voluerunt; joculariter forte, non autem injuste, cum id jure fecerint civitatis.

Libertas illa, de qua in Græcorum Romanorumque veterum libris historicis et politicis, hodieque in sermone et scriptis eorum qui Græcam et Romanam politicam suam faciunt, tam magnifica fit mentio, non civium singularium, sed civitatis libertas est; eademque quæ hominum singularium fuisset, nisi constitutæ civitates et leges fuissent. Sicut enim inter homines, sine lege, sine imperio, bellum unicuique contra vicinum est, nulla autem hæreditas filiis transmittenda, nulla proprietas bonorum, nulla securitas, sed libertas unicuique plena et absoluta; ita inter civitates, quarum una alteri non subjicitur, unicuique civitati libertas faciendi quicquid sibi commodum videbitur absoluta est. Sed

tamen ita vivunt perpetuo ac si bellum esset, parati ad pugnam, tormentis bellicis contra vicinos undequaque collocatis. Itaque neque Atheniensis neque Romanus quisquam *liber a legibus* erat, sed civitates eorum. In portis murisque urbis Luccæ etsi inscribatur magnis characteribus LIBERTAS, Luccensis tamen nemo majore libertate fruitur quam Constantinopolitanus; utrobique enim legibus civibus vincuntur.

Dulci autem nomine libertatis facile decipiuntur homines, qui distinguere nescientes, id quod civitatis solius jus est pro sua cujusque hæreditate privata sibi arrogant. Qui error quoties autoritate eorum, qui propter ea quæ scripserunt politica celebres sunt, confirmatur, mirandum non est si seditionem et status mutationem pariat. In partibus orbis terrarum occiduis opiniones nostras de institutione et juribus civitatum accepimus ab Aristotele, Cicerone, aliisque Græcis et Romanis; qui cum degerent in civitatibus democraticis et aristocraticis, jura illa non a principiis naturæ deduxerunt, sed usum et consuetudinem civitatum suarum in libros suos politicos transcripserunt, non aliter quam regulas loquendi ex usu temporis sui describere solent grammatici. Quoniam ergo Athenienses, ne statum mutare cuperent, liberos solos esse eos qui in civitate viverent populari, servosque esse qui sub monarcha essent, docebantur; ideo Aristoteles (in *Polit.* Lib. VI, cap. 2) libertatem supponi in democratia scripsit, neminemque in alia civitatis forma esse liberum. Sicut autem Aristoteles, ita quoque Cicero aliique scriptores politicam doctrinam suam super Romanorum consuetudinem fundaverunt; qui Romani monarchiam odisse didicerant



CAP. XXI.  
 De libertate  
 civium.

ab illis primis, qui cum summum imperantem, nempe regem suum, deposuissent, summam Romæ potestatem inter se diviserant. Lectione autem librorum horum a Græcis et Latinis scriptorum factum est, ut homines nostri, ab infantia opinionibus illis innutriti, sub *libertatis* falsa specie habitum tandem contraxerint tumultibus favendi, actiones eorum qui summam habent potestatem reprehendendi, et rursus reprehendendi reprehensores illos; idque cum tanti sanguinis effusione, ut vere possim, puto, affirmare nunquam quicquam tam care emptum esse, quam Græcorum Latinorumque linguas emerunt partes hæ mundi occidentales.

Ut veniamus jam ad ea in quibus libertas civium vera consistit, id est, ut dicamus quænam illæ actiones sunt quæ, jussæ ab eo qui summam habet potestatem, possunt tamen sine injustitia prætermitti; considerandum est, quænam jura illa sint, quæ in civitate instituenda deponimus, sive, quod idem est, quas libertates nobismet ipsis denegemus tunc, quando omnium actionum simpliciter hominis vel cœtus quem summum facimus, authores nos facimus singuli. In ipsa submissione consistit tum *obligatio*, tum *libertas*. Itaque ex eadem submissione obligationis et libertatis argumenta sumi debent. Nulla enim tenetur obligatione quisquam, quæ a sui ipsius actione non procedat; cum per naturam homines libertatem æqualem omnes habent. Quoniam autem argumenta illa vel ab ipsis verbis, nempe, *actionum omnium ejus hominis, cui summam tribuimus potestatem, authorem me facio*, vel ab intentione ejus qui potestati summæ se submittit, quæ intentio intelligitur a fine propter quem se submittit, sumenda sunt; obligatio et lib-

ertas civium singulorum ab illis verbis vel ab illa intentione demonstrandæ sunt. Finis autem institutionis civilis est pax civium inter se et defensio contra hostem publicum.

CAP. XXI.

De libertate  
civium.

Primo ergo, quia institutio civitatis fit per pacta uniuscujusque cum unoquoque, manifestum est libertatem civi manere circa res illas omnes, quarum jus per pactum transferri vel abjici non potest. Sed ostensum est (cap. XIV.) pactum de seipso contra vim non defendendo invalidum esse. Ergo si summam habens potestatem, civem, quanquam jure morti condemnatum, seipsum interficere, mutilare, vel vulnerare; aut vi personam ejus invadenti non resistere; aut ab alimentis, medicina, aere, vel alia re sine qua vivere non potest, se abstinere jusserit; habet civis ille recusandi libertatem.

Si quis civis interrogetur a summam habente potestatem, vel per auctoritatem ejus, de crimine quod ipse civis commisit, fateri crimen, nisi facti venia data, non obligatur; quia nemo, ut ostensum est supra, obligari pacto potest seipsum accusare. Præterea, submitio civis continetur his verbis, *author sum omnium actionum ejus cui summam tribuimus potestatem*. Sed in his verbis libertatis naturalis restrictio nulla est. Etsi enim ut me occidat concedam, non obligor ut jussu ejus occidam meipsum. Aliud enim est dicere, occide me vel concivem meum, si vis; aliud autem dicere, occidam me aut concivem meum. Sequitur ergo neminem aut ad occidendum seipsum aut concivem ex ipsis verbis obligari. Itaque obligatio, quam quis habere interdum possit, jussu summæ potestatis faciendi actionem aliquam periculosam aut indignam, non a verbis dependet expressis quibus se submitit, sed ab inten-

## CAP. XXI.

De libertate  
civium.

tione quæ intelligitur ex fine institutionis civilis. Quando ergo negatio obedientiæ finem institutionis civitatis frustaneam facit, libertas recusandi nulla est; alioqui libertate sua naturali uti potest.

Itaque, si quis jubeatur contra hostem publicum pugnare, quanquam, si recuset, potestati summæ puniendi eum non desit jus, potest tamen aliquando sine injustitia recusare; ut quando alium militem non minus idoneum substituit; tunc enim civitatem non deserit. Præterea, a summo jure detrahendum est aliquid propter quorundam hominum timiditatem naturalem, non solum feminarum, a quibus officia tanti periculi nunquam expectantur, sed etiam virorum quibus animus femininus est. Quando prælium committitur, fuga tandem fit ab una vel altera parte; si tamen non a perfidia, sed a metu fuga oritur, non *injuste* fugere dicuntur, sed turpiter vel inhoneste. Propter eandem rationem, si quis prælium conetur evitare, injustitia non est, sed ignavia. Veruntamen qui militem se conscribi jubet, timiditatis naturalis excusationem perdit, obligaturque non modo prælium inire, sed etiam invito ductore suo non fugere. Quando autem defensio civitatis civium simul omnium uno et eodem tempore auxilium postulat, unusquisque, qui vel arma gestare potest vel ad victoriam aliquid quantulumcunque contribuere, ad militiam obligatur; quia alioqui, institutio civitatis, quam conservare cives nolunt vel non audent, vana esset.

Contra arma civitatis, defendendi alterius causa sive nocentis sive innocentis, arma sumere, liberum nemini est; quia libertas talis summam habenti potestatem media ad defensionem civium aufert, ipsamque civitatis essentiam destruit. Quid autem,

si multi simul contra civitatis potestatem summam crimen aliquod commiserint capitale, propter quod, nisi se defendant, expectant mortem, quæret aliquis utrum libertatem illi conjunctis viribus se mutuo defendendi habeant? Habent certe. Nam vitas suas defendunt tantum; id quod et innocenti et nocenti æque licet. Injustitia quidem erat officii violatio prima; sed quod arma postea ad se defendendos sumpserint, crimen novum non est. Excusatio autem sui defensionis oblata venia tollitur; facitque ut, si assistere cæteris perseverent, injusti sint.

CAP. XXI.

De libertate  
civium.

Reliqua civium libertas dependet a legum silentio. Ubi enim non definit lex, unicuique faciendi vel non faciendi libertas est; eaque pro arbitrio summæ potestatis aliquando major, aliquando minor est. Si inter civem et eum qui summam habet potestatem, controversia sit de jure agros vel bona possidendi, vel de debita pecunia vel opera, vel de pœna corporæ vel pecuniaria, quæ in lege aliqua præcedente fundata sit, libertas civi lege agendi est contra eum qui summam habet potestatem, eadem quam haberet contra concivem; controversiæ autem illius judex erit is, qui summam habet potestatem. Quoniam enim, qui summam habet potestatem, virtute petit legis præcedentis, non virtute potestatis summæ, non amplius petere velle intelligitur quam quod lege illa debitum esse apparebit. Nihil ergo facit civis, a quo petitur, contra voluntatem ejus qui habet summam potestatem. Sed si, qui habet summam potestatem, virtute potestatis peteret, agere contra illum lege civis non potest. Quicquid enim virtute potestatis summæ petit, autoritate petit ipsius civis, et proinde, qui agit contra summam potestatem, contra seipsum agit.

## CAP. XXI.

De libertate  
civium.

Si monarcha vel summam habens potestatem cœtus uni vel pluribus civibus privilegium, id est, jus sive libertatem privatam concedat, qua concessa salutem populi procurare non potest, concessio illa invalida est, nisi simul apertis verbis summæ potestati renunciaret, vel in alterum eam transferat. Eo enim quod potuit, si voluisset, summæ potestati verbis perspicuis renunciasset, vel eam in alium transtulisset, nec fecit, intelligendum est neque renunciare neque transferre voluisse; et proinde concessionem illam ab ignorantia profectam esse repugnantiam inter concessum privilegium et potestatem summam. Retinetur ergo potestas summa, et per consequens jura omnia retinentur quæ ad exercitium ejus sunt necessaria; qualia sunt potestas belli et pacis, judiciorum, magistratum et ministrorum constitutio, et cætera quæ capite decimo octavo enumerantur.

Obligatio, quam cives habent erga eum qui summam habet potestatem, tam diu nec diutius permanere intelligitur, quam manet potentia cives protegendi. Jus enim hominum seipsos protegendi naturale, quando a nemine alio protegi possunt, nullo pacto extinguere potest. Is enim, qui summam habet potestatem, civitatis anima est, quæ simul atque a corpore separata est, membra motum ab illa amplius non accipiunt. Obedientiæ finis est protectio; quam ubicunque quis viderit, sive in se sive in alio, ad illam obedientiam ejus et conatum ad illam conservandam applicat natura. Quanquam autem potestas summa ex intentione instituentium immortalis sit, sua tamen natura non solum morti violentæ a bello externo subjecta est, sed etiam propter ignorantiam et passiones hominum habet in se, ab

ipsa institutione, semina multa mortalitatis a discordiis civium ipsorum.

Si civis bello captus sit, vel personæ aut vitæ ejus necessaria intra præsidia hostium sint; hostes autem vitam et corporis libertatem illi permittant, ea conditione ut victori subditus sit; civis ille conditionem accipiendi libertatem habet; et cum acceptaverit, victoris subditus est; nam alia ratione conservare se non potuit. Si quis autem ab hoste in carcere aut vinculis detineatur, nec credatur sibi corpus suum, pacto vinctus non intelligitur, ideoque aufugere vel servare se quocunque modo jure potest.

Si monarcha summæ potestati pro se et hæredibus suis renuntiet, redeunt cives ad libertatem naturæ absolutam. Quanquam enim quis illi filius sit vel cognatione proximus indicet natura; quis tamen illi hæres sit dependet, ut ostensum est capite præcedente, a sua ipsius voluntate. Itaque si hæredem habere nolit, summa potestas et subjectio perit. Idem contingit, si moriatur sine cognatis cognitis et sine hæredis declaratione. Tunc enim nulla cuiquam debetur obedientia, cum cui præstanda sit ignoretur.

Si potestatem habens summam subditum in exilium mittat; manente exilio subditus ei non est. Sed qui in civitatem alienam mittitur de negotio aliquo, vel is cui peregrinari permittitur, civis et subditus manet. Sed hoc per contractum inter civitates vel jure gentium fit; non vi pacti alicujus. Quicumque enim intra fines alienæ civitatis intraverit, illius civitatis legibus subjectus est, nisi jus habeat ab amicitia inter se ambarum civitatum.

Si monarcha bello superatus subditum se victori

CAP. XXI.

De libertate  
civium.

## CAP. XXI.

De libertate  
civium.

faciat, priore obligatione cives liberantur, debentque victori obedientiam. Verum si captus detineatur, potestatem quam habebat in civitate sua summam, perdidisse non intelligitur. Quare subditi ejus obligantur obedientiam magistratibus ab eo ante constitutis et nomine ejus, quanquam in captivitate existentis, solitam præstare. Manente enim jure ejus, quæstio de sola administratione est, id est, de magistratibus et ministris; quos quia ipse constituere suo arbitrio non potest, illos, quos ipse ante constituerat, probare intelligitur.

## CAPUT XXII.

## DE SYSTEMATIBUS CIVIUM.

DE generatione, forma, et potestate civitatis dictum est. Dicendum nunc est de partibus ejus. Per *systema* intelligo *numerum quemcunque hominum in rem ipsorum communem congregientium*. Quorum alia *regularia*, alia *irregularia* sunt. *Regularia* quidem ea sunt, in quibus homo vel cætus unus personam gerit omnium. Cætera autem omnia sunt *irregularia*.

Regularium alia *absoluta* sunt, sive *independentia*, id est, nemini subdita præterquam suæ propriæ personæ repræsentativæ; quales sunt civitates, et quidem solæ. De quibus dictum jam est in quinque proxime superioribus capitibus. Alia sunt *subordinata*, nempe, summæ potestati civitatis, cui tum singuli, tum etiam qui ipsorum personam gerit, subjiuntur.

De systematibus subordinatis alia *politica* sunt, alia *privata*. *Politica*, quæ vocari etiam solent *corpora politica*, ea sunt, quæ ab autoritate sum-

mæ potestatis civilis constituta sunt. *Privata* ea sunt, quæ constituuntur ab ipsis civibus vel auctoritate aliqua extranea; quæ auctoritas, quia a potestate extranea derivatur, *publica* non est.

CAP. XXII.

De systematibus civium.

Systematum privatorum alia *licita* sunt, alia *illicita*. *Licita* ea sunt quæ probantur a civitate; cætera *illicita*.

Systemata irregularia sunt quæ cum personam non habeant, consistunt in concursu tantum populi; quæ, si lege civili non sint vetita et sine mala intentione fiant, qualis est confluxus populi ad forum, vel pompam, vel alium finem innocuum, licita sunt. Quando autem consilio malo confluunt, vel, si multitudo magna sit, incognito, illicita sunt.

In systematibus subordinatis, potestas personæ eorum semper terminatur a potestate civili summa; alioqui systema subordinatum non esset, sed civitas, cujus persona civium cunctorum persona est; et proinde pars civium nulla repræsentari ab alio potest, nisi quatenus personæ civitatis visum erit. Permittere enim ut systema civium subordinatum partem populi in rebus omnibus repræsentaret, deserere esset civitatis, quatenus ad partem civium, regimen, et dominium dividere, contra pacem et salutem populi, id quod is, qui summam habet potestatem, nulla concessione facere intelligitur, qua non perspicuis verbis subjectione sua cives exonerat. Verborum enim consequentiæ voluntatis signa non sunt, ubi consequentiæ aliæ signa sunt in contrarium; sed erroris potius et falsæ ratiocinationis, quibus humana natura subjicitur, signa sunt.

Potestatis, quam habet systema subordinatum, limites cognoscuntur duabus rebus, nempe literis ab eo qui summam habet potestatem, et lege civitatis.



## CAP. XXII.

De systema-  
tibus civium.

Quanquam enim in civitatis institutione vel acquisitione literis scriptis opus non sit ; quia potestas ibi summa, ut diximus, limites nullos habet præter naturæ legem non scriptam ; in systematibus tamen subordinatis, tot limitationes circa agenda, tempora, et loca necessariae sunt, et neque sine literis scriptis memoria retineri, neque, nisi literæ illæ patentes sint et summæ autoritatis signis signatæ, cognosci possint.

Et quoniam limitationes non semper facile, aut fortasse omnino describi literis possunt ; determinatio, quid systemati licitum vel illicitum factu erit, ad leges civiles, ubi literæ ipsæ silent, necessario pertinet.

Ubi in systemate subordinato persona est unus homo, quicquid ille facit in persona systematis absque literarum suarum et legum civilium auctoritate, suum ipsius, non systematis, neque alicujus ejus membri præterquam sui ipsius, factum est ; propterea quod ultra limites literis et legibus præscriptos neminis præterquam suam ipsius personam habet. Quicquid autem juxta leges et literas facit, factum est uniuscujusque hominis eorum qui systema constituunt ; quod enim a summa potestate fit, ipsum facientem authorem habet ; quia factum, quod a literis et legibus summæ potestatis non recedit, ipsius summæ potestatis factum est ; et proinde, singula systematis membra authores habet.

At si persona systematis cœtus sit, quicquid ille cœtus præter legum et literarum suarum auctoritatem fecerit vel decreverit, factum est totius systematis, et præterea uniuscujusque eorum quorum suffragiis decretum fuerit ; sed neque hominis, contra cujus suffragium factum aut decretum erat, ne-

que hominis absentis factum est. Cœtus enim ipsius ideo factum est, quia majoris partis est; et si quidem crimen sit, puniendus cœtus est, quatenus pœnæ capax est: exempli causa, per dissolutionem systematis, quæ quidem ejusmodi corporibus fictitiis capitalis est, vel, si modo ærarium commune habeat cœtus, per mulctam pecuniariam. Nam hujusmodi systemata a pœnis corporeis ipsa exemit natura. Qui autem crimini a systemate decreto suffragium suum non dederunt, innocentes sunt; et quia cœtus, per literas suas, neminem in illicitis repræsentare potest, innocentes illi in suffragiis nocentium non comprehenduntur.

CAP. XXII.  
 De systema-  
 tibus civium.

Si persona systematis sit in homine uno, et is pecuniam mutuam sumpserit ab extraneo, id est, ab eo qui membrum systematis ejus non est; debitor est is, qui habet personam systematis, neque ad solutionem tenetur alius quicumque. Alioqui, literarum suarum autoritate facere posset, ut quicquid ipse mutuam sumerit alii solverent. Systematis ergo subordinati membrum ad solutionem pecuniæ, quam persona systematis (quoties homo est) mutuam sumpserit, teneri non potest. Qui pecuniam mutuam dat, cum systemati extraneus sit, pro debitoribus habet eos solos qui solvere promiserant; personam enim mutuam accipientis nullam, præter ipsius hominis naturam, cognoscit. Solus ergo debitor is est, et solvere debet vel ex communi thesauro, vel ex pecunia propria. Idem dicendum est de mulcta, si contingat personam systematis subordinati, quam gerit homo unus, a persona civitatis pecunia mulctari.

Quando autem persona systematis in cœtu est, debeturque pecunia extraneo, tenentur ad solutionem

## CAP. XXII.

De systema-  
tibus civium.

illi omnes et soli, quorum suffragiis pecunia mutuo sumpta est. Unusquisque enim eorum, eo ipso quod mutuam sumi suffragiis suis voluerunt, ad solutionem obligantur etiam totius debiti, quod cum quilibet unus solverit omnes liberantur.

Quod si pecunia uni alicui ex ipso cœtu debeatur, ad solutionem tenetur solus cœtus ipse, id est, ipsum systema. Is enim, cui debetur, si pecuniam illam mutuam dari præsens suffragio suo voluit, etiam solvi voluit; sin suffragio suo mutuam dari noluit, vel si absens fuerit, quia tamen mutuam dando mutuam dari voluit, solvi voluit; idem ergo mutuam sumit et dat; et proinde debitum suum a nemine poscere præterquam a systemate ipso jure protest. Itaque si systema ex thesauro communi solvendo non est, remedium habet nullum; neque potest nisi de seipso conqueri, qui sponte sua imprudenter pecuniam suam mutuam dedit.

Manifestum hinc est, in systematibus subordinatis subditisque potestati civitatis, interdum privato homini systematis membro contra decretum cœtus protestari, aliquando dissentire, et dissentionis suæ conservari memoriam postulare, non modo licitum esse, sed etiam expedire, ne alioqui debita ab aliis contracta ipse solvere obligetur. Sed in cœtu summam habente civitatis protestationes hujusmodi licitæ non sunt, propterea quod potestatis summæ totidem sunt negationes; etiam quia quicquid fit a summa potestate, authoribus fit civibus omnibus et singulis.

Systematum subordinatorum infinita fere est varietas. Distinguuntur enim non solum ab agendis, propter quæ constituuntur et quæ multorum generum sunt, sed etiam a temporibus, locis, et numeris,

quæ omnia definiri debent. Constituuntur enim aliquando ad regendam provinciam cum potestate literis civitatis terminata. Sed provinciarum quæ a cœtibus in ipsa provincia residentibus gubernantur, pauca sunt exempla. Romani provincias suas præsidibus, prætoribus, vel procuratoribus administraverunt; non cœtibus, sicut administrabatur ipsa Roma. Similiter emissæ ad Virginiam et Bermudam coloniæ, quanquam summa potestas in illas commissa esset cœtui Londinensium, cœtus tamen ille colonias illas per præfectos administravit. Quanquam enim unusquisque regiminis partem exercere cupiat, ubi adesse ipse potest; ubi tamen adesse non potest, rem communem monarchice quam vel aristocrate vel democratice administrari mavult naturaliter. Quod manifestum etiam est in privatis hominibus qui multas habent possessiones; qui, labore administrandi negotia propria levare cupientes, amicum vel famulum unum potius eligunt, cui possessionum suarum curam committant, quam amicorum vel famulorum plurium systemati. Potest tamen provinciæ vel coloniæ cura etiam cœtui committi. Quando autem id fit, quodcumque ab eo cœtu debitum contractum fuerit; et quodcumque decretum ab eo cœtu illicitum fuerit, factum est illorum tantum qui per suffragia sua assenserunt, non autem ejus qui dissensit vel abfuit, propter rationes supra adductas. Cœtus extra fines coloniæ, quam administrat, potestatem in personas vel bona coloniæ non habet, qua bona eorum in loco quocumque extra ipsam coloniam propter debitam pecuniam exigere jure potest; quia extra coloniam ipsam jurisdictionem nullam habet. Idem cœtus, quamquam mulctandi membra singularia jus habeat, si

CAP. XXII.

De systematibus civium.

**CAP. XXII.** leges suas fregerint ; mulctam tamen illam exequi extra coloniam ipsam jure non potest. Quod autem hic dictum est de administratione provinciæ vel coloniæ, dicendum quoque est de regimine oppidi, vel universitatis, vel collegii, vel ecclesiæ.

De systematibus civium.

In omnibus systematibus subordinatis, si quis ex systemate causam habeat contra systema ipsum, cognitio causæ pertinet ad judicem civilem, qui a summa potestate civitatis ordinatur, non ad ipsum systema, quod membro suo concivis est. In cœtu summam habente potestatem civitatis, aliter res se habet ; ibi enim is, qui summam habet potestatem, etiam in sua ipsius causa judex erit ; aut judex erit omnino nullus.

Systematis subordinati, ad regulanda negotia mercatorum constituti, persona commodissima cœtus est ; cœtus, inquam, eorum omnium quorum negotia regulanda sunt ; in quem convenire, suffragia habere, unusquisque eorum, qui pecunias suas conferunt, si velit, possit. Mercator, qui navem emere et mercibus onerare potest, rarus est. Opus ergo habent, ut in unum systema plures conjungantur. Finis autem systematis mercatorii is est, ut possint et facilius et utilius negotiari, juxta regulas a se quidem excogitatas, sed a summa potestate literis confirmatas. Quibus literis si concessum sit, ut possint ea, quæ a dominio civitatis exportari expedit, soli emere, et quæ in civitatis dominium importari, soli vendere, juxta systematis sui regulas ; duplum habebunt monopolium. Quorum utrumque ipsis mercatoribus lucrosum est, sed civibus cæteris ex parte noxium. Quoniam enim soli bona civium domi emunt, vilius emunt ; id quod sibimetipsis lucro, reliquis autem civibus damno est. Similiter,

quia in dominiis externis soli vendunt, carius vendunt; id quod sibimet ipsis rursus lucro, exteris damno est. Tertio, quia merces externas soli emunt, vilius emunt; id quod sibi quidem utile, externis autem noxium est. Quarto, quia merces externas soli vendunt domi, carius vendunt; id quod sibi adhuc lucrosus, sed concivibus suis damnosus est. Bono ergo civitatis esset, si literis concessum esset, ut soli foris civitatis suæ merces venderent et merces externas soli emerent; sed ut domi arbitrio suo, quo velint pretio, importata venderent, civibus malum esset. Expedi autem singulis hujusmodi systematis membris, ut qui pecunias suas contulerunt, et expectant lucrum singuli pecuniæ suæ collatæ proportionale, consultationibus systematis adesse, librosque rationum suarum inspicere; id est, ut persona systematis sit in ipso cœtu seu curia, ad formam democratæ.

CAP. XXII.

De systema-  
tibus civium.

Si systema mercatorum homini, qui systematis membrum non sit sed extraneus, pecuniam debeat, unumquodque membrorum seorsim obligatur ad solutionem totius debiti. Is enim, qui systematis membrum non est, personæ artificialis notitiam nullam habet, sed personas naturales eorum omnes obligari sibi supponit. Verum si creditor sit systematis membrum, debitor quoque idem est, neque debitum suum nisi a systemate ipso, id est, a communi pecunia, si quam habet, postulare jure potest. Si civitas a systemate virtute potestatis summæ pecuniam exigat, solvenda a membris est, collatis a singulis ad mercaturam pecuniis proportionaliter. Nam communem pecuniam nullam habet systema mercatorium, nisi quæ a singulis ad mercaturam collata est.

## CAP. XXII.

De systema-  
tibus civium.

Eidem systemati si imponatur ob crimen aliquod mulcta pecuniaria, illi soli ad solutionem tenentur, quorum suffragiis fieri crimen decretum erat, vel quorum auxilio commissum erat. In cæteris enim crimen non erat, nisi crimen sit quod membra essent systematis peccantis. Id autem crimen non est, quia systema ipsum civitatis auctoritate constitutum est.

Si unus ex membris pecuniam systemati debeat nec solvat, systema contra illum lege civili agere debet. Neque enim bona ejus capi, nec persona ejus in carcerem conjici ipsius systematis, sed civitatis solius auctoritate potest. Concives enim sunt systema et membrum ejus.

Systemata subordinata etiam pro tempore præfinito constitui possunt. Exempli causa, si monarchæ dominii sui partibus singulis, ut provinciis et oppidis, mandare visum fuerit per deputatos suos convenire, ut illum de conditione dominii sui certiores faciant, et ei circa legum novarum constitutionem consilium suum impertiant, vel propter aliam causam quamcumque, colloquaturque cum illis tanquam cum una persona cives omnes repræsentatura; deputati illi simul ac loco et tempore a summa potestate constituto convenerint, ibi et tunc systema sunt regulare; et personam gerit systema totius dominii civium, quantum attinet ad ea quæ a monarcha, summam habente potestatem, tractanda proponentur; ad alia autem non item. Etiam quando nihil amplius tractandum esse a monarcha declarabitur, systema illud dissolvitur. Si enim civium omnium et quoad negotia omnia personam gereret, potestas systematis summa esset, essentque in eodem populo summæ potestates duæ; id quod

cum pace et salute populi fieri non potest. Quæ autem tractanda sunt in systemate tali, præfinita sunt in ipsis literis quibus convocantur. Populus enim deputatos suos eligere ad alium finem non possunt, quam qui in ipsis monarchæ literis continetur.

CAP. XXII.

De systematibus civium.

Systema privatum regulare, idemque licitum, illud est, quod sine literis aut mandato summæ potestatis, præterquam legibus omnium civium communibus, constituitur. Quod cum una persona factum sit, regulare est. Qualis est familia, in qua paterfamilias, quatenus leges civiles non prohibent, personam gerit totius familiæ; et illi filii servique obedire in omnibus rebus, quæ non sunt contra leges civiles, obligantur. Nam ante institutionem civitatum, patris erat in filios et servos potestas summa, neque potestatis ejus partem ullam amiserunt patres, nisi quam sustulerunt ipsorum consensu leges civiles.

Systemata regularia quidem, sed illicita, ea sunt, quæ fiunt ab hominibus in unam personam coeuntibus sine omni autoritate publica. Qualia sunt systemata mendicorum et furum, eo fine ut mendicent furenturque commodius. Etiam privata et illicita sunt systemata ea sive fraternitates autoritate externa constitutæ ad propagationem doctrinarum, vel ad factionem, contra civitatis potestatem summam.

Systemata irregularia, quæ sua natura fœdera tantum sunt, et interdum concursus tantum populi, sine certo consilio, et sine obligatione mutua, procedentia a sola voluntatum morumque similitudine, licita aut illicita sunt prout singulorum consilia licita sunt vel illicita. Consilium autem cujusque quale sit, ab occasione intelligendum est.



## CAP. XXII.

De systema-  
tibus civium.

Fœdera civium, quoniam propter mutuam defensionem fieri fœdera solent, in civitate, quæ civium omnium fœdus commune est, necessaria non sunt; sed suspecta sunt consilii contra civitatem initi; et propterea sunt illicita, vocanturque vulgo conjurationes et factiones; quoties autem civium vires suas conjungentium consilium incognitum est, ut civitati periculosum, injustum et injuste celatum est.

Si potestas summa in cœtu magno sit, parsque illius, cæteris insciis, consilium seorsim capiant quomodo cœtum totum ad arbitrium suum gubernent, factio est et conventus illicitus hominum per fraudem ad seditionem, ambitionis propriæ causa, decipere cupientium.

In civitatibus omnibus, si quis civis plures habeat famulos et servos quam conditio ejus et res agendæ postulant, factio est illicita. Cum enim protectionem habeat civitatis, defensionis causa vi privata non indiget.

Concursus populi systema est; sed irregulare, quia sine personæ unitate. Licitum autem vel illicitum est, prout causa concurrenti licita, vel concurrentium numerus civitati periculosus est. Si causa justa et cognita sit, concursus licitus est; qualis est concursus hominum ad pompas et ad theatrum numero non insolito. Nam si numerus solito insigniter major sit, is, qui causam legitimam, quare multitudini tantæ interfuit, reddere non potest, consilii seditiosi conscius judicabitur. Ut, cum mille homines magistratui vel judici supplicationem offerant, lex fortasse civilis nulla prohibet; concursus tamen ille tumultus est seditiosus, quia per unum vel duos homines idem fieri potuit. Multitudo autem, quæ concursum illicitum reddit, non

numero certo definitur, sed tanta videri debet, quantum, si opus est, publici ministri consueti superare sine periculo non possunt. Similiter, si numerus hominum insolitus ad tribunal concurrunt alicujus hominis accusandi causa, concursus ille illicitus est ; quia paucis vel unico homine accusare illum potuerunt. Talis (Act. xix. 34-40) in Epheso erat concursus contra discipulos infidelium clamantium, *Magna est Diana Ephesiorum*: ubi causa, consideratis civitatis illius legibus, justa erat ; concursus tamen illegitimus fuit et a magistratu reprehensus: *Quod si Demetrius et qui cum eo sunt artifices, negotium habent cum aliquo, agitur forum, et proconsules adsunt ; alii alios postulanto. Si quid autem de rebus aliis requiritis, in legitima concione explicabitur. Nam periculum est ne postulemur seditionis propter diem hodiernum, quum nulla subsit causa ob quam possimus reddere rationem concursus istius.*

CAP. XXII.

De systematibus civium.

Hactenus de systematibus dictum est, quæ partibus humani corporis similaribus comparari possunt; nempe ea, quæ legitima sunt, musculis ; quæ legitima non sunt, apostematibus, tuberibus, tumori-  
busque a confluxu humorum noxiorum generatis.

---

### CAPUT XXIII.

#### DE POTESTATIS SUMMÆ MINISTRIS PUBLICIS.

MINISTER publicus is est qui in rebus, quæ ad civitatem pertinent, per autoritatem summam habentis potestatem civitatis personam repræsentat. Quoniam autem qui summo loco imperat, personas duas gerit, sive, ut loquuntur multi, duas habet capacitates, aliam naturalem, aliam politicam ; ille,

## CAP. XXIII.

De potesta-  
tis summæ mi-  
nistris publicis.

qui summam habenti potestatem minister est ut personæ naturali, minister publicus non est. Qui vero minister ejusdem est in administratione rei publicæ, ille minister publicus est. Janitores ergo, nuntii, alique ministri qui inserviunt cœtui summo propter nihil aliud præter commoditatem ipsorum qui congregati sunt, ministri publici non sunt. Idem de servis et famulis domesticis monarchæ, in persona naturali considerati, dicendum est.

Ministrorum publicorum aliquibus totius domini administrandi cura committitur; ut quando protectori monarchæ infantis ab antecessore suo committitur tutela cum tota regni administratione. Quando id fit, civis unusquisque illi obedire obligatur, et imperata ejus facere, quatenus in regis infantis nomine imperabitur, et quatenus imperata ipsa potestati summæ infantis non repugnabunt. Ministris aliquibus provinciæ tantum committitur administratio; ut quando monarcha vel cœtus summus provinciæ alicujus præfectum, locum tinentem, vel pro-regem facit. Quod cum fit, unusquisque provincialium tenetur illi obedire in omnibus, quæ monarchæ vel summi cœtus nomine imperabuntur, nec potestati summæ contraria sunt. Ejusmodi enim ministri jus nullum habent, quod non dependet a voluntate summæ potestatis. Hujusmodi autem ministri publici nervis tendinibusque, quibus corporis humani moventur artus, comparari possunt.

Administrationem habent alii negotiorum certorum domi, alii foris. Domi minister publicus est ad œconomiam civitatis, *thesaurarius*, cui civitatis reditus recipiendi, servandi, erogandi, autoritas est data a summa potestate, et cui redituum ra-

tiones reddendi onus incumbit. Minister autem publicus eo est, quia summæ potestati servit, ut personæ civitatis.

CAP. XXIII.

De potesta-  
tis summæ mi-  
nistris publicis.

Secundo, quibus armorum, castrorum, portuum commissa est custodia; quibus milites conscribere, ducere, salarium solvere, autoritas data est, vel necessaria ad bellum sive terra sive mari procurare; ministri publici sunt. Miles autem, etsi pro civitate pugnet, personam civitatis coram nemine repræsentat; neque ergo minister publicus est. Sed dux, quia imperium habet, personam civitatis repræsentat coram militibus quibus imperat, et minister publicus est.

Etiam quibus populum docendi autoritas concessa est, ministri publici sunt; quia negotium publicum est, et autoritate publica administrandum. Populum enim docendi monarchis solis et cœtibus summis autoritas a Deo immediate concessa est, ut qui soli dicantur simpliciter *Dei gratia* docere et imperare. Minister autem docendi potestatem immediate a summa potestate, quanquam etiam mediate a Deo, accipit. Itaque potestatem habet suam, *Dei et regis gratia*, vel *providentia divina et voluntate regis vel civitatis*.

Item illi, quibus jurisdictio a civitate data est, id est, potestas causas cognoscendi, ministri publici sunt. Personam enim summam habentis potestatem, in tribunalibus suis sedentes, repræsentant; et sententiæ eorum sententiæ sunt civitatis, id est, summam habentis in civitate potestatem, cui causas cognoscendi jus adhærere supra ostensum est. Sunt ergo ministri publici. Quoniam autem judicia duorum generum sunt, facti et juris; tam facti quam juris iudex minister publicus est.

Etiam ministri publici illi sunt, quibus a summa

CAP. XXIII. De potestatis summæ ministris publicis. potestate cura imponitur judicia exequendi, jussa summæ potestatis publicandi, tumultus supprimendi, malefactores capiendi, et incarcerandi; aliarumque rerum ad conservationem pacis pertinentium. Hujusmodi enim actiones civitatis actiones sunt, ipsique ministri hujusmodi corporis humani *manibus* comparandi sunt.

Foris ministri publici sunt illi, qui personas monarcharum suorum vel summorum cœtuum repræsentant ad civitates externas; quales sunt legati, nuntii, agentes, et heraldi, autoritate publica de negotio publico missi. Qui autem ad civitates externas a civitatis suæ, seditione laborantis, factione aliqua legantur, quanquam recepti sint, neque ministri publici neque privati sunt; quia civitate missi non sunt. Etiam legatus a principe ad principem, congratulandi vel condolendi vel in festivitate aliqua assistendi causa missus, etsi autoritatem habeat publicam, quia tamen negotium privatum est, minister publicus non est. Neque minister publicus is est, qui ad externas civitates mittitur consilia eorum explorandi causa. Quanquam enim tum autoritas tum negotium publicum sit, quia tamen personam civitatis non gerit, minister privatus est; et corporis humani oculo comparari potest. Consiliarius autem, si sine imperio et jurisdictione de rebus arduis et publicis habenti potestatem summam consilium tantum dandi jus habeat, minister publicus non est; neque vero consiliariorum cœtus ipse. Consilium enim imperanti summo coram ipso datur; personam autem ejus coram ipso repræsentare nemo potest. Neque in cœtu ipso summam habente potestatem, ullus homo singularis est minister publicus; quia nemo eorum cœtus ipsius personam in cœtu ipso repræsentare potest.

## CAPUT XXIV.

DE CIVITATIS FACULTATE NUTRITIVA ET GENERATIVA.

CIVITATIS nutritio a *copia et distributione* rerum ad vitam necessariorum dependet, et ab earum *præparatione et applicatione* ad usum publicum. CAP. XXIV.

De civitatis facultate nutritiva et generativa.

Quarum rerum *copia*, nempe nutritionis materia, terminata ab ipsa natura est ; constatque ex fructibus quos, a communis matris nostræ uberibus terra et mari procedentes, humano generi aut libere donat aut solo labore vendit Deus. Sunt autem animalia, vegetabilia, et mineralia, quæ omnia non longe collocavit Deus a superficie telluris ; adeo ut ad ea habenda alia re opus non est quam ut accipere velimus. Dependet ergo rerum necessariorum copia a sola, post benevolentiam divinam, industria et labore hominum.

Materia hæc, id est, ea quæ proveniunt a terra, mari, et eorum cultura bona, partim *nativa* civitatibus singulis sunt, partim *externa* in civitates singulas importata. Quoniam autem terra nulla sub unius civitatis dominio, nisi valde magna sit, necessaria omnia ad alimenta et motum civitatis producit; neque rursus, ulla, quæ non aliqua producat superflua ; bona illa superflua, quæ *nativa* sunt, superflua amplius non sunt, sed commutatione, vel bello, vel labore (nam etiam labores hominum, non minus quam res aliæ, cum bonis aliis quibuscunque commutabiles sunt) bonorum *nativorum* defectum suppleant.

Bonorum autem distributio, est *mei, tui, sui* constitutio ; vocaturque *proprietas*. *Proprietas*

## CAP. XXIV.

De civitatis facultate nutritiva et generativa.

autem in omni genere civitatis originem habuit a summa potestate. Ubi enim civitas non est, ibi omnia omnium sunt, et bellum perpetuum est; et bonum unumquodque illius est, a quo rapitur et armis conservatur; quod neque proprietas neque communitas est, sed concertatio. Id quod ita manifestum est, ut etiam ipse Cicero, libertatis defensor vehementissimus, proprietatem omnem attribuat legibus civilibus, quibus sublatis vel negligerenter custoditis, nihil esse dicit quod quis aut a majoribus accipere aut filiis relinquere pro certo possit. Et rursus, *tolle*, inquit, *leges civiles; quid suum, quid alienum sit, sciet nemo*. Quoniam ergo constitutio proprietatis civitatis opus est; illius opus est, qui summam in civitate habet potestatem. Dependet enim proprietas a legibus civilibus; et is, qui summam habet potestatem, in omni civitate legislator est. Id quod observasse videntur illi Græci veteres, qui legem nominaverunt *νόμον*, id est, *distributionem*, et justitiam, consequenter, esse cuique distributionem *sui* definiverunt.

Itaque si civitas terram vacuum aut bello superatam acquisierit, distributio terræ illius inter cives dependet ab eo qui summam habet in civitate potestatem; habebuntque portiones suas, non ut cuiquam civi aut numero civium æquum esse vel ad bonum publicum conducere videbitur, sed ut videbitur summam habenti potestatem. Populus Israeliticus, cum in deserto esset, civitas erat; promissæ autem terræ dominus nondum erat. Postea tamen, cum illam acquisissent, non suo, sed Eleazari sacerdotis, et ducis Josuæ arbitrio distributam possederunt. Ex quo intelligi potest proprietatem terrarum, quam habet civis, in eo consistere, ut ab illarum

usu concives suos omnes prohibere jure possit ; non autem ut eum excludat, qui summam habet potestatem, sive is cœtus sit, sive homo unus. Habet enim is potestatem totius civitatis, et terras distribuisset, ut et alia omnia fecisset, in ordine ad pacem et bonum civitatis intelligendus est. Quin monarcha vel cœtus summus facere multa possit contra bonum suum ; etiam contra suam ipsius conscientiam, contra fidem datam, et contra leges naturales ; non negaverim : sed ut ob eam causam cives arma contra eum sumere, aut reum facere, aut quocunque modo male de eo dicere possunt, negandum est ; propterea quod omnium, quæ fecerit, authores singuli fecerunt seipsos.

CAP. XXIV.

De civitatis facultate nutritiva et generativa.

In distributione terrarum, partem sibi ipsi, quam velit, reservare potest et colere qui summe imperat, sicut unus ex civibus. Quanta autem cunque portio illa sit, ad onera civitatis omnia sustinenda et ad ejusdem defensionem sufficere non tenebitur. Talis enim est natura hominum, ut certorum agrorum vel certorum reddituum possessio inutilis esset, tenderetque ad dissolutionem civitatis. Simul enim ac potestas summa in manus veniret vel monarchæ vel cœtus, qui pecuniam publicam negligentius custodiret, aut qui civitatem temere in nimis longum aut nimis sumptuosum bellum conjiceret, civitas periret. Diætam non patiuntur civitates. Cum enim sumptus publicus non ab ipsorum voluntate, sed ab externis accidentibus et voluntate vicinorum terminatus sit, ab iisdem etiam definiri debent divitiæ publicæ. Itaque civitati divitias certas assignare, quas qui summam habet potestatem vendere vel dono dare possit, et vendit donatque aliquando, frustra est.

Ad eandem summam potestatem pertinet quæ



## CAP. XXIV.

De civitatis facultate nutritiva et generativa.

bona, et in quas terras, civis vel civium numerus quicumque exportabit, et quæ importabit, definire. Nam si unicuique in hac re suo ipsius arbitrio uti permetteretur, non deessent qui lucri sui causa hostibus ea venderent, quibus civitati nocere possent, eaque importarent quæ civibus fortasse grata, sed noxia vel saltem inutilia essent. Ad summam ergo potestatem pertinet tum de locis tum de materia negotiandi constituere.

Præterea, cum civibus satis non sit proprios sibi habere agros et certa bona, nisi et ea habeant quæ per mutuos contractus commutent, prout singulis ad bene vivendum necessarium videbitur; hoc quoque in summæ potestatis arbitrio est, quo modo et forma contrahere debeant cives quando vendunt, emunt, mutant, mutuo accipiunt et dant, locant, et locandum sumunt, ut quæ faciunt valida sint.

Atque hæc de materia et distributione alimentorum publicorum, pro instituti operis modulo, dicta sufficiant.

Per *concoctionem* intelligo bonorum omnium, quæ non illico consumenda sunt sed conservanda ad alimentum futurum, reductionem ad aliquid quod, cum tanti quidem sit, facilius a loco ad locum transferri possit; ne civium motus necessariorum rerum pondere impediatur, utque in omni loco alimenta civis unusquisque habeat de suo. Hoc autem præstare nihil potest, præter ex auro et argento monetam. Contingit enim per totum fere terrarum orbem, duo hæc, aurum et argentum, non modo summe æstimari propter materiam ipsam, sed esse etiam bonorum cæterorum omnium mensuram commodissimam. Intra ipsam quidem civitatem moneta cujuscunque materiæ, modo signo publico

signetur, mensura rerum commutandarum satis idonea est; sed aurea et argentea ubique valet; civitatem permeat; singulis civibus permeando partem sui, qua alendi sint, impertit, et est quasi civitatis sanguis. Sanguis enim etiam ex terræ fructibus nascitur in homine naturali; et per membra ejus singula circulando pervadit, singula obiter nutriens.

CAP. XXIV.

De civitatis facultate nutritiva et generativa.

Pecunia aurea et argentea, quia propter ipsam materiam æstimantur, eximium hoc habet, ut penes unam aut paucas civitates non sit pretium ejus aut augere aut minuere. Pecunia autem ex materia vilior facta facile quoad pretium elevatur et deprimitur; neque efficere potest ut civitatis vires, si opus erit, in externas civitates extendantur, exercitusque foris alat armetque, sicut potest aurea et argentea; sed domi manet cœli mutationis impatiens, modo cum majore, modo cum minore æstimatione, ad damnum aliquando possidentium.

Publici hujus sanguinis ductus duplex est, alter ad exteriora, alter versus interiora, id est, exitus et reditus. Reditus fit per collectores, receptores, ad thesaurarios; exitus fit per thesaurarios ad ministros illos, qui pecuniam publicam erogant, et ab illis ad cives privatos. Atque in hoc quoque hominis artificialis apparet similitudo cum naturali; cujus venæ, sanguinem a partibus corporis exterioribus recipientes, ferunt ad cor; unde rursus per arterias fertur, membra vivificans, et singulis motum tribuens.

Civitatis denique proles *coloniæ* sunt, sive quas vocamus *plantationes*, nimirum, missi a civitate civium numeri sub conductore vel rectore, terram externam habitaturi culturique. Hujusmodi autem

CAP. XXIV. *colonia* aut civitas est : ut quando a civitate, unde missa est, emancipatur ; quod cum fit, civitas, unde missa est, *metropolis* coloniae dici solet ; neque amplius a colonia postulat, quam a filiis emancipatis postulare solent patres, nempe honorem et amicitiam : aut civitatis, unde mittitur, pars est, sive provincia. Coloniarum ergo jus dependet a literis publicis earum, a quibus sunt conditæ, civitatum.

De civitatis facultate nutritiva et generativa.

---

## CAPUT XXV.

### DE CONSILIO.

DE natura rerum ex loquendi consuetudine judicare, quam sit fallax, nusquam magis apparet quam in vocibus *consilium* et *imperatum* ; quorum utrumque significatur dicendo, *hoc fac* ; quæ vox non modo imperantis, sed etiam consulentis et hortantis est. Pauci tamen sunt, qui diversa esse imperatum et consultum non satis sciant, vel (quoties quis et ad quem loquitur cognoscunt) non satis inter ea possint discernere. Sed in scriptoribus voces illas negligenter prætereuntes, multi præceptum illius, qui consilium dat, et præceptum illius, qui imperat, idem esse putant. Ut ergo recte intelligatur quid sit *imperare*, quid sit *consilium dare*, et quid *hortari*, voces illas sic definio.

*Imperare* dicitur, qui dicit *hoc fac* vel *non fac*, ad illum qui rationem dicti in voluntate dicentis sitam esse scit. Sequitur hinc eum, qui imperat, sui ipsius boni causa id facere, cum voluntatem propriam pro ratione haberi postulat. Objectum autem voluntatis semper aliquid volenti bonum est.

*Consilium dare* dicitur, quando quis dicit *hoc fac* vel *non fac*, consilii rationem ab eo ducens, quod bonum ei sit, cui consilium datur. Unde manifestum est, consilium dantem bonum prætere-  
dere solius accipientis.

CAP. XXV.  
De consilio.

Itaque inter *consilium* et *imperium* differentia una magna est, quod hoc ad proprium, illud ad alienum bonum tendere intelligitur. Atque hinc differentia oritur alia, quod is, cui imperatur, ad obedientiam obligari possit, nempe si obedire pactus fuerit : sed is, cui consilium datum est, ut juxta consilium datum agat obligari non potest ; si enim obligaretur pacto, non amplius consilium sed imperium esset. Tertia inter eadem differentia est, quod jus consilii dandi postulare nemo potest ; quia bonum sibi ex consilio postulare se negat.

Ad naturam consilii pertinet etiam hoc, quod dantem is, qui petit, neque punire neque accusare jure potest. Nam qui petit consilium, arbitrio dantis dari voluit. Itaque qui monarchæ vel cœtui consilium dat petenti, sive placeat sive displiceat, puniri non potest, ut quod volentibus datum est. Cæterum si civis civi consilium det faciendi aliquid quod lege prohibitum est, sive consilium illud a prava intentione sive ab ignorantia tantum procedat, puniri a civitate potest ; quia ignorantia legis illum, qui legis notitiam habere debuit, non excusat.

*Hortatio* et *dehortatio* consilium quidem est, sed ut fiat quod fieri consulit, vehementer cupientis. Nam qui hortatur, severitate ratiocinationis non utitur, sed quibuscunque potest argumentis ad actionem incitat. Itaque in hortationibus, a passionibus et opinionibus communibus argumenta ducunt, utunturque persuadendi causa similitudinibus,

CAP. XXV. **exemplis, metaphoris, aliisque artis oratoriæ utensilibus.**

De consilio.

Constat ergo hortationes et dehortationes ad hortantis et dehortantis bonum nonnihil respicere, cum homines in suis plerumque rebus vehementiores sint, quam in alienis.

Hortationes et dehortationes in multitudine tantum efficaces sunt. Ubi enim hominem singularem alloquitur aliquis, sæpenumero interrumpitur; ex oratione perpetuò fit dialogus; rationes rigidius pensantur quam in cœtu.

Petenti consilium is qui hortationem offert, consiliarius bonus non est. Corruptitur enim a cupiditate illa, quæcunque ea fuit, quæ vehementiam et artificium in orationem intulit; quibus factum est, ut quanquam consilium bonum fuerit, ipse tamen bonus consiliarius non sit, nisi etiam qui accepto dono juste judicaverit, bonus sit iudex. Illius autem, qui jure imperat, ut in familia paterfamilias, in exercitu dux, hortationes aliquando non modo laudabiles, sed etiam necessariæ sunt; nimirum, si labor imperetur durus, interdum necessitas, humanitas semper requirit, ut consulentium dulci emolliatur, potius quam aspero imperii stilo fiat durior.

Differentiæ inter *imperatum* et *consilium* exempla e sacris Scripturis sumi possunt. *Ne habeas alios Deos coram me: ne facito tibi sculptile*, etc: *ne assumito nomen Dei tui in vanum; sanctifica Sabbatum: honora patrem tuum: ne occidito: ne scortator: ne furator*, etc: imperata sunt; quia ratio obedientiæ a voluntate ducitur Dei, cui obedire obligamur. Sed verba hæc, *Vende omnia quæ habes, da pauperibus, et sequere me*, consilium est; propterea quod ratio, propter quam ita

faciendum est, a bono nostro derivatur, nempe, ut thesaurum in cœlis habeamus. Sed verba hæc Christi (Matth. xxi. 2) : *Ite in vicum qui vobis ex adverso est, et invenietis asinam et pullum cum ea ; solvite et adducite*, pro imperio dicuntur, quia domini sunt. Verba autem hæc, *recipiscite et baptizamini in nomine Jesu*, consilium est ; quia non ad bonum aliquod quod ad Deum perveniat, qui, quantumcunque contumaces sumus, semper regnabit ; sed ad bonum nostrum, qui pœnam propter peccata nostra alia via effugere non possumus.

CAP. XXV.

De consilio.

Differentia inter consiliarios idoneos et ineptos, a differentia dependet inter virtutes et defectus, de quibus ante locuti sumus, intellectuales : illi enim, qui summam habet potestatem, pro *memoria et intellectu* sunt. Sed cum similitudine hac inter civitatem et hominem, dissimilitudo quædam magni momenti conjuncta est. Memoriam enim et intellectum habet homo ab ipsis rebus quæ sensuum objecta sunt ; quæ objecta illum, sine omni passione et boni sui respectu, quid agendum sit docent, nec aliter docere possunt ; sed qui civitati consilium dat, habere potest, et sæpissime habet scopum proprium, nec semper cum scopo civitatis congruentem. Itaque pro virtute prima consiliarii boni habendam censeo, ut fines ejus et bonum proprium non sint finibus et bono publico repugnantes.

Secundo, quia quoties de actione aliqua agenda deliberatur, consiliarii boni officium est actionis consequentias, sive ea quæ actionem verisimiliter sequutura sunt, ita declarare, ut is, cui datur consilium, ea perfecte intelligat ; consilium suum forma orationis tali explicare debet, qualis veritati et perspicuitati maxime consentanea sit, id est, perspi-

## CAP. XXV.

De consilio.

cue loqui et firme ratiocinari. Itaque illationes temerariæ, quales sunt illationes ab autoritate librorum, obscuræ et ambiguæ; item dictiones metaphoricæ, et quæ passiones hominum excitare solent; cum officio consilii boni consistere non possunt.

Tertio, quoniam, ut quis consilium civitati rectum dare possit, non modo experientia multa, sed etiam meditatione longa opus est; nec quæ ad administrationem publicam necessaria sunt, omnia scire quisquam præsumi debet; consilium bonum, nisi circa res in quibus diu versatus fuerit et de quibus diu cogitaverit, neminem esse præsumendum est. Ad administrationem autem publicam scitu necessaria sunt, hominum, id est, materiæ ex qua civitas constituitur, ingenium, jura summæ potestatis, æquum, justum, honestum, et eorum contraria, quid sint; quæ multam postulant, ut recte cognoscantur, experientiam: item, quæ sint tam suæ, quam vicinarum civitatum vires, opes, præsidia, classes, et opportunitates; etiam, qui socii, qui aditus, qui affectus, quæ factiones, et quæ agitent consilia. Quarum rerum sine multorum simul hominum observationibus cognitio haberi non potest. Denique cognita hæc omnia, nisi recta adhibeatur ratiocinatio, inutilia sunt. Utile enim nescienti recte uti, nihil est.

Quarto, ut quis in rebus maximi momenti civitati consulat, vidisse debet civitatis archiva, fœderum vicinarum civitatum exemplaria, ministrorumque ad civitates vicinas ad earum consilia exploranda emissorum literas. Quæ nemini præter eos, quos vult is qui summam habet potestatem, videre permissum est; ita ut, nisi qui ad consilium

vocari consuevit, consilium rectum ne sapiens quidem dare possit.

CAP. XXV.

De consilio.

Quinto, monarchæ, cui consiliarii sunt, audire illos satius est seorsim unumquemque, quam in cœtu cunctos. Nam seorsim singulos audiendo, consilium multorum habet; cœtum autem audiendo, unius tantum. Cœtus enim persona una est, cujus membra non ex suo ipsorum sensu, sed ex aliorum eloquentia, vel potentia, vel amicitia sententiam dicunt, eam aliquando, ne ingenii tardi esse videantur, quam non intelligunt. Plurimi etiam eorum commodo suo publicum postponunt. Quod, si sententias seorsim sine testibus dicant, minus noxium est. Passiones enim hominum singularium moderatiores sunt per se, quam in cœtu, (non aliter quam torres igniti disjuncti quam conferti minus ardent), ubi se nonnunquam flatu rhetorico ad incendium civitatis mutuo inflammant. Præterea sententiarum, quas dicunt seorsim, rationes facilius examinantur, quam in cœtu, ubi multitudo et varietas orationum auditores stupere potius quam intelligere faciunt. Nonnulli etiam sunt, qui, cum convocantur ad consilium, doctrinæ aut eloquentiæ famam captantes, ad ea quæ deliberantur impertinenter dicunt; quod in consilio unius ad unum fieri non potest. In deliberationibus denique quæ tacenda sunt, cum in cœtu sententiæ dicuntur palam, periculum est ne hostibus patefiant.

Postremo, nemo est qui in rebus suis privatis consiliariorum cœtu libenter uti vellet, quanquam id facile posset. Si dubitaret paterfamilias cui viro filiam daret, quam uxorem filio sumeret, quibus et quanti locaret agros, quem œconomum, quem villicum sibi faceret, a consiliariorum cœtu nunquam



**CAP. XXV.** De consilio. quæreret, præsertim si in cœtu esse crederet qui ipsi malum optarent. Etsi ergo multorum consilium consilio paucorum anteferendum sit, tunc tamen tantum anteferendum est, quando consilia singuli sua seorsim explicant. In deliberationibus enim simile aliquid video ejus quod fit in ludo pilæ; ubi optime facit, qui secundis utitur proprias habentibus stationes; deinde, qui propriæ confidens peritiæ, solus sine secundis ludit. Sed is, qui in rebus propriis agendis a formato consiliariorum cœtu circumfertur, ubi partes dissentientes mutuo se impediunt, pessime omnium facit; similisque est lusori, qui in machina aliqua rotulis imposita, gravi quidem ipsa, tardiore autem propter judicia eorum, qui illam huc et illuc movent, discrepantia, ad pilam admovetur.

---

## CAPUT XXVI.

### DE LEGIBUS CIVILIBUS.

SICUT *leges naturæ* illæ sunt, quibus obedire tenemur quatenus homines; ita *leges civiles* eæ sunt, quibus tenemur obedire quatenus cives. De quibus, non quænam illæ sint in hac vel illa civitate, sed lex civilis quid sit considerandum est. Scio in civitatibus, quæ civitati Romanæ subditæ olim erant, *leges civiles* plerumque dici civitatis Romanæ *leges antiquas*. De illis disputare hujus instituti non est, sed (quod fecerunt Plato, Aristoteles, Cicero, alique multi, qui juris peritiæ tamen professi non sunt) generaliter de lege.

Manifestum autem est legem consilium non esse, sed imperatum; quod, ut in præcedente capite dictum est, a consilio differt.

Legem igitur civilem sic definio : *Lex civilis unicuique civi est regula qua civitas, verbo vel scripto vel alio quocunque voluntatis signo idoneo, ad distinctionem boni et mali uti imperat.* CAP. XXVI.  
De legibus civilibus.

In qua definitione ambigui nihil est. Legum autem, alia civibus statuitur universis; alia certis provinciis; alia certo hominum generi; alia homini quandoque singulari. Quibus autem lex ponitur, illis solis lex est. Neque injustum facit quisquam, quod non sit contra legem sibi ipsi positam. Quod autem signis idoneis declarari ex legis natura debeat lex, manifestum ex eo est, quod injustum nihil est quod non sit transgressio alicujus legis. Quicquid ergo a definitione hac inferri potest, negari non debet quin sit verum. Infero autem, primo, legislatorem in omni civitate eum esse, sive homo sive cœtus sit, qui summam habet potestatem. Civitatis enim solius est præscribere civibus leges. Illa autem neque præscribere neque dicere aut facere quicquam potest, nisi per personam ejus, id est, per illum qui summam habet potestatem. Is ergo legislator solus est. Ob eandem rationem solus etiam legem abrogare potest; quia lex abrogari non potest nisi per aliam legem.

Secundo, is qui habet summam potestatem legibus civilibus non subjicitur. Cum enim arbitrio suo leges et facit et abrogat, potest, quoties visum erit, subjectione illa et molestia se liberare: legibus ergo ante solutus erat. Liberi enim sunt, qui quando volunt esse, possunt; nec potest quisquam sibi ipsi obligari; quia qui obligare, idem liberare potest.

Tertio, quando consuetudo longa vim obtinuit legis, non a longitudine temporis vim legis habet,

## CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

sed a voluntate ejus qui summam habet potestatem, per silentium ejus significata; voluntatis enim signum aliquando etiam est silentium. Neque diutius vim legis consuetudo habet, quam silentium illud durat. Itaque si quæstio juris inter civem et summam potestatem oriatur, longitudo temporis summæ potestati pro præjudicio non habebitur; sed quæstio secundum æquitatem terminabitur. Actiones enim et sententiæ multæ sine animadversione et correctione negliguntur longiori tempore, quam ut homines meminerint; neque rationis est, ut consuetudines malæ unquam omnino in leges transeant. Judicare autem quid rationis sit, quid non sit, ad eum pertinet qui summam habet potestatem.

Quarto, leges naturæ et leges civiles in eadem civitate se mutuo continent. Lex enim naturalis omnis virtus moralis est, ut æquitas, justitia, gratitudo; quæ (ut dictum est in fine cap. xv) leges proprie dictæ non sunt, sed qualitates. Tum vero leges sunt, eædemque civiles, quando a civitate observari imperantur. Leges ergo naturales etiam civiles sunt. Quod autem omnis lex civilis etiam lex naturæ sit, ex eo patet, quod pactum violare, et per consequens legem civilem transgredi, legis naturæ transgressio est. Itaque ut legibus civitatis obediamus, lex naturalis est; neque diversa genera legum sunt lex naturæ et civilis, sed diversæ partes; quarum una scripta est, quam civilem, altera non scripta, quam naturalem vocant. Leges itaque naturales a lege civili non mutantur, neque restringuntur; sed *jus naturale* tantum. Imo, legum civilium ferendarum finis erat restrictio juris naturalis, sive juris omnium in omnia, quo stante pax nulla esse potuit.

Quinto, si is, qui summam habet in civitate potestatem, armis vel hæreditate civitatem aliam sibi subjectam habeat, nec leges illius mutet, legislator tamen ipse est. Non enim is, cujus autoritate leges ab initio institutæ sunt, legislator est, sed is, cujus autoritate retinentur. Ubi ergo sub eadem civitate partes plures sunt, quæ diversas habent leges; legum earum autoritas, etsi antiquissimæ sint, vim legum non a consuetudine sed a voluntate summæ potestatis præsentis habet.

CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

Sexto, quoniam leges omnes tam scriptæ, quam non scriptæ, vim suam a voluntate civitatis habent, eorum, qui illas mutari aut corrigi a quocumque civium numero sine consensu summam habentis potestatem posse dicunt, sententia, quanquam juris peritissimorum, rejicienda est.

Septimo, legem contra rationem esse non posse, et legislatoris intentionem, non literam scriptam, esse legem, jurisperitis in confesso est. Manifestum autem est autoritatem legis a privati hominis ratione non pendere, neque ex jurisprudentia alicujus in legibus periti; nam si verum id esset, non pauciores de autoritate legum inter cives contentiones essent, quam circa quæstiones philosophicas et theologicas inter scholasticos. Non ergo judicum subordinatorum, sed civitatis, id est, ejus qui habet in civitate summam potestatem, prudentia prudentiam facit legis; et judex subordinatus non suam, sed ejus qui habet summam potestatem pro tribunali sententiam dicere intelligendus est.

Octavo, ab eo quod lex imperatum est, imperatum autem non est ubi voluntas imperantis non sit vel voce vel scripto vel alio signo idoneo declarata, inferimus civitatis imperata, id est, leges civiles illis

## CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

solis leges esse, quibus fuerunt declaratae. Itaque infantibus, mente captis, qui imperata intelligere non possunt, neque quid sit justum et injustum sciunt, neque pacta intelligunt, leges civiles non ponuntur; neque propterea illis, quibus, etsi hæc omnia intelligant, declaratae sive promulgatae non sint, ita ut eas, si voluissent, cognoscere potuissent. Considerandum ergo est, quæ argumenta vel signa ad legem promulgandam idonea censenda sint.

Primo, si lex ea talis sit, ut cives omnes sine exceptione obliget, nec scripta sit; dubium non est quin lex naturæ sit. Quod enim pro lege habere debemus non propter dictamina aliorum hominum, sed propter suam uniuscujusque rationem, consentanea esse debet universaliter rationi humanæ, et per consequens lex naturalis est. Leges itaque naturales publicatione, proclamatione, promulgatione non indigent; ut quæ in unico præcepto continentur, *quodcumque vultis ut faciant vobis homines, id vos facite illis.*

Secundo, si lex aliqua non omnes, sed certum genus hominum vel certum hominem obliget, nec sit scripta neque promulgata, lex naturæ est. Etiam leges omnes non promulgatae, si obligent, leges naturales sunt. Jussa enim omnia homines obligant vel quatenus homines, vel quatenus cives, vel non omnino obligant. Itaque si publico ministro negotium quodcumque imponat faciendum civitas sine scripta regula, erit illi pro regula dictamen rationis, legato quidem civitatis bonum, judici autem id quod sibi æquum videbitur. Civitas enim et bonum sibi et civibus æquum velle intelligitur.

Legibus naturæ exceptis, de natura et essentia legum aliarum omnium est ut promulgentur; alio-

qui enim observari non possunt. Temporibus antiquissimis, literis nondum vulgo cognitis, leges, memoriæ causa, carmine conscribebantur. Propter eandem causam Judæos, ut Decalogum digitis suis alligarent, jussit Salomon. Israelitis, ut leges Deuteronomii filios suos docerent, easque postibus et januis domorum inscriberent, jussit Moses. Est ergo de essentia legum ita declarari, ut transgressionis earum nullam habeant cives ab ignorantia excusationem.

CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

Neque satis est ut lex ipsa a civibus cognoscatur, sed etiam ut ab autoritate processerit illius, qui summam habet potestatem. Legislator quidem quis sit, in omni civitate notum esse supponitur, ex eo quod consensu singulorum civium omnium constitutus erat. Cognoscere autem, quod lex ab illo qui summam habet potestatem profecta sit, difficilius est; et propterea signis indiget, id est, testimoniis quibus verificetur, id est, verum esse sciatur legem a summa potestate latam esse. Quæ quidem signa plerumque sunt vel archiva publica, vel civitatis sigilla, vel ministri, quibus autoritas jus dicendi data est per literas sigillo publico signatas.

Quando ergo quæstio est de injuria in lege naturali, judex talium causarum legem naturæ, quæ sit, explicabit.

Sin in lege civili quæstio eadem sit, consulenda sunt archiva, ubi leges scriptæ eo ipso fine conservantur, ut in dubiis consulantur; quas, si quis de actione, quam meditat, an licita an illicita sit dubitat, consulere potest, imo debet; quia qui dubitat bonumne an malum sit quod aggreditur, et tamen facit, legem contempsit.

Si dubitetur an alicui ut ministro publico præ-

CAP. XXVI. **tanda sit obedientia, ex literis ejus, civitatis sigillo signatis, vel ministerii ejus signo publico id sciet.**

De legibus  
civilibus.

Legibus et legislatore cognitis, restat adhuc, si leges obligatoriae futuræ sint, ut vera intelligatur earum interpretatio, in qua sola consistit legis essentia. Ejusdem autem personæ est et imperare et imperata sua interpretari, sive jubere et jussa explicare. Interpres ergo legum omnium is solus est, qui summam habet potestatem, aut qui ab illo acceperit auctoritatem.

Leges omnes scriptæ et non scriptæ interpretatione indigent. Leges naturæ, quanquam intellectu faciles sint illis quidem, qui causas cognoscunt alienas; difficiles tamen sunt illis, quorum ipsorum causæ cognoscuntur; et fortasse legum omnium difficillimæ, et maxime opus habent interpretatione. In legibus scriptis, si breves sint, unius tamen aut duarum vocum ambiguitas facere potest ut sint obscuræ; si longæ sint, obscuriores eas reddit multarum vocum ambiguitas. Itaque lex scripta nulla, sive multis sive paucis verbis contineatur, intelligi potest nisi ex legis ipsius causis finalibus; quarum causarum cognitio in legislatore solo est; et illi soli difficultates legum nodique aut extricando aut secando solubiles sunt.

In civitate constituta, legum naturæ interpretatio non a doctoribus et scriptoribus moralis philosophiæ dependent, sed ab auctoritate civitatis. Doctrinæ quidem veræ esse possunt; sed auctoritas, non veritas, facit legem.

Legis cujuscunque naturalis interpretatio recta sententia est ejus, qui summam habet potestatem, vel ejus, qui auctoritatem ab eo habet causas cognoscendi; qui tunc interpretatur, cum legem facto

applicat. Interpretatio autem illa authentica est, non quia sua, sed quia civitatis sententia est; et lex fit illis inter quos lege agebatur, non autem civibus universis.

CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

Quoniam autem iudex nullus est, neque subordinatus neque supremus, qui interdum non erret et iniquam sententiam ferat; idem, si postea in quaestione simili errorem suum cognoscat, sententiam ferre aequiorem obligatur. Suus enim sibi error lex non est, neque eum obligat ad persistendum in iniquitate sua: multo minus iudices alios obligabit. Quanquam enim sententia, etiam iniqua, per auctoritatem summam tacite probata in legibus quæ mutabiles sunt, instar novæ legis sit; in legibus tamen immutabilibus, quales sunt leges naturales, transire in legem non potest, ut obliget ad similem sententiam semper ferendam eundem aut alium iudicem. Leges civiles et civilia omnia transeunt et mutantur; sed leges naturales, cum sint divinæ, transire aut mutari non possunt. In iudiciis ergo præiudicia valere non debent, neque sententiam iniquam excusare possunt. Unicuique ergo iudici incumbit, ut sententiam ferat ex sua ipsius conscientia et ratione naturali, peritiaque propria circa æquum et bonum, nec a præiudiciis iudicum præcedentium. Exempli causa, *puniri innocentem* contra legem naturæ est. Innocens autem est, qui coram iudice absolutus est. Accusatur quidam criminis capitalis, qui inimicorum suorum potentia et malitia iudicumque iniquitate solita cognitis, metuens ne condemnaretur, aufugit; tandem retractus ad tribunale sistitur reus; causam dicit; absolutus est. Cæterum quoniam obtinuerat in civitate consuetudo ex multis præiudiciis præcedentium iudicum, ut qui fugerit, quanquam postea absolutus



CAP. XXVI. fuerit, bonis suis omnibus mulctaretur, bonis suis exutus est. Consuetudinem hanc quorumcunque et quotcunque præjudiciis fieri legem potuisse nego. *Puniri enim innocentem* vetat lex naturæ æterna et divina. Metu potentium inimicorum fugere lex nulla prohibuerat. Innocens autem eo erat quod absolutus est. Præsumptionem criminis absolutio abstulerat. Itaque inique et contra legem naturæ bonis omnibus mobilibus spoliatus est. Præjudicia ergo in judiciis considerare, aut imperiti aut iniqui iudicis est. Etiam axioma illud legistarum, *nullam probationem contra præsumptionem legis admittendam esse*, iniquum est; inusti enim iudices sunt, qui, quod ad sui defensionem producit reus, audire nolunt.

De legibus  
civilibus.

Similiter, quando sententia quæritur legis scriptæ, interpres non erit qui in legem commentarios scribit. Commentarii enim obscuriores plerumque sunt ipso textu; et proinde opus habent commentariis; adeo ut interpretandi nullus sit finis. Nisi ergo autoritate summæ potestatis interpres aliquis constitutus sit, a cujus interpretatione iudicibus subordinatis discedere non liceat, ipsi iudices subordinati interpretes erunt, ut in legibus naturalibus; et eorum sententiæ, ad præsentis litis decisionem, pro legibus habendæ erunt. Sed iudices alii, in similibus quæstionibus, non eo obligabuntur casus similes similiter iudicare.

Differentiam inter literam et sententiam ponere solent scriptores. Literam sive verba legis per se sumpta, sensum literalem vocant; sed legis sententiam eam esse dicunt, quam intelligi voluit legislator. Et recte quidem distinguunt. Legislator autem quid per verba legis intelligi voluit, unde cognoscitur? Ex eo cognoscitur, quod legislator, id est,

persona civitatis, semper intelligendus est velle id quod æquum est. Itaque, si sententiam æquam non suggerant verba ipsa, leges naturales consulendæ sunt; alioqui, contra injuriam remedium haberi non potest; id quod contra voluntatem legislatoris supponendum est. Facultates in bono legis interprete, id est, in bono iudice requisitæ, eædem non sunt quæ requiruntur in bono patrono vel avvocato, nempe, ut legum periti sint. Iudex enim, sicut de facto nisi a testibus nihil intelligere debet, ita de jure nihil constituere debet, nisi quod leges scriptæ et civitatis constitutiones ante definièrint: quæ leges et constitutiones palam allegantur explicanturque coram ipso in ipsa causæ cognitione: unde ita instruitur iudex, ut quanquam peritiam legum valde mediocrem habeat, satis tamen instructus esse possit ad sententiam ferendam justitiæ et æquitati consentaneam.

CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

Quæ bonum faciunt iudicem, hæc sunt. Primo, ut legem naturæ præcipuam, nempe *æquitatem in controversiis omnibus*, bene intelligat; id quod a multa librorum lectione non dependet, sed a bonitate facultatis rationalis, et a cujusque meditatione propria; quas illis adesse maxime præsumitur, qui ad scientiam æqui et boni ingenio suo maxime feruntur, et maximum meditandi habuere otium. Secundo, ne divitiarum nimis cupidi sint. Tertio, ut in causis cognoscendis possint metum, iram, odium, amorem, misericordiam exuere. Quarto, ut patienter audire possint, diligenter animum advertere, quæ audierit memoria, retinere, disponere, et applicare.

Divisio legum varia est, propter varias scriptorum methodos. In Justiniani Institutionibus legum genera enumerantur septem.

## CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

1. *Edicta, constitutiones, et epistolæ principum*, id est imperatorum Romanorum, qui summam habuere in civitate Romana potestatem. Similia his sunt edicta sive proclamationes regum nostrorum.

2. *Decreta populi Romani*, quæ leges primum erant virtute residentis in populo summæ potestatis; quarum quæ ab imperatoribus abrogatæ non fuerunt, leges propter auctoritatem imperialem remanserunt. Hæ autem cum Actis Parlamenti comparari possunt.

3. *Decreta plebis Romanæ*, senatu excluso; horum quoque illa quæ ab imperatoribus abrogata non sunt, legum vim retinere.

4. *Senatus consulta*. Nam cum numerosior jam factus esset populus Romanus quam ut commode congregari potuerit, visum imperatori est ut pro populo consuleretur senatus. Leges ergo erant, quales fere sunt acta consilii regis privati.

5. *Edicta prætorum*: qui Romæ erant idem fere quod iudices præcipui apud nos.

6. *Responsa prudentum*: quæ responsa erant sententiæ jurisprudentum eorum, quibus auctoritas de lege consulentibus respondendi ab imperatore concessa est. Leges ergo erant.

7. *Consuetudines* denique *non-scriptæ* leges erant. Non tamen natura sua, sed consensu tacito imperatoris.

Divisio legum alia est in *naturales* et *positivas*. Naturales quænam sint, dictum jam est. Æternæ sunt.

*Positivæ* sunt, quæ ab æterno non fuerunt, sed voluntate summarum potestatum factæ leges.

Legum positivarum aliæ sunt *humanæ*, aliæ *divinæ*. Humanarum aliæ sunt *distributivæ*, aliæ

*pœnales.* Distributivæ sunt, quibus jura civium definiuntur, quæque civibus præscribuntur universis. CAP. XXVI.

Pœnales sunt, quæ pœnas violatoribus legum infringendas definiunt, quæque ministros, quorum officium est pœnas exequi, solos alloquantur; et cum legibus distributivis conjunguntur.

De legibus  
civilibus.

Lege positivæ divinæ, (naturales enim omnes divinæ sunt), sunt illæ, quæ a Deo ipso positæ sunt, non ab æterno nec universis hominibus, sed populo certo; et pro divinis declaratæ per illos, quibus Deus declarandi eas auctoritatem dedit.

Authoritas autem declarandi leges divinas, ita ut obligatorix sint, unde cognosci potest? Modo quidem supernaturali homini alicui, ut leges divinas aliis prædicet, imperare potest Deus. Sed quia de essentia legis est, ut neminem obliget, qui prædicantis auctoritatem, quod a Deo sit, scire non potest, unde oritur obediendi obligatio? Quid Deus aliis dicat scire non possumus naturaliter; neque, sine revelatione divina nobis concessa, supernaturaliter. Quanquam enim a Deo revelatum esse alicui aliquid credere inducatur aliquis vel propter miracula, quæ ab eo facta esse viderit, vel propter egregiam sanctitatem, vel egregiam sapientiam, vel propter egregiam felicitatem; quæ omnia gratiæ divinæ signa sunt satis magna; certitudinem tamen non efficiunt. Miracula enim, ex quo tempore nobis Christianis positæ sunt leges divinæ, cessaverunt. Miracula narrantibus credere non obligamur. Etiam ipsa miracula non omnibus miracula sunt.

Cæterum ut divina supernaturalia prædicantibus obedire aliquando et alicubi debeamus, causa in promptu est; nempe si ea, quæ prædicant, pro legibus haberi jusserit civitas. Est enim de lege na-

CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

turali, quæ divina etiam est, ut in iis omnibus, quæ jusserit civitas, civitati obediamus, quanquam non ut credamus. Credere enim animi actus est, non a Deo jussus sed factus, quem, quando et quibus vult, Deus dat negatque; et *non credere*, legum divinarum positivarum negatio, non transgressio est. Pactum, quod modo supernaturali cum Abrahamo pactus est Deus, tale est; *foedus meum inter me et te et semen tuum post te, quod servabitis, hoc est*. Semini Abrahami, nondum existenti, pactum hoc revelatum esse non potuit. Quare ergo pro lege divina habere obligati fuerunt Israelitæ id quod pro lege divina ab Abrahamo declaratum est, nisi quia in filios et servos suos summam habuerit Abrahamus potestatem? Rursus, ubi Deus, de Abrahamo loquens dicit (Gen. xviii. 18, 19): *Benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim, quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium et justitiam*, etc. manifestum est obedientiam, Abrahamo a familia sua debitam, dependisse ab obedientia ante ipsi debita, ut summam habenti in ipsos filios et servos suos potestatem. Nulla enim familiæ facta est revelatio divina. In montem Sinai ad Deum ascendit solus Moses; populus ne ascenderet vetitus est, ne moreretur. Obligabatur tamen. Cur? Quia ipsi Mosi promiserant facere omnia quæ imperaret, dixerantque, *loquere tu nobiscum et audiemus; sed ne loquatur nobiscum Deus, ut non moriamur*. Ex quibus duobus locis constat, in omni civitate civem, cui non sit facta divinæ voluntatis revelatio certa et immediata, debere pro voluntate divina legibus obedire civitatis. Nam si pro mandatis Dei sua vel privatorum hominum quorumcunque somnia et phan-

tasmata cives sumerent, vix duo essent, qui de mandatis Dei inter se non dissentirent, imo etiam mandata civitatis non contemnerent. Dico ergo, in rebus omnibus legi morali, id est, legi naturæ non contrariis, cives omnes obligari ut pro lege divina habeant quicquid a lege civili pro lege divina declaratur. Manifestum enim est id quod non est contra legem naturalem, fieri posse a summa potestate legem civilem. Neque in ulla parte orbis terrarum permissum est aut fuit civibus mandata divina alia factis suis prætere præter ea quæ a civitate approbantur. Et ut civitates Christianæ, deficientes a religione Christiana, ita civitates non Christianæ, a religione sua deficientes, puniri solent.

CAP. XXVI.

De legibus  
civilibus.

Distinxerunt leges alii, in *fundamentales* et non *fundamentales*. *Fundamentalis* in unaquaque civitate illa est, qua sublata civitas dissolvitur. Lex autem unica *fundamentalis* est, ut singuli cives personæ civitatis, id est, summam habenti potestatem, obedientiam præsent. Nam ea sublata, civitas nulla est; ea stante, civitas manet. De divisione legum tantum esto.

Invenio voces *legem civilem* et *jus civile* a scriptoribus promiscue usurpatas esse; quod fieri non debet. *Jus* enim *libertas* est, id est, a legibus civilibus exemptio. Contra, *lex* civilis *obligatio* est, libertatem a natura datam tollens aut restringens. Per naturam enim unicuique jus erat viribus et facultatibus suis sui ipsius arbitrio utendi; id quod lex civilis, nisi quibus legis civilis protectionem tutum non erat expectare, sustulit.

## CAPUT XXVII.

DE CRIMINIBUS, EXCUSATIONIBUS, ET EXTENUATIONIBUS.

**CAP. XXVII.** **IN** transgressione legis non modo peccatum inest, sed etiam legislatoris contemptio aliqua; quæ legum ejus simul omnium instar violationis habita est. Peccatum ergo est, non solum quod factum, dictum, aut neglectum est contra legem, sed etiam ipsa transgrediendi intentio sive propositum. Si quis tamen bona, servos, uxorem videns proximi sui, frui illis cum delectatione imaginatus tantum fuerit absque omni intentione vel consilio per fraudem aut vim ea occupandi, peccatum non est, neque præcepti, *non concupisces*, violatio. Neque voluptas, quam quis habere potest dum inimici, a quo vivente nihil expectat nisi malum, mortem imaginatur vel somniat, modo nihil contra illum moliatur, peccatum est. Nam jucundi etiam imaginatione delectari ita homini naturale est, ut lex, quæ id prohiberet, etiam hominem esse prohiberet. Sententia igitur eorum, qui motus animi primos peccata esse aiunt, tum aliis tum sibimet ipsis nimium severa mihi videtur. Magnum enim est, si homo existens malum facere, quo delectatur, ne quidem velit. Aliud enim est imaginantem delectari, aliud velle.

Crimen omne peccatum quidem est; ut quæ sit legis alicujus violatio. Non autem vicissim omne peccatum crimen est. Velle occidere vel furari, peccatum est, etiamsi neque facto neque dicto voluntas occidendi vel furandi patefiat. Nam a Deo, qui consilia hominum intuetur, reus fiet. Sed ab hominibus consilium hominis, neque dicto neque facto cognitum, accusari non potest. Neque ergo

De crimi-  
bus, excusa-  
tionibus, et ex-  
tenuationibus.

crimen vocari solet. Peccatum ergo et crimen distinguuntur, eo quod peccatum est legis transgressio quælibet; crimen autem transgressio ea sola, quæ coram iudice homine judicari potest, sive, cujus homo hominem insimulare potest. Quanquam ergo intentio male agendi peccatum sit; si tamen signo nullo innotescat, crimen non est.

CAP. XXVII.

De criminibus, excusationibus, et extenuationibus.

Ubi lex non est, peccatum non est. Sed quia lex naturæ æterna est, transgressio ejus peccatum semper erit. Cessantibus legibus civilibus cessant crimina. Nulla enim præter naturales existente lege, unusquisque sui ipsius iudex est, et sola sui ipsius conscientia judicatur. Cessante potestate civili, cessant crimina; justum et injustum, propter jus omnium in omnia, nihil est. Verum si civitas per seditionem dissoluta fuerit, crimen in dissolventibus permanet; quia ab initio quod fecerunt crimen erat; et a civitate restituta judicari et puniri potest.

Crimina a tribus maxime causis oriuntur; vitio intellectus, quæ est ignorantia; imperitia ratiocinandi, id est, errore; et vi passionum. Ignorantia autem est vel legis, vel legislatoris, vel pœnæ. Ignorantia legum naturalium excusat neminem; illi enim, qui rationis naturalis usum assequutus est, leges naturales quænam sint, cognitum esse præsumitur; nimirum, *alteri faciendum non esse quod sibi factum esse nollet*. Ubicunque ergo aliquis fuerit, si legem loci ignorans violaverit, sine crimine non erit. Exempli causa, si quis ad nos ab Indis adveniens, religionem suam nostræ contrariam prædicaret, quæstio de veritate doctrinæ nulla fieret; sed quod nostram violaverit legem, pro crimine habebitur, et juxta statutas lege pœnas punietur.



CAP. XXVII. Nam et is concivium suorum animos novis religionibus sollicitari non æquo animo ferret.

De crimini-  
bus, excusa-  
tionibus et ex-  
tenuationibus.

Si quis civitatis suæ legem, quæ non satis promulgata fuerit, violaverit, nec fecerit aliquid contra legem naturalem, ab ignorantia excusabitur.

Si quis loci, in quo versatur, imperium cui sit ignorans, civitatis authoritati resistat, non excusabitur; quia a quo protectionem aliquamdiu acceperat, ignorare non debuit.

Ignorantia pœnæ excusat neminem. Cognita enim lege, cognitoque quod crimini pœna debetur, etsi ignota, aliqua; qui crimen committit, pœnæ etiam ignotæ obnoxium se facit volens. Rationis enim est, ut qui arbitrio suo injuriam terminat, pœnas det terminatas arbitrio civitatis.

Ubi vero lege vel consuetudine pœna limitatur, ibi majoris pœnæ inflictio iniqua est. Nam si pœna minor sit quam ut a crimine deterreat, ad crimen hortatur. Comparantes enim quod in crimine jucundum, cum eo quod in pœna molestum est, id, quod sibi optimum esse putant, necessario eligunt. Itaque qui pœnas luunt majores quam quas lex præscripserat, a lege ipsa, quasi crimen suadente, decepti sunt.

Quod ante legem latam factum est, crimen per legem illam fieri nequit. Ante leges naturæ æternas factum nihil est. Lex autem post factum lata, quia cognosci non potuit, obligatoria non est. Quod autem contra legem fit jam latam sine pœna definita, pœnæ, quæ post definietur, nisi solita major sit, obnoxium fiet, propter causam modo supra allegatam.

Ab errore nascuntur crimina hominum, quibus illudunt aut falsa principia, aut falsa legum inter-

pretatio, aut a veris principiis falsa ratiocinatio. CAP. XXVII.  
 Qui ad consuetudinem hominum animum advertunt, virtutes et crimina prosperis vel adversis successibus metientium, videntiumque leges a potentibus perrumpi, quibus vulgus implicatur, ut leges parvi pendant difficile non est; et propterea plures esse solent qui vitio legum, quam vitio hominum id fieri arbitrantur. Quorum nonnulli quasi axiomata quædam pronuntiant, *justitiam præter vocabulum nihil esse; suum esse cuique, quod industria aut periculo suo occupat et tenet; consuetudinem in omni gente obtinentem, iniquam esse non posse; exempla longi temporis pro legibus habenda esse*; aliaque his similia, vitam hominum ad feritatem et cædes mutuas reducentia. Eorum qui sic sentiunt, quis nisi metu a quantumvis magno crimine se abstinebit?

De criminibus, excusationibus, et extenuationibus.

Secundo, qui leges divinas tum naturales tum positivas, ad commoda sua torquentes, ita interpretantur ut cum legibus civilibus et populi tranquillitate non consistant, civibus principibus suis resistendum colorem prætextumque perpetuo præbent vel a religione, vel a jure naturali vel civili.

Tertio, a mala ratiocinatione quanquam a veris principiis, nascuntur crimina, quando qui in doctrinis fidei recte sentiunt, in diversa sentientes eo nomine sæviunt, quod errant, sævitiam suam zelum Dei nominantes. Quorum hominum aliquem libenter sic compellarem. Errant, esto; sed quid ad te?—Populum corrumpunt.—Quid hoc ad te, cui salus populi non committitur, sed regi?—Sed ad me sub rege.—Doce ergo.—Doceo, sed frustra.—Ergo, perfunctus officio, docere desinens accusa; nam quæcunque ulterius sæviens feceris, crimina sunt.

## CAP. XXVII.

De crimini-  
bus, excusa-  
tionibus, et ex-  
tenuationibus.

Passionum, quæ crimina potentissime suadent, sunt *ira*, *avaritia*, cæteræque cupiditates vehementiores, sed non sine *spe*. Nemo enim cujuscunque boni causa crimen committeret, cujus potiundi spem haberet nullam. Faciunt autem spem divitiæ, potentia amicorum, aura popularis, et effugia quæcunque. Judices et testes corrumpuntur a divitiis. Pœnam amici deprecantur; etiam aliquando reum per vim eripiunt. Favor populi impunitatis spem a multitudine ostendit, quam puniri sine multo sanguine difficile est, nec civitati ut puniantur semper expedit. Amor et admiratio sapientiæ propriæ, quia plausum a multitudine hujusmodi homines expectare solent, facit ut temere loquantur de statu et regimine civitatis et religionis publicæ; id quod per se crimen magnum, et magnarum seditionum causa frequentissima est. Quibus autem nec divitiæ sunt, nec autoritas, nec gratia popularis, spem impunitatis, præterquam in latebris aut fugæ opportunitatibus, nullam habent. Initium quidem scelerum omnium a cupiditatibus esse manifestum est; sed nisi impunitatis antecedit spes, nunquam fere ad finem perducuntur.

Passionum autem omnium innocentissimus est metus; imo, solus est qui homines omnes, paucis exceptis qui excelsiore animo sunt quam ut velint debere aliquid injustitiæ, a criminibus committendis prohibet. Aliquando tamen in crimen inducit etiam metus.

Actionem enim non omnis excusat metus, sed corpori tantum suo metuentis; cujus defendendi jus unicuique naturale semper manet. Attamen si quis se ab inimico suo nondum aggrediente interfici aliquando metuens, metusque sui justissimam cau-

sam habens, ipsum occupans interficiat, crimen erit; nec metu, sed odio fecisse judicabitur; propterea quod protegi, si expectasset, potuit a civitate. Sed si illum aggredientem occidisset, crimen non fuisset; quia auxilium a legibus expectari non potuit. Civis a cive verba audit plena contumeliæ, quæ nulla tamen lege lata puniuntur; metuensque, nisi armis vindicet, pro homine haberi timido, ad arma provocat et illum interficit; crimen est; nec metu ejusmodi excusabitur. Quare? Quia civitas verba publica, id est, leges, apud cives plus valere vult, quam verba hominis singularis; cujus verbis pœnam constituere ideo neglexit, quia eos, qui ne verba quidem tolerare possunt, pro mollissimis omnium hominum habet civitas. Crimina ne metus quidem Dei excusat, multo minus metus earum rerum, quæ sub nomine *spirituum* formidabiles multus fiunt; quales habentur lemures, animæ mortuorum, aliæque phantasmata dormientium vel dormitantium hominum superstitiosorum. Crimen enim omne injustum est; ideoque non qui crimen facit, sed qui fugit, Deo placet. Itaque metuendum a Deo hominibus justis nihil est, quicquid illis comminatur quidam sub prætextu religionis a vi spirituum.

Ab his criminum fontibus diversis manifestum est falsum esse, quod tenuerunt olim Stoici, peccata omnia esse æqualia. Est enim non solum *excusationi* locus aliquando, ubi quod crimen videbatur, recte factum esse ostenditur; sed etiam *extenuationi*, qua crimen, quod videbatur magnum, apparet minus. Quanquam enim crimina omnia æqualiter injusta appellantur, quemadmodum omnis a rectitudine deviatio vocatur curvitas; non tamen sequitur inde omnia crimina esse æqualiter injusta, magis quam omnia curva æqualiter esse curva.

CAP. XXVII.  
De criminibus, excusationibus, et extenuationibus.

## CAP. XXVII.

De criminibus, excusationibus, et extenuationibus.

Id quod factum aliquod plane excusat, naturamque criminis ipsam tollit, nihil esse potest præter id quod legis obligationem simul tollit. Quod enim contra legem semel commissum est, in eo, qui ad legem servandam obligatur, necessario crimen est.

Legem cognoscere non potuisse totaliter excusat. Illi enim lex nondum est.

Qui bello captus, vel in manibus hostium utcumque existens, (in manibus autem hostium esse dico, qui vel ipse, vel bona sua ad vivendum necessaria, ab hoste occupantur, nec sua ipsius culpa in manus hostium venerit), non amplius lege civitatis obligatur. Hosti enim obediendum est necessario, aut moriendum; vitam autem conservare omni modo licitum est.

Si quis ad faciendum aliquid contra legem mortis imminentis metu compulsus sit, plene excusatur; quia vitæ suæ conservationem negligere nemo obligatur. Supposito enim quod obligatus esset, cogitaret tamen, *nisi faciam, statim morior; si faciam, post moriar; faciendo ergo vitam aliquamdiu produco*. Compellet ergo ad faciendum natura ipsa.

Qui alimentis aliisve rebus ad vitam necessariis destitutus est, neque sine legum violatione vitam sustinere potest; quod in magna fame aliquando accidit, ubi neque venalia sunt, neque alio modo obtineri alimenta possunt; alienum ad sui defensionem aut conservationem si furto vel vi eripiat, totaliter excusatur.

Facta contra legem autoritate aliena excusantur contra authorem ipsum; quia actorem suum author accusare non debet: sed contra tertium facto læsum non excusantur, neque ergo contra civitatem, cujus leges violatæ fuerint. Itaque si homo vel cœ-

tus, qui summam habet potestatem, legem ante latam violare jusserit, violatio excusatur totaliter. Factum enim, cujus author est is qui summam habet potestatem, ab ipso condemnari non potest; et legem, quantum attinet ad factum illud particulare, summæ potestatis autoritas abrogare censebitur.

CAP. XXVII.

De criminibus, excusationibus, et extenuationibus.

Si qui summam habet potestatem homo vel cœtus, civi privilegium sive libertatem concesserit, quæ cum potestate summa consistere non potest; ut quæ summæ potestatis exercitium impediatur; is, qui libertatem talem exercebit, peccat, et contra officium civis facit. Scire enim debent cives omnes, quid juri civitatis congruum sit, et quid incongruum; (quia civitas a singulis civibus pro sua ipsorum salute et consensu singulorum instituta erat); libertatemque illam, quatenus summæ potestati repugnat, concessam esse scire per ignorantiam concedentis, qui consequentia inde civitati pericula non viderat. Siquidem autem libertate sua uti pergens ministro publico restiterit, crimen est.

Criminum gradus varie mensurantur: primo, per fontis sive causæ, unde oriuntur, pravitatem: secundo, per exempli contagium: tertio, per damnum inde natum: quarto, per circumstantias temporum, locorum, et personarum.

Contra legem factum idem, si a præsumptione oriatur virium vel divitiarum vel amicorum, quibus qui facit fretus ministris publicis resistit, majus crimen est, quam si a spe latendi vel fugiendi ortum esset. Impunitatis enim præsumptio, nata a fiducia, potentiæ radix est, unde omni tempore et opportunitate omnium legum nascitur contemptio. Quod autem fit propter spem latendi vel fugiendi, periculi agnitionem arguit; quo legibus in futurum redditur obsequenti.

## CAP. XXVII.

De crimini-  
bus, excusa-  
tionibus, et ex-  
tenuationibus.

Crimen qui esse scit et facit, crimen auget; quod si profectum esset ab opinione quod licitum esset, minus fuisset. Nam qui male facit contra suam ipsius conscientiam, viribus confidit, quibus excitatur ad idem sæpius faciendum; sed qui errore facit, cognito errore ad leges conformatur.

Is, cujus error ab autoritate doctoris vel legum-interpretis publice constituti oritur, minorem habet culpam, quam si natus esset a priorum principiorum et rationum prosecutione obstinata. Quod enim docetur per autoritatem publicam, a civitate ipsa docetur, et similitudinem aliquam habet, dum non prohibetur, legis civilis; et crimina, quæ negationem non continent summæ potestatis neque repugnant legi manifestæ, totaliter excusant; qui autem proprium iudicium sequutus peccat, per proprium iudicium aut stat aut cadit.

Idem factum, si in aliis constanter punitum est, crimen majus est, quam si multa antecessissent impunitatis exempla: quæ exempla totidem sunt factæ ab ipsa summa potestate impunitatis spei. Cum ergo is, qui spem et præsumptionem peccandi facit, in ipso crimine partem habet, contra rationem est ut totum in actorem conferat.

Quod a subita passione oritur, quam quod a longa meditatione, minus crimen est; illic enim locus est extenuationi super humanæ naturæ omnibus communem infirmitatem; sed qui meditato facit, circumspexit, oculos coniecit in legem, in pœnam, et in damnum societati humanæ sequuturum; quæ omnia simul contempsit et cupiditati propriæ postposuit. Verumtamen passio nulla ita subita esse potest, ut totaliter excuset. Nam tempus, quod intercedit inter legis cognitionem et criminis com-

missionem, omne censebitur pro tempore delib- CAP. XXVII.  
 randi ; quia unusquisque per meditationem legum  
 corrigere debuit passionum suarum irregularitatem.

—  
 De crimini-  
 bus, excusa-  
 tionibus, et ex-  
 tenuationibus.

Ubi lex publice et assidue coram populo legitur et explicatur, crimen, quod fit contra legem, majus est, quam ubi absque tali instructione relinquuntur cives, cum difficultate, incertitudine, et occupationum propriarum cessatione, quæ sint leges ab hominibus privatis quæsituri. Pars enim criminis infirmitati communi tribuenda est. Sed in casu priore negligentia manifesta est, quæ sine summæ potestatis contemptu aliquo esse non potest.

Facta contra legem, disertis verbis vetita, si tamen a legislatore manifestis signis tacite approbentur, minora sunt crimina, quam si legislatori viderentur displicere. Cum enim legislatoris, id est, summi imperantis, voluntas cognita instar legis sit, quam sæpius observant cives quam legem scriptam ; apparent in hoc casu duæ leges contrariæ ; itaque qui legem scriptam violant, totaliter excusarentur, nisi quod voluntas summi imperantis aliter quam ex verbis legis cognoscenda non sit. Quoniam autem non modo transgressionem legis, sed etiam neglectam regis voluntatem consequitur pœna aliqua ; (favoris enim regii jactura pœna quædam est) ; crimen totum delinquenti imputari iniquum est. Exempli causa, singularium civium digladiationes lex scripta prohibet et capite punit ; contra, qui hujusmodi certamen vel recusat vel declinat provocatus, contemptui habetur, neque existimationis læsionem lex ulla scripta reparat ; etiam aliquando ab ipso, qui summam habet potestatem, munere omni militari indignus existimatur. Quamobrem, si existimationis causa provocationi respondeat, quandoquidem



CAP. XXVII. principibus suis placuisse non modo licitum, sed etiam laudabile plurimis videatur, crimen etsi non excusetur, extenuatur tamen; quia exoneratur culpæ pars in summum imperantem, id est, in ipsum punientem. Quod tamen non ita accipi vellem, ut viudictæ privatæ excusationem parem; sed rectores moneam ne facto oblique faveant, cui directe et apertis verbis interdixerunt. Exempla enim principum sunt et semper fuere, ad actiones civium regendas, potentiora quam sunt ipsæ leges. Rursum, si crimina damno comparemus, idem factum, si multos, gravius est quam si paucos lædat. Itaque si factum non modo in præsentī, sed etiam per exemplum in futuro tempore damnum faciat, majus crimen est quam si in præsentī tantum lædat, id est, gravius est crimen fœcundum quam sterile.

De crimini-  
bus, excusa-  
tionibus, et ex-  
tenuationibus.

Doctrinas religioni civitatis contrarias docere, crimen majus est in doctore publice constituto, quam in cive privato; sicut etiam inhoneste vivere, aut actionem agere impiam quamcunque. Similiter, in professore legum, doctrinæ civilis articulum aliquem sustinere, aut actionem agere quæ ad summæ potestatis diminutionem tendit, majus crimen est quam si idem factum esset a quovis alio. Hujusmodi enim homines non solum crimina ipsi faciunt, sed aliis ut faciant authores sunt: et in universum, agentur crimina a scandalo. Indocti enim homines, in tenebris existentes, non tam viam quam inceditur, quam lumen, quod præferunt doctores sui, spectant.

Facta hostilia contra statum civitatis, majora sunt crimina quam quæ facta sunt contra hominem privatum. Damnum enim civitatis ad cives omnes extenditur. Qualia sunt locorum munitorum pro-

ditiones, secretorum civitatis ad hostem detectio, CAP. XXVII.  
 conatusque omnes contra illum, sive hominem sive  
 cœtum, qui personam gerit civitatis; sive vi sive dolo  
 ad diminutionem summæ potestatis committantur :  
 et sunt ea crimina, quæ vocantur *læsæ majestatis*.

De crimini-  
 bus, excusa-  
 tionibus, et ex-  
 tenuationibus.

Item crimina illa, quæ vim tollunt judiciorum, majora sunt quam injuriæ privatæ ; ut judicium vel testimonium falsum pecunia emere vel vendere, crimen gravius est quam tantundem pecuniæ ab homine privato fraude eripere. Non enim damnum a falsis judiciis civibus singulis tantum fit ; sed etiam ipsa judicia redduntur inutilia ; et privatis ultionibus, et tandem bello præbetur color et oportunitas.

Item depeculatio thesauri publici crimen majus est quam furtum vel defraudatio privata ; nam civitatem spoliare, multos simul spoliare est.

Ministerii publici usurpatio falsa, item sigillorum publicorum vel monetæ civitatis simulatio, majus crimen est quam simulare sigillum vel personam hominis privati ; damnum enim ab illiusmodi fraude pertinet ad multos.

Factorum contra leges, quibus læduntur cives privati, crimen illud majus est, cujus damnum magis est sensibile. Et proinde, occidere contra legem, crimen gravius est quam alia injuria, salva vita, quæcumque. Et mutilatio, majus crimen quam bonorum ereptio. Et bonorum ereptio per mortis et vulnerum intentionem, majus crimen quam per surreptionem clandestinam : et per clandestinam surreptionem, quam per consensum fraude acquisitum. Item, violatio pudicitæ per vim, majus crimen quam per blanditias : et majus adhuc, si nupta, quam si innupta violetur.

Atque hæc ita æstimantur vulgo ; quanquam

CAP. XXVII. eadem damna aliis magis, aliis minus sensibilia sint. Sed leges non ad civium singularium, sed ad humani generis sensum generalem componuntur.

De crimini-  
bus, excusa-  
tionibus, et ex-  
tenuationibus.

Quanquam autem sunt qui contumeliam in verbis tantum, vel gestu, pro damno et læsione habere solent; læsiones tamen hujusmodi Græci, Romani, aliæque tam veteres quam hodiernæ civitates in legibus condendis neglexerunt, ut qui doloris, a verbis tantum, causam veram non verba contumeliosa, quæ a propriæ virtutis consciis statim ut dicta sunt excutiuntur, esse putaverunt, sed pusillanimitatem hominis verba non ferentis.

Etiam crimen contra civem privatum multum augetur a circumstantiis personæ, temporis, et loci. Nam occidere parentem suum multo gravius est crimen, quam occidere hominem privatum quemcunque. Patri enim debetur, post civitatem, honor summus, ut cui in filium ante constitutas civitates potestas erat summa. Spoliare pauperem, crimen majus est quam tantundem eripere diviti; nam pauperi damnum idem sensibilius est.

Idem crimen tempore aut loco factum divino cultui consecrato, majus est quam si alio tempore aut loco factum esset; proficiscitur enim a majore legum et cultus divini contempione.

Multa alia aggravationis et extenuationis exempla adduci possent. Sed per ea, quæ adducta sunt, obvium cuique est cujuscumque criminis propositi altitudinem investigare.

Postremo, quia in omnibus fere criminibus injuria inest, non modo homini privato facta, sed etiam civitati; idem crimen, quando accusatur a persona civitatis, *crimen publicum* appellatur; et judicia publicorum criminum, *judicia publica*, quæ nostri appellant *placita coronæ*.

## CAPUT XXVIII.

## DE PÆNIS ET PRÆMIIS.

PÆNA, *malum est, transgressori legis auctoritate publica inflictum, eo fine, ut terrore ejus voluntates civium ad obedientiam conformentur.*

CAP. XXVIII  
De pœnis  
et præmiis.

Antequam ab hac definitione quicquam deducam, quæstioni nonnullius momenti respondendum est, nempe, unde civem puniendi jus in casu quocunque ortum sit. Manifestum enim est pacto obligari posse neminem, vi illatæ non resistere; itaque ut quis cuiquam jus dederit vim sibi inferendi, intelligi non potest. In civitate instituenda, unusquisque alium quidem defendendi jus deponit, sed non seipsum defendendi jus relinquit. Seipsum etiam, in puniendo cive alio quocunque, illi, qui summam habet potestatem, auxiliari obligat; sed non in seipso puniendo. Sed auxilium ferre summo imperanti non est jus illi dare quemquam puniendi. Manifestum ergo est jus puniendi, quod habet civitas, id est, is qui personam gerit civitatis, fundatum non esse in concessione sive gratia civium. Sed ostensum etiam supra est, quod ante civitatis constitutionem unicuique quidlibet agendi, quod ad conservationem sui videretur ipsi necessarium, jus erat naturale. Atque hoc juris, quod habet civitas, civem puniendi, fundamentum verum est. Nam ut cives civitati tale jus concederent, frustra esset; quia jus illud unicuique ante a natura datum erat. Eo tamen, quod jus suum unusquisque deposuerat, is qui summam habebat potestatem, tantum virium nactus est, ut jure suo naturali ad præsertionem civium omnium arbitrio suo uti potuit. Itaque jus

## CAP. XXVIII

De pœnis  
et præmiis.

illud illi non datum, sed relictum est, et illi soli ;  
nec minus integrum, quam fuit ante civitatis insti-  
tutionem.

A definitione pœnæ deduco, primo, neque injurias  
neque ultiones privatorum hominum proprie vocari  
posse pœnas ; quia non procedunt ab autoritate  
civitatis.

Secundo, a summo imperante negligi, aut non  
promoveri, civi pœnam non esse ; quia malum nul-  
lum illi inflictum est, sed in statu, quem prius obti-  
nuit, relinquitur illæsus.

Tertio, malum inflictum autoritate publica, nisi  
publica antecedit condemnatio, nomen pœnæ non  
habere, sed factum esse hostile ; quia factum, quod  
punitur, probari et judicari prius debuit autoritate  
publica.

Quarto, malum inflictum ab eo, qui summam  
potestatem injuria usurpat, vel a quocunque sine  
autoritate concessa a civitate, pœnam non esse, sed  
factum hostile ; quia actiones ejus, qui injuria im-  
perat, authorem non habent personam condemna-  
tam, neque ergo habent autoritatem publicam.

Quinto, malum inflictum absque consilio cives  
reformandi, pœna non est, sed factum hostile ; quia  
de essentia pœnæ est, ut terrore ejus cives ad obe-  
dientiam conformentur.

Sexto, cum actionibus quibusdam consequentia  
mala sæpissime adhæreant naturaliter ; ut cum quis  
vim alii inferens occiditur vel vulneratur ; vel quan-  
do quis ab actione aliqua illicita in morbum incidit :  
malum illud, quanquam respectu authoris naturæ  
dici recte possit pœna divina, non continetur tamen  
nomine pœnæ respectu hominum ; quia non inflic-  
tum est autoritate civili.

Septimo, si malum inflictum minus sit quam bonum quod crimen commissum naturaliter sequitur, malum illud sub definitione pœnæ non comprehenditur; nam pretium potius est, sive redemptio criminis, quam pœna. Nam natura pœnæ finem ejus continet, nempe, reformationem civium. Sed pœna, quæ minus molestiæ habet quam habet crimen jucundi, effectum contrarium operatur.

CAP. XXVIII

De pœnis  
et præmiis.

Octavo, si pœna lege ipsa præscripta et terminata sit, post crimen autem commissum infligatur pœna major, excessus pœnæ posterioris supra priorem pœna non est, sed factum hostile. Cum enim punitionum finis ultio non sit, sed terror; terror autem pœnæ majoris nondum cognitæ, minoris pœnæ determinatione tollitur, additio illa pœna non est. Ubi vero pœnam nullam lex præscripsit, ibi quicquid a civitate infligitur naturam pœnæ habet. Qui enim legem, cujus violatio pœnam meretur, quæ tamen scripto nondum definitur, violat, indefinitam expectat pœnam, id est, arbitrariam.

Nono, malum inflictum ob factum nondum lege vetitum, pœna non est, sed factum hostile. Nam ante legem, transgressio legis esse non potuit; pœna autem factum supponit probatum et judicatum violationem legis esse.

Decimo, malum inflictum in personam civitatis, pœna non est, sed factum hostile; ut quod auctoritate publica, id est, auctoritate ipsius personæ civitatis non infligitur.

Postremo, malum inflictum hosti manifesto, nomine pœnæ non comprehenditur; quia hostes cives non sunt. Quanquam autem cives ante fuerint, si se hostes tamen post declaraverint, non ut cives, sed ut hostes patiuntur. Sequitur hinc, si civis facto

CAP. XXVIII

De pœnis  
et præmiis.

aut verbo sciens et deliberate personæ civitatis auctoritatem negaverit; quæcunque pœna crimini læsæ majestatis lege præscripta fuerit, puniri tamen, cum se jam hostem civitatis esse declaraverit, pœna arbitraria jure potest tanquam hostis.

Pœnæ *divinæ* sunt vel *humanæ*. De illis dicemus alio loco magis proprio inferius.

*Humana* sunt illæ pœnæ, quæ auctoritate humana infliguntur; *suntque* vel *corporales*, vel *pecuniariæ*, vel *ignominia*, vel *incarceratio*, vel *exilium*, vel ex his mixta.

*Pœna corporalis* est, quæ infligitur in corpus per voluntatem infligentis; qualia sunt verbera, vulnera, et earum rerum ablatio, quæ corpori jucundæ existentes, prius possidebantur.

Quarum pœnarum aliæ capitales, aliæ minores sunt. Capitalis, est mortis inflictio, sive simplicis sive cum cruciatu. Minores pœnæ sunt verbera, vulnera, vincula, omnisque alia corporis afflictio, quæ sua natura non sunt lethales; etsi enim per accidens aliquod non prævisum mors sequatur, non dicetur pœna capitalis.

Pœna pecuniaria est ablatio non solum summæ alicujus pecuniæ, sed etiam cujuscunque rei pecunia commutabilis. Quod si lex pœnam definiat pecuniariam, eo fine ut a transgressoribus legis pecuniam auferat; pœna, proprie loquendo, non est, sed privilegii sive exemptionis a lege pretium; quia factum ipsum non absolute vetat lex talis civibus omnibus, sed illis tantum qui pecuniam definitam non possunt solvere. Sed in legibus naturæ et legibus de cultu divino, aliter se res habet. Nam si in eos, qui sine causa juraverint, mulcta statueretur pecuniaria, pecunia illa pro legis dispensatione ha-

beri non posset, cum leges divinæ et leges naturæ CAP. XXVIII  
sint indispensabiles.

De pœnis  
et præmiis.

*Ignominia* infliccio est mali, cui a civitate nota apponitur turpitudinis, vel deprivatio boni quod a civitate pro honore concessum est. Sunt autem quædam naturaliter honorifica, ut fortitudo, magnanimitas, prudentia, aliæque aliquæ corporis et animi facultates. Alia honorifica facta sunt a civitate, ut insignia, tituli, officia, et quæcunque gratiæ apud illum, qui summam habet potestatem, signa singularia. Priora illa tolli lege non possunt. Posteriora a civitate, propter crimina, tolli possunt; et pœnæ proprie sunt.

Per *incarcerationem* intelligo quamcunque libertatis corporalis ablationem, quam duabus de causis civitas propter crimen tollit. Quarum altera est, ut custodiatur reus ne aufugiat; altera, ut sit pro pœna condemnati. Prior harum pœna non est; quia antequam judicetur, nemo juste puniri potest: malum itaque, quod quis reus, antequam audiatur et condemnetur, per custodiam patitur plus quam custodiæ necessarium est, contra leges naturæ infligitur. Posterior pœna est; quia a civitate, et propter crimen auditum et judicatum infligitur.

*Exilium* est, quando propter crimen condemnatur civis ad exeundum e dominio civitatis, sive pro tempore sive in perpetuum; videturque sua natura, sine aliis circumstantiis, pœnam non esse, sed potius aufugium, vel mandatum publicum fugiendi pœnam. Hujusmodi pœnam in civitate Romana negat esse Romanarum legum scientissimus Cicero; exiliumque periclitantium civium refugium vocat. Nam qui exulet, si tamen bonis suis redditibusque frui permittatur, solam cœli mutationem patitur, quæ



CAP. XXVIII *pcena non est ; neque ad civitatis tendit utilitatem, quæ pœnarum finis est, sed potius damnum. Qui enim a civitate expellitur, hostis fit legitimus. Verum si quis non modo in exilium missus sit, fortunis autem suis simul mulctatus fuerit, pœna ejus inter pecuniarias numeranda est.*

De pœnis  
et præmiis.

Punitiones civium innocentium, sive graves sive leves, sunt omnes contra leges naturæ, et actiones hostiles. Punio enim illorum tantum est, qui crimen commiserunt.

Cæterum in hominem innocentem mali cujuscunque inflictio, si civis non sit, si sine præcedentis alicujus pacti violatione fiat, si denique eo fine fiat ut juvetur civitas, legis naturalis transgressio non est. Omnes enim homines aut cives sunt aut hostes, aut pacto inter civitates amici sunt. Sed contra hostes a civitate judicatos, a quibus damnum civitati expectatur, jure naturæ bellum facere licitum est ; in quo bello neque gladius judicat neque victor distinguit, quatenus ad tempus præteritum, inter nocentes et innocentes, neque cuiquam parcat nisi quatenus conducit ad salutem civium. Hinc enim manifestum est in cives eos, qui auctoritatem civitatis pernegaverint, vindictam extendi licite posse, non solum ad ipsos, sed etiam ad posteros eorum usque ad tertiam et quartam generationem nondum existentes, et per consequens facti a patribus suis commissi insontes ; quia criminis hujus natura consistit in eo, quod civitatis regimini renuntiant, id est, se civitatis hostes esse profitentur. Qui autem sic faciunt, non ut cives sed ut hostes puniri jure possunt.

*Præmium* dici solet, tum quod gratis, tum quod ex pacto datur. Quando autem ex pacto, pro mer-

cede sumitur, et beneficium est pro bono præstito vel promisso debitum. Quando autem gratis datur, beneficium est a dantis gratia profectum, eo fine ut cæteri cives ad civitati bene serviendum excitentur; et proprie præmium appellatur, differtque a mercede, quæ debita est. Etsi enim cives omnes, desertis rebus domesticis, servire civitati etiam sine mercede, si opus sit, obligentur; id tamen non a lege naturæ neque civitatis institutione est, nisi civitas defendi alias non potest. Supponitur enim illum, qui supremam habet potestatem, fortunis civium omnium æque uti posse, quibus qui civitatem defendunt, suis ipsorum rebus relictis, remunerari debent: adeo ut militum infimus militiæ mercedem ut jure debitam postulare potest.

CAP. XXVIII

De pœnis  
et præmiis.

Beneficium a summo imperante in civem collocatum, metu ne civitati noceat, præmium non est: quia metu extorquetur: neque in imperante gratia est, sed potius sacrificium, quo civem malevolum, eundemque potentem, placare cupit: nec ad obedientiam, sed contra ad majorem contumaciam cives alios excitat.

Mercedum autem aliæ certæ sunt, solvunturque ex thesauro publico; aliæ incertæ, oriunturque ab executione ipsius ministerii; sunt autem sæpissime civitati noxiæ; ut in ministerio judiciorum, ubi duo inde oriri solent incommoda. Quorum alterum est incrementum litium. Ubi enim ex multitudine litium oritur iudicibus beneficium, solent plerique numerum litium quantum possunt reddere majorem. Alterum est, quod diversorum tribunalium iudices certaturi sunt inter se, quis ad tribunal suum ab aliis tribunalibus plurimas lites retrahat. Sed in ministeriis executionis, incommoda illa locum non habent.

## CAP. XXVIII

De pœnis  
et præmiis.

Atque hæc dicta sint de pœnis et præmiis ; quæ sunt quasi nervi et tendines, quibus moventur civitatis artus.

Hactenus de natura hominis, quem superbia aliæque passiones suæ ad submittendum se regimini alicui compulerunt, et rectoris sui potentia ingente disserui ; comparans illum magno illi Leviathan ; de quo (Job xli. 24, 25) dicit Deus, *non est potestas super terram, quæ comparetur ei : factus est, ita ut non metuat : videt sublimia omnia infra se ; et rex est omnium filiorum superbiæ.* Quoniam autem mortalis est, et, ut alia terrena omnia, corruptioni obnoxius : et quia in cœlis, quanquam non in terris, est quod metuat, et cujus legibus obedire debet : dicam, in duobus capitibus proxime sequentibus, de morbis et causis mortis ejus, et de legibus naturalibus quibus obedire obligatur.

## CAPUT XXIX.

DE HIS REBUS, QUÆ CIVITATEM LABEFACANT, TENDUNTQUE AD DISSOLUTIONEM EJUS.

QUANQUAM immortale nihil sit, quod mortales faciunt, si tamen rationis usum, quem sibi arrogant, homines haberent, fieri posset civitas adeo firma, ut ab internis saltem morbis interire non posset. Nam si institutionis ejus spectemus finem, videbitur facta ad vitam generis humani vel legum naturalium vel justitiæ ipsius, a quibus vitam accipit, durationi æqualem. Quoties ergo non vi externa sed seditionibus internis civitas destruitur, culpa est instituentium. Homines enim quamquam, confligendo seque mutuo vulnerando defessi, in unum

ædificium libenter coalescunt: condendarum tamen legum ad eum finem conducentium et quibus actiones suas regerent necessariorum imperiti, patientiaque et humilitate carentes quoties amplitudinis suæ rudes et molestas eminentias resecandas esse videant, in civitatem nisi ab architecto peritissimo compingi non possunt, quæ firma futura sit, nec vel ipsos vel ipsorum posteros ruina opprimat.

Inter *infirmities* civitatis primo loco ponendæ sunt illæ, quæ ab imperfecta nascuntur institutione, similesque sunt corporis naturalis morbis illis qui procedunt a generatione vitiosa.

Quarum una est, *quod qui regnum obtinere conatur, contentus quandoque sit potestate minore quam quæ ad salutem civitatis necessario requiritur.* Contingit inde ut potestas illa, quæ neglecta erat, quando ad publicam salutem resumenda est, resumptio ejus, injusta visa, multos simul cives ad seditionem, data occasione, provocet; eodem plane modo quo corpora puerorum a parentibus morboris aut morti immaturæ subjecta sunt, aut humores noxii, a prava generatione orti, erumpunt in scabiem et ulcera. Quod autem hujusmodi jura necessaria summi imperantes sibi negent, non semper ab ignorantia id faciunt, sed aliquando ab eo quod eadem jura arbitrio suo recipere se posse sperant. Sed rem non recte supputant. Cives enim, qui illum impediunt, a civitatibus aliis, quæ ad civium suorum salutem vicinos debilitandi opportunitates raro prætermittunt, sustinebuntur. Sic Thomas, Archiepiscopus Cantuariensis, contra Henricum secundum a Papa sustentatus est, eo nomine quod Gulielmus rex libertates ecclesiæ Romanæ non violaturum se esse juramento promiserat. Eodem

CAP. XXIX.

De iis rebus,  
quæ civitatem  
labefactant, ten-  
duntque ad dis-  
solutionem ejus.

## CAP. XXIX.

De iis rebus,  
quæ civitatem  
labefactant, ten-  
duntque ad dis-  
solutionem ejus.

modo, baronibus Angliæ, quorum ope Gulielmus secundus ad regnum in se a fratre suo majore transferendum usurus erat, potestas ab ipso Gulielmo aucta est in tantum, ut non consisteret amplius cum potestate regia; unde rebellio contra regem Johannem orta est, et adjuta viribus regis Galliarum.

Neque in solis monarchiis contingit hoc. Nam in civitate Romana, sub senatu populoque Romano, ubi neque senatus neque populus summam habuit potestatem, seditiones innumeræ indies nascebantur, et bella civilia, a Gracchis, Saturnino, Mario, Sylla, Pompeio, Cæsare; quibus extincta tandem est democratia Romana.

Secundo loco, civitatis morbos illos noto, qui oriuntur a veneno doctrinarum seditiosarum; quarum prima est, *bonarum et malarum actionum judicem esse civem privatum quemlibet*. Quæ quidem in conditione naturali, nondum existentibus legibus civilibus, atque etiam in civitatibus quod attinet ad actiones quæ nulla lege prohibentur, vera est. Manifestum alioqui est, mensuram boni et mali in actionibus esse legem civilem; judicemque esse, qui summam habet potestatem. Ab hac doctrina est, quod cives mandata civitatis judicare et disputare discunt; deinde obedire vel repugnare arbitrio proprio; unde civitas in factiones discinditur, et debilitatur.

Doctrina alia, quæ obedientiæ civili repugnat, est, *quicquid faciat civis quicumque contra conscientiam suam, peccatum esse*; quæ doctrina ab eo nascitur, quod iudices se faciunt homines boni et mali. Conscientia enim, et iudicium hominis, eadem res est, et erroribus obnoxia. Etsi ergo is, qui nulla lege civili obligatur, contra conscientiam

agens peccet, propterea quod actionum suarum regulam aliam non habet præter suam ipsius rationem ; aliter tamen se res habet in iis, qui legibus civilibus sese submiserunt : ubi non privata, sed publica lex unicuique civi pro conscientia habenda est. Alioqui, in tanta conscientiarum, id est, opinionum privatarum varietate, necessario civitas dividetur ; nec summæ potestati obediet quisquam, nisi quatenus sibimet ipsi visum erit.

CAP. XXIX.

De iis rebus, quæ civitatem labefactant, tenduntque ad dissolutionem ejus.

Tertia est, quod docetur vulgo, *fidem et sanctitatem acquiri studio et ratione non posse, sed supernaturaliter inspiratas vel infusas esse*. Quæ si concedatur, non video quare fidei suæ rationem quisquam reddere teneretur ; aut cur homines Christiani non essent omnes prophetæ ; vel cur unusquisque inspirationem propriam legibus civitatis non præponeret ; id quod iterum est iudicium boni et mali sibi arrogare, neglectisque civitatis legibus, regendos se præbere ab arbitrio proprio, vel aliorum privatorum hominum qui se supernaturaliter inspiratos esse mentirentur. Fides ab auditu nascitur ; auditus autem uniuscujusque a rebus contingentibus est, quibus in præsentiam eorum, quos audire utile est, conducimur. Quæ res contingentes, respectu nostri, a consilio Dei proficiscuntur ; non sunt tamen supernaturales, sed tantum propter multitudinem non facile observabiles. Fides et sanctitas etsi raræ, non ideo sunt miracula, sed procedunt ab educatione, disciplina, correctione, aliisque causis naturalibus quibus Deus utitur in illis, quos elegit, quo tempore ipsi visum est, instruendis.

Repugnans obedientiæ civili doctrina quarta est, *legibus civilibus subditum esse illum, qui summam*

CAP. XXIX. *habet potestatem.* Subditum esse illum legibus naturæ, verum est; leges enim illæ divinæ sunt, neque possunt ab homine vel civitate quacunque abrogari. Sed legibus, quas civitas, id est, quas ipse tulerit, subditus non est. Non est enim cui subjiceretur præterquam sibi. Qui autem suis ipsius tantum legibus obligatur, liberrimus est. Non viderunt autem, qui summum imperantem obligare voluerunt, erigendam sibi esse potestatem, quæ ipsum puniret, et ad hunc puniendum potestatem aliam; ita ut nulla omnino constaret civitas.

De iis rebus,  
quæ civitatem  
labefactant, ten-  
duntque ad dis-  
solutionem ejus.

Eodem tendit doctrina quinta, *civem unumquemque bonorum suorum ita absolutum esse dominum, ut dominium, civitatis in bona eadem excludatur.* Civem quidem unumquemque in bona sua dominium proprium, quod jus civium cæterorum omnium excludit, habere non negamus. Sed dominium illud a summa potestate habet, sine cujus protectione, quicquid habet, non alio jure haberet quam quicumque alius; quia omnia essent omnium. Verum si jus etiam ejus, qui summam habet potestatem, excluderetur, protegere cives non posset, neque ab hostibus externis neque ab injuriis mutuis; et proinde non amplius esset civitas.

Doctrina sexta est, quæ contra essentiam civitatis aperte pugnat, nempe, *summam potestatem posse dividi.* Quid enim aliud est potestatem civitatis *dividere*, nisi *dissolvere*? Potestates enim divisæ mutuo se destruunt.

Quemadmodum autem doctrinæ erroneæ, ita etiam aliquando exempla civitatum vicinarum ad mutationes politiæ præsentis hortari solent. Ita populus Israeliticus ab imitatione gentium vicinarum a Deo rege suo deficientes, prophetam Samuelem

eligere sibi regem novum compulerunt. Sic etiam in Græcia antiqua, civitates minores perpetuo turbabantur a seditionibus civium, quorum alii Lacedæmonios imitati aristocratiam, alii Athenienses admirantes democratiam postulaverunt. Neque dubito quin nostrorum multi bellum, quod nunc geritur in Anglia, libenter videant; nihil ad divitias comparandas amplius opus esse arbitrati, quam ut exemplo Batavorum regem suum exuerent, mutationi regiminis divitias imputantes, quas homines illi sua industria acquisierant. Homines enim, natura sua novitatis avidi, turbarum initia amare solent, etsi earundem duratione offendantur; quemadmodum qui a calore sanguinis laborant prurigine, propriis unguibus sese lacerant, ita ut dolorem tolerare amplius non valentes morbum agnoscant.

Seorsum in monarchiis, inter rebellionis causas maximas numerari potest librorum politicorum et historicorum, quos scripserunt veteres Græci et Romani, lectio. Juvenes enim alique, quicumque rationis solidæ antidoto muniti ante non fuerint, rerum ab illis bello magnifice gestarum vividam jucundamque impressionem concipientes, cæteras eorum actiones admirantur, civitatumque illarum magnitudinem imputant non, ut oportuit, virtuti quorundam civium, sed regiminis formæ populari. Ab horum librorum, inquam, lectione est, quod nonnulli homines regem suum interfecerunt, quia facinora talia apud scriptores illos non flagitia, ut sunt, appellantur, sed maximis laudibus extolluntur, modo, antequam interficiant, tyrannum appellent. A lectione eorundem librorum est, quod qui sub monarcha vivunt, se quidem servos, illos autem, qui democratice gubernantur, solos esse li-

## CAP. XXIX.

De iis rebus,  
quæ civitatem  
labefactant, ten-  
duntque ad dis-  
solutionem ejus.



## CAP. XXIX.

De iis rebus,  
quæ civitatem  
labefactant, ten-  
duntque ad dis-  
solutionem ejus.

beros dicant. Mihi ergo monarchiis nihil videtur damnosius esse posse, quam permittere ut hujusmodi libri publice doceantur, nisi simul a magistris sapientibus, quibus venenum corrigi possit, remedia applicentur. Morbum hunc comparare libet cum hydrophobia, nempe, morbo qui oritur a morsu canis rabidi. Quemadmodum enim is, quem canis rabidus momordit, perpetuo siti cruciatur, aquam tamen, qua sola sanari potest, horret; ita is, qui opinione illa de tyrannicidio infectus est, contra monarchas latrare non desinet; et quanquam nisi a monarchæ potentia sanari non possit, propter tamen tyrannophobiam quandam, habens horret.

Sicut extiterunt doctores quidam, qui tres animas in eodem homine esse docuerunt; ita etiam sunt qui plures animas, id est, plures summe imperantes, in una et eadem civitate esse sustinuerunt, *supremum summo, canones legibus, et auctoritatem quandam spiritualem civili* apponentes; et sane multis id persuaserunt orationibus, quibusdam ne a seipsis quidem intellectis, obscuritate tali detegentes esse in regnis regum christianorum regnum aliud spirituum sive lemurum ambulantium in tenebris. Itaque in omni civitate duæ essent summæ potestates; quod cum essentia civitatis stare nullo modo potest. Illa enim *temporalis et spiritualis* distinctio inanis nihil impedit, quin civitates duæ sint, et unusquisque civis subditus sit duobus dominis. Cum enim potestas spiritualis jus declarandi, quid sit *peccatum*, sibi vendicat, vendicat per consequentiam jus declarandi, quæ sint leges; quia peccatum nihil aliud est præter transgressionem legis. Rursus, potestas civilis jus sibi assumit legislationis. Omnis ergo civis duobus dominis obedire obligatur: quod est

impossibile. Ubi ergo potestates illæ in eadem civitate se mutuo opponunt, imminet perpetuo periculum a bello civili, unde tandem dissolvatur. CAP. XXIX.  
 Authoritas enim civilis, cum visibilior et in luce clariore posita sit, magnum ad se numerum hominum adductura est. Potestas contra spiritualis, quanquam in distinctionum scholasticarum et verborum nihil significantium tenebris delitescat, ad se quoque hominum numerum attrahet, qui sufficiat ad turbandam, si non ad destruendam civitatem; propterea quod magis metuuntur spiritus quam homines. Atque hunc civitatis morbum epilepsiæ sive morbo caduco, quo qui apud Judæos laborabant, inter dæmoniacos numerabantur, comparare licet. Sicut enim in epilepsia spiritus sive ventus quidam præternaturalis in capite, nervorum radices obstruens concutiensque motumque eorum naturalem tollens, illos, qui hoc morbo laborant, aliquando in aquam, aliquando in ignem conjicit; ita etiam in corpore civitatis, quando membra movet potestas spiritualis per terrorem pœnarum æternarum et spem præmiorum aliter quam a potestate civili, quæ anima civitatis est, moveri debent, verbisque novis et peregrinis intellectum suffocat, sequentur, quasi convulsiones, dissidia civium; unde civitas aut fluctuantibus legibus diluitur, aut in belli civilis incendium conjicitur.

De iis rebus,  
 quæ civitatem  
 labefactant, ten-  
 duntque ad dis-  
 solutionem ejus.

Est etiam in civitatibus aliquando morbus febri tertianæ comparandus, nempe, quando mali cives odio regiminis vel regentis, vel eo quod utile sit ipsis bellum civile, pecuniarum necessariorum ad salutem civitatis a civibus conferendarum collationem calumniis regentium impediunt. Itaque qui summam habet potestatem, pecuniæ ad thesaurum pub-

## CAP. XXIX.

De iis rebus,  
quæ civitatem  
labefactant, ten-  
duntque ad dis-  
solutionem ejus.

licum affluxum impeditum videns, primo se contra-  
hit; deinde quando vim et motum postulent nego-  
tia publica, cogitur ad stratagemata politica, quibus  
supplementa parvi momenti cum multa difficultate  
et sæpius exigit, nec ea gerendis rebus sufficientia.  
Itaque vi tandem obstructio illa tollenda est, et pe-  
cuniis ad publicum thesaurum via aperienda; aut  
civitati pereundum est. Eodem modo in feбри, quan-  
do musculi humore venenato obstruuntur, venæ,  
quæ sanguinem naturaliter in cor infundunt, non,  
ut solet fieri, suppletur ab arteriis: inde algor  
sequitur primo, artuumque tremor et contractio;  
deinde ardor vehemens, et cordis labor, sanguinis  
per musculos transitum vi aperientis, et exiguis in-  
terim contenti refrigeriis; donec aut, vincente natu-  
ra, perrumpat sanguinis, humorque venenatus exsu-  
det; aut victa natura sequatur mors.

Est et alius morbus, præsertim in civitate popu-  
lari, qui pleuritidem refert; nimirum, quando divi-  
tiæ publicæ extra alveum proprium in unum vel  
paucos cives confluunt; quemadmodum in pleuri-  
tide extravasatur sanguis in membranas pectoris.

Etiam civis unius nimia popularitas morbus civi-  
tati periculosus est. Populus enim, qui civitatis  
legibus regendus est, ad obedientiam uni civi præ-  
standam blanditiis ab obedientia legibus civitati de-  
bita abducuntur. Sed hic civitatis popularis potius  
quam monarchiæ morbus est; cujus exempla habe-  
mus in civitate Romana, Manlium, Marium, Cæsa-  
rem, aliosque; et in civitate Atheniensi Alcibia-  
dem, Pisistratum, etc.

Morbus alius, præsertim in monarchiis, est mag-  
nitude immoderata unius alicujus urbis; nempe  
quando tanta est, ut possit ex se ipsa exercitum

subito et conscribere et alere ; item oppidorum incorporatorum multitudo. Sunt enim totidem civitates minores in majore ; quasi in hominis naturalis intestinis totidem lumbrici. Etiam, disputandi libertas de summæ potestatis jure, morbus satis molestus est ; qui genitus ab iis, qui sibi videntur docti politici, in fæce populi, facit ut perpetuo de legibus fundamentalibus garrientes civitatem inquietam faciant ; referunturque ad vermiculos quos *ascaridas* vocant medici.

## CAP. XXIX.

De iis rebus, quæ civitatem labefactant, tenduntque ad dissolutionem ejus.

His addi possunt *βουλιμία*, id est, appetitus insatiabilis dominii dilatandi, quo perierunt olim civitates Atheniensis et Carthaginensis ; item civitatum victarum retinendarum, quæ quasi *tubera* adherent, procuratio ; et præterea *otii* et *luxuriæ* quasi *lethargia*.

Postremo, quando in bello sive externo sive interno superatur civitas, ita ut cives a civitate protectionem ulterius expectare non possint, civitas dissolvitur ; et civi unicuique protectionem sibi arbitrio suo quærere liberum est. Is enim, qui in civitate summam habet potestatem, anima publica est, quæ civitati dat vitam et motum ; quæ cum expirata sit, non amplius ab ea reguntur cives, quam regitur ab anima quam expiravit cadaver mortuum. Quanquam enim summi imperantis jus nisi a seipso extingui non potest ; obligatio tamen civium per civitatis dissolutionem omnino tollitur.



## CAPUT XXX.

## DE OFFICIO SUMMI IMPERANTIS.

**CAP. XXX.** **SUMMI** imperantis officia, sive is monarcha sit sive cœtus, manifeste indicat institutionis finis, nimirum, *salus populi* : quam lege naturæ obligatur, quantum potest, procurare : et cujus rationem Deo, et illi soli, tenetur reddere. In *salute* autem *populi* comprehendendo non solum civium vitam, sed etiam commoda vitæ, quæ cives singuli sine civitatis damno vel periculo sibi juste acquisita tenuerint.

De officio summi imperantis.

Sed faciendum ita esse intelligitur, studium suum non individuis applicando, sed providentia universalis, per instructiones publicas tum a doctrinis, tum ab exemplis, tum etiam per leges salubres quibus cives singuli actiones suas applicare possunt.

Quoniam autem juribus summæ potestatis essentialibus, de quibus dictum est capite XVIII, sublatis, civitas dissolvitur, reditque omnium in omnes belli calamitas ; id quod civitati malum maximum est ; summi imperantis officium est jura illa retinere integra. Itaque contra officium facit, primo, si ea vel aliqua eorum deponit vel ad alium transfert. Qui enim media, idem finem deserit. Et per consequens, legibus civilibus se subicere ; potestati judicandi, bellum indicendi vel pacem faciendi, milites alendi quando et quomodo ipsi visum fuerit, ministros tum pacis tum belli eligendi, et quæ doctrinæ paci et bono publico conformes sunt statuendi renuntiare, contra officium est. Secundo, contra officium ejus est permittere ut jurium horum essentialium causas et fundamenta populus ignoret ;

quia per ignorantiam harum rerum cives seduci ad seditionem facile possunt et solent.

CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

Horum autem jurium fundamenta eo magis doceri debent, quod juris naturalis sunt, non civilis; et punienda eorum transgressio, non ut transgressio legum civilium, sed vindicanda ut facta hostilia. Continent enim rebellionem, id est, legum civilium simul omnium transgressionem vel potius repudiationem; et propterea lege civili frustra prohibentur.

Sunt qui jura hæc essentialia, quibus rectores civitatum potestatem absolutam habent, nullis rationibus probari posse dictitant: nam si possent, in aliqua saltem civitate, aliquo tempore, agnita tandem ab aliquibus essent. Sed non recte arguunt. Tempus enim erat, in quo ne ædificare quidem mediocriter potuere homines; atqui qui inde fundamenta et principia artis ædificandi nulla esse concluderet, absurde faceret. Tempus et industria novas indies scientias in lucem proferunt. Etsi ergo homines civitates suas sine perfectione ultima instituerunt, ita ut aliæ citius, aliæ tardius, vitio ab institutione corruant; impossibile tamen non est ita civitatem instituere, ut nisi per vim externam nunquam peritura esset. An principia, quæ supra posui, hæc præstare possint, nescio; talia tamen sunt, qualia inveniuntur in Scripturis Sacris; ut manifestum erit, cum de regno Dei, ministrante Mose, in Judæos populum suum, per pactum vetus, peculiarem disseruero.

Rursus dicunt, etsi principia aliqua essent, quæ id præstare possent; quoniam tamen hujusmodi principiorum capax non est vulgus hominum, frustra essent. Utinam non minus doctrinæ civilis incapaces essent cives divites et potentes, iique qui habentur

## CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

docti, quam sunt plebei. Constat enim doctrinæ civilis difficultatem non tam oriri ab obscuritate, quam ab eorum, qui docendi sunt, cupiditatibus. Potentes enim potentiam aliam, quæ cupiditates suas refrænare possit: et docti doctrinas, quibus errores sui possunt detegi, non facile patiuntur, ne autoritas eorum apud populum inde minuatur. Hominum autem ex plebe animi, nisi a potentiorebus distorqueantur aut doctorum opinionibus scribillati sint, instar chartæ puræ impressionem ab autoritate publica quamlibet accipiunt. Nationes integræ, ut in religionis misteriis maximis et difficillimis et supra rationem positis acquiescant, docebuntur; prædicando autem et docendo ea, quæ cum ratione naturali exquisite congruunt, doctores non se facient intelligi! Constat ergo in iuribus summæ potestatis, quæ sunt leges naturales, intelligendis nullam esse difficultatem (dum illi, qui summam habet potestatem, manet potentia integra) quam quæ vel ab ipsius, vel ab ipsorum, quorum opera in administratione civitatis utitur, culpa oritur. Illius ergo est videre ut cives recte doceantur: nec officium tantum, sed etiam beneficium est, quod maxime omnium ad sui ipsius et civium suorum vitam sæpissime pertinet.

Ut veniam jam ad doctrinas particulares quas populus docendus est, prima erit, ne formas regiminis, quas in gentibus vicinis conspiciunt, plusquam formam civitatis propriæ adament aut imitari cupiant, quamtamcumque gentium illarum prosperitatem videant. Non enim ab aristocratia, vel democratia, aut monarchia, sed ab obedientia et concordia civium in quacunque civitate res secundæ oriuntur. In omni civitatis genere sublata obedi-

entia, et proinde concordia civium, non modo non florebunt cives, sed civitas brevi tempore dissolvetur: iique, qui sine summæ potestatis autoritate corrigere tantum civitatem vellent, eam tandem non corrigent, sed destruent: quemadmodum in fabula, Pelei filiæ decrepiti patris juventutem renovare cupientes, consilio Medæ illum dissecuerunt, et nescio quibus herbis commistis coquentes, occiderunt, non renovarunt. Hujusmodi reformandæ civitatis studium, simile est ejus quod prohibetur a Deo in decalogi mandato primo, *non habebis coram me deos alienos*.

CAP. XXX.

De officio summi imperantiæ.

Secundo, docendi sunt ne alicujus civis vel cætus, præterquam summi, quantumcunque conspicui aut virtutibus admirandi, cultu ita seducantur, ut illi obedientiam aut honorem summæ potestati proprium deferant, et pro persona civitatis representativa habeant. Signum enim est populum suum amantis zelotypia: cives autem blanditiis et popularium adulatione ut seducantur pati, quasi civitatis prostitutio quædam est, et transgressio mandati secundi.

Tertia est, ut doceantur quam grave sit peccatum summo imperanti, sive is monarcha sit sive cætus, maledicere, de potentia ejus disputare, vel quocunque modo illum nisi honoris causa nominare; quibus rebus contingat ut a civibus parvi fiat, et obedientia eorum, in qua consistit civitatis salus, remittatur, quæ mandati tertii transgressio est.

Quarta est, ut, quia populus officia sua doceri non potest, neque quis sit, cui obedire debeat, scire nisi a propriarum occupationum temporibus; tempora quædam eximantur, quibus ad audiendum doctores suos convenire debeat, et ubi leges recitentur



## CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

et explicentur, et cujus autoritate latæ sint doceatur : officium imperantis est in hanc rem loca, tempora, et doctores constituere. Apud Judæos, septimo quoque die, quod Sabbatum vocabatur, lex eorum civilis legebatur in templo, vel in synagogis explicabatur : quo die a laboribus suis omnibus requieverunt : rex iis quis esset, ostendebatur, nempe Deus : Deum adoraverunt : eidem gratias pro redemptione eorum a servitute Ægyptiaca aliisque ejus beneficiis reddiderunt : et tandem quod diei reliquum erat, gaudiis non prohibitis consumpsērunt. Itaque potestatis Dei absolutæ, non modo ut Dei, sed etiam ut pacto Judæorum regis, jus in decalogi tabula prima continetur.

Et quoniam puerorum institutio prima dependet a cura parentum suorum solorum : doceri illos voluit, quinto loco, Deus, ut parentibus pro illo tempore obedirent, et in perpetuum honorarent. In principio enim apud omnes gentes pater in filios summam habuit potestatem, vitæque necisque arbitrium. Itaque, etsi in constituendis civitatibus potestati tali necessario patres renuntiaverint ; honorem tamen propter alimenta et educationem debitum derelinquere necessarium non erat. Officium ergo imperantis est, ut mandatum hoc decalogi quintum imitetur.

Porro, officium imperantis est ut cives justitiam doceantur : id est, ut primo, ne quis civis civem alium occidat aut corpori damnum inferat, sine autoritate publica : quod est mandatum sextum. Violatur autem non modo ab iis, qui dolo aut, ut aiunt, turpiter interficiunt, sed etiam ab iis, qui hoc facere se necessario tuendi honoris causa dictitant : homicidiumque est tota illa vanorum hominum provocantium ad gladios consuetudo ; quam civitates

fere omnes sub gravissimis pœnis hactenus frustra prohibuerunt. Nec quibus omnino legibus extingui possit video, nisi forte legibus jam factis addatur quoque hæc: ut quicumque nobiles sunt aut haberi cupiunt, juramento obstringantur, ne aut concivem ad certamen singulare provocent, neque provocanti respondeant: quo fiet ut laudis illa Hectorea (etsi civem quemquam ab Hectore occisum esse nusquam legimus) aviditas, non modo pœnis aliis, sed etiam infamia perjurii temperetur, et provocatus pugnam declinandi prætextum habeat honestissimum.

CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

Docendi præterea cives sunt, quam gravia mala sint, inprimis honoris congugalis, et deinde bonorum quorumcunque concivis tum violenta tum fraudulenta ablatio: quantoque damno justitiæ publicæ et pacis communis, in cognoscendis litibus aut testes aut iudices corrumpuntur. Atque hæc continentur in decalogi mandatis septimo, octavo, et nono.

Postremo docendi sunt, non solum facta injusta, sed etiam faciendi consilia et proposita injusta esse, etsi factum ipsum contingat impediri. Atque hoc est quod prohibet mandatum decimum. Summa denique tabulæ secundæ ad unum reducitur præceptum, *diliges proximum tuum sicut teipsum*.

Unde autem hæc et alia civium officia doceri possint, cognosci potest, si tot opiniones, paci generis humani contrariæ, a principiis falsis unde receptæ et retentæ sint intelligatur: falsæ, inquam, opiniones, quas præcedente capite numeravimus, nempe *civem unumquemque judicem esse boni et mali: legem sibi esse cuique conscientiam suam: jus civitati in bona civium nullum esse: tyrannicidium esse licitum*. Doctrinas has illi, quos necessitas aut studium lucri labori et occupationibus at-

## CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

tentos facit: et illi, quos aut abundantia, aut ignavia vel luxuria voluptatibus suis tradidit, (quæ duo hominum genera maximam partem faciunt generis humani), cum neque otium neque voluntatem meditando habeant, officiorum suorum regulas a theologi publice, aut privatim ab iis accipiunt, quos de doctrina legum et casibus conscientiæ concionari et disputare eloquentissime audiunt. Theologi autem et qui literas profitentur, doctrinas suas ab universitatibus et scholis legum civilium et ex libris a doctoribus illis editis acceperunt. Manifestum ergo est populi instructionem dependere omnem a rectitudine opinionum, quas docent universitates. Ante omnia ergo illæ reformandæ sunt. Quid autem, inquiet aliquis, docendæne sunt universitates? Et siquidem docendæ sunt, tunc is es qui illas doceas? Quæstiones molestæ. Sed ad primam respondeo. Ante tempora regis Henrici VIII, in quæstione de potestate pontificia in reges Christianos, cum potestatem Papæ, in ordine ad spiritualia, summam in Anglia esse docuerunt universitates omnes; rectene docuerunt? Negabis. Doceri ergo potuere. Ministri illi qui, magno numero, concionibus suis contra regem optimum populum instigaverunt, unde doctrinas suas seditiosas in pulpita attulerunt, unde doctorum et magistrorum titulos, id est autoritatem, apud populum obtinuerunt, nisi ab universitatibus? Rectene hoc? Negabis. Doceri ergo potuerunt. Ad quæstionem secundam respondere non est meum; nec ut respondeam opus est. Nam qui legit quæ scribo, facile intelligat quæ sentio.

Summam habentis potestatem officium præterea est providere ut pænæ, quæ per leges constitutæ

sunt in omnes cives qui illas transgressi fuerint, æque ab omnibus exigantur. Crimina quidem contra summos imperantes ab ipsis sine iniquitate ignosci possunt; ejus enim est ignoscere, qui injuriam passus est. Sed injuria facta contra civem, sine consensu ejus vel compensatione æqua, a nemine alio condonari potest. Quid enim? Qui patris vel filii mei interfectori impunitatem præstat, nonne ipse quodammodo interfecisse dicitur? Ejusdem est videre ne vulgus civium a magnatibus opprimatur, multo magis ne eorum consilio ipse opprimatur, exemplum spectans Rehobohami; sunt enim civitatis robor homines plebei. Curare etiam, ne cives magni modicos laceasant opprobriis. Civi quidem infami turpitudinem suam objicere is, qui in civitate auctoritatem habet, recte potest; sed loci humilitatem pro convitio dicere, et iniquum et civitati periculosum est. Si cives magni, quia magni, propter potentiam coli postulant, quidni et plebs, quia multi et potentior multo, coli debeat? Quam autem civium modicorum vilipendium civitati periculosum est, seditio eorum in Batavia, quæ *mendicorum* dicta est, monere debet. Civium inæqualitas non a re aliqua in seipsis eximia, sed a voluntate summi imperantis profecta est, id est, a voluntate civitatis; tantoque minus facere debent fastum incivile. Irritandum vulgus ne a regibus quidem est, multo minus a concivibus, quantuncunque sint potentes; ne, dum illos ulcisci cupiat vulgus, civitatem simul quæ illos non prohibuerit, aggrediantur.

Ad æquitatem imperantis pertinet etiam exactio æqualis tributorum. Æqualitas autem illa dependet non a civium divitiis, sed ab eo quod unusquisque

CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

**CAP. XXX.** eorum propter protectionem suam civitati debet. Civibus enim ad vitæ necessaria comparanda non sufficiunt labores sui, nisi etiam et laborent et pugnent. Aut faciendum est, quod fecerunt a captivitate redeuntes Judæi, quando altera tantum manu lapides composuerunt, altera, propter metum incursionis hostilis, tenuerunt gladium. Tributa enim civium pro mercede sunt illi qui tenet gladium civitatis, quo civium industria protegatur. Itaque pro vitæ suæ conservatione idem debet pauper et dives, nisi quod qui multorum civium opera simul utitur, pro multorum simul conservatione solvere debeat. Quod cum manifestum sit, hoc tantum quærendum restat, quomodo illa in tributis solvendis æqualitas observari potest. Rationis enim non est, ut is, qui industria et parsimonia alimenta acquisierit, quam is qui inertia et luxuria quod habuit decoxerit, cum a civitate æqualiter uterque protectus sit, magis oneraretur. Æqualitas ergo pensionum in publicum alia esse non potest, nisi ut unusquisque solvat pro ratione eorum quæ consumit, id est, nisi ut tributa non personis, sed rebus ipsis quæ consumenda sunt, imponantur.

Quoniam autem sunt, qui nullo suo vitio, sed accidentibus quæ prævidere non potuerunt, in calamitates incidunt, ita ut alimenta sua nulla industria procurare valeant; ad summi imperantis officium etiam pertinet, ne quæ ad vitam necessaria sunt, illis desint. Cum enim in summa necessitate existentibus, aliena surripere, aut etiam rapere, jure naturæ permissum sit; ne civitati alias molesti sint, a civitate alendi sunt, neque singularium civium incertæ charitati relinquendi.

Idem autem si corpora idonea habeant, ad la-

borem compellendi sunt ; et ne se excusent dicendo *nemo conduxit*, ferendæ sunt leges quibus navigandi, agriculturæ, piscaturæ, aliæque artes omnes quæ laborem postulant, foveantur. Si tamen indigorum continuo crescat numerus, in terras nondum satis inhabitatas transferendi sunt ; non tamen ut incolas veteres exterminarent, sed compellerent in habitationem arctiorem, ne magna agri spatia percurrentes a fructibus sponte natis viverent, sed alimenta a singulis agellis cultu sedulo impetrarent. Si quando autem alimentis hominum terra non sufficeret, remedium ultimum a bello erit, omnibus vel victoria vel morte suffecturo.

CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

Ad curam etiam summi imperantis pertinet, ut bonæ fiant leges. Sed lex bona quænam est? Per bonam legem intelligo, non legem justam. Injusta enim non potest esse lex; ut quæ fit uniuscujusque civis consensu in seipsum. Lex bona est illa, quæ ad salutem populi *necessaria* est, et simul *perspicua*.

Finis enim legum is non est, ut populum ab innoxia libertate cohiberent, sed ne ab impetu passionum, temeritate, et stultitia in pericula et damna sibimet ipsis et civitati incurrerent; quemadmodum viæ, non ut viatoribus impedimento sint, sepiuntur, sed ne cum injuria concivium extravagarentur. Lex itaque quæ *necessaria* non est nec legis finem spectat, non est bona. Lex si summo imperanti utilis sit, etsi *necessaria* non sit, bona tamen alicui videri potest. Sed non est ita. Bonum enim populi et ejus qui habet summam potestatem, separari a se invicem non possunt. Princeps enim, qui subditis miseris imperat, miser est; et populus debilis est, ad quos regendos arbitrio suo is, qui summam habet potestatem, non habet poten-

## CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

tiam. Leges non necessariæ aliæ plerumque non sunt quam laquei ad capiendam pecuniam; quæ, ubi imperanti summo obeditur, superfluæ sunt; ubi non obeditur, ad defensionem populi non sufficiunt.

Legis perspicuitas consistit non tam in ipsis verbis, quam in causarum, propter quas lex lata est, narratione perspicua. Inde enim legislatoris voluntatem cognoscimus; qua cognita, facilius intelligitur lex paucis quam multis verbis. Verba enim omnia ambigua sunt; multiplicando ergo verba, multiplicatur ambiguitas. Præterea, verborum diligentia nimia plerisque pro argumento accipitur, quod si verba observant, legem non transgrediuntur; unde multæ oriuntur lites minime necessariæ. Dum enim cogito, leges antiquæ quam brevi oratione scriptæ fuerint, et ut gradatim creverint; videre mihi videor certamen quoddam inter legum scriptores et advocatos; ubi illi hos circumscribere, hi illos declinare student; et vincunt advocati. Officium ergo est legislatorum, id est, summe imperantium, causas uniuscujusque legis perspicue scribere, legesque ipsas breves, sed verbis propriis facere, quantum possunt.

Summi imperantis etiam est, pœnas et præmia recte dispensare. Cum autem pœnarum finis ultio non sit et exoneratio bilis, sed peccantis ipsius aut, exemplo ejus, aliorum emendatio; illis criminibus pœnæ maximæ constituendæ sunt, quæ civitati sunt damnosissima; qualia sunt ea, quæ ab odio regiminis; quæ a contemptu justitiæ oriuntur; quæ multitudinem irritant; et quæ nisi punita sint, videri possunt a regente approbari. Indignatio enim populum non in actores tantum, sed etiam in auctores injustitiæ manifeste incitat; et in potentiam

omnem, qua videntur posse suffulciri. Criminibus autem, quæ a communi hominum infirmitate profisciscuntur; qualia faciunt homines insigniter lacesiti, et in magno metu vel magna necessitate existentes, vel qui, quod faciunt, utrum crimen necne sit ignorant; lenitati locus est, et a lege naturæ exigitur. In seditionibus, punitio ductorum et instigantium, non seducti vulgi, civitati per exemplum utilis est; nam quid faciunt ignorant. Ignorantia autem, præsertim si partim civitati ipsi, cujus culpa erat quod non melius docerentur, imputanda sit, condonari vel levius puniri debet.

CAP. XXX.  
De officio summi imperantis.

Ejusdem summæ potestatis est, ita semper bonos remunerari, ut præmia per exemplum ad bonum redundent civitatis. Id quod fiet, si qui de civitate bene meruerunt ita promoveantur, ut alii, civitati bene serviendo, promoveri sperent. Ab homine ambitioso, ne civitati nocere velit, pecunia vel promotione emere, nihil habet in se de natura præmii neque de natura gratiæ, sed timoris; (civitas autem *rex est filiorum superbiæ, et facta ita ut timere non debeat*); neque ad utilitatem, sed ad damnum civitatis fit; et certamen quoddam est summorum imperantium cum cive ambitioso, simile ejus quod fuit inter Herculem et Hydram multicipitem, cujus uno capite abscisso, in locum ejus tria subnascebantur. Eodem enim modo, si ambitiosus unus præmio victus fuerit, consurgent exemplo ejus plures, eadem spe eadem facturi; nam sicut cætera venalia omnia, ita etiam flagitia pretio crescunt. Quanquam autem malorum hominum promotione bellum civile differri aliquando possit, periculum tamen crescit, certiorque redditur ruina publica. Itaque contra officium summi imperantis est, illos,



CAP. XXX. qui per turbas publicas ad potentiam aspirant, præmiis afficere, et non potius in principiis parvo periculo, quam postea periculo majore opprimere.

De officio summi imperantis.

Ad officium imperantis etiam pertinet bonos sibi eligere consiliarios; id quod de monarchis intelligendum est. Nam in cœtibus summis, nulli sunt præter ipsos consiliarii. Boni autem consiliarii sunt, qui in omni genere negotii publici maxime versati sunt, quibusque a consilio pravo minima sit lucri spes. Quis sit qui a malo publico sibi expectet bonum, scitu difficile est; cavendum tamen est ab iis quibus turbæ possunt esse utiles. Scire autem, qui sint civitatis consiliarii periti, et publicis negotiis pares, etiam difficilius est. In omni enim arte, qui artificem peritum ab imperito dijudicare potest, artifex ipse est.

Quantumcunque autem periti in quocunque negotio publico consiliarii sint, civitati melius consulent, si consilium consiliique causas et rationes seorsum impertiant, quam omnes simul per longas orationes; meliusque præmeditato, quam ex tempore; nam et plus habent singuli temporis ad agendorum consequentias percurrendas, et minus facile per invidiam, æmulationem, aliasque passiones, quæ nascuntur a diversitate sententiarum, seducuntur.

In iis rebus, quæ civitates externas non respiciunt, sed civium commoda illa quæ ex legibus introrsum tantum spectantibus obtineri possunt, consilium optimum est, quod a desideriis et querimoniis sumitur a singularum provinciarum incolis; illis enim maxime cognitum est, quibus rebus ipsi maxime indigeant. Itaque si nihil petant, quod cum jure summæ potestatis non consistit, quod, ut sæpius dictum

est, integrum servari debet, diligenter audiendi sunt. CAP. XXX.

De officio summi imperantis.

Dux belli nisi popularis sit, neque amabitur neque timebitur quantum opus est ab exercitu suo; nec proinde munere suo recte perfungetur. Industrium, fortem, affabilem, benignum, felicem esse oportet, ut et famam habeat boni imperatoris, et ut milites suos diligere existimetur. Popularitas hoc est, facitque ut milites gratiæ suæ se commendent. Eadem imperatoris in militibus, quando opus est, corrigendis severitatem tutam efficit. Veruntamen imperator, favore militum, nisi fidelitatis ejus cautio adhibeatur, civitati periculosus fit; et maxime civitati democraticæ. Ad officium ergo ejus, qui summam habet potestatem, pertinet, ne exercituum suorum imperium nisi et ducibus idoneis, iisdemque bonis civibus, mandare velit.

Quando autem qui summam habet potestatem popularis ipse est, a popularitate cujuscunque civis periculum nullum est. Ducem enim quantumcunque amatum contra regem suum, nisi eum aut factum ejus aliquod oderint, milites sequutos esse nusquam legimus. Imperandi enim jus manifestum res adeo popularis est, ut ad conciliandos sibi cives solum sufficiat.

De officiis summorum imperantium versus se invicem nihil dicam, nisi quod contineantur in legibus naturæ supra commemoratis. Nam *jus gentium* et *jus naturæ* idem sunt. Quod potuit fieri ante civitates constitutas a quolibet homine, idem fieri potest per jus gentium a qualibet civitate; et lex, quæ homini ante jura civilia quid agendum et quid fugiendum sit definit, eadem civitatibus per summe imperantium conscientias dictare intelligitur. Curia

**CAP. XXX.** enim justitiæ naturalis præter conscientiam nulla est, quam regit solus Deus, cujus dictamina, respectu Dei naturæ authoris regnantisque in cordibus hominum, leges sunt naturales. De regno autem Dei dicemus in sequentibus.

De officio summi imperantis.

---



---

## CAPUT XXXI.

### DE REGNO DEI NATURALI.

**CONDITIONEM** hominum pure naturalem, id est libertatem integram, qualis est eorum qui neque regnant neque regnantur, anarchiam esse et bellum; præcepta, quæ quomodo conditio talis fugienda sit docent, leges esse naturales; civitatem, sine summa potestate unius hominis vel cœtus, vocabulum inane esse; cives habenti potestatem summam simplicem debere obedientiam, præterquam in iis rebus quæ pugnant cum legibus divinis; satis ostensum est in superioribus. Ad officiorum civilium doctrinam integram, restat ut quænam sint divinæ leges inquiramus; quibus ignoratis, utrum is, qui summam habet potestatem, congrua an incongrua legi divinæ imperet ignoratur; et proinde cives aut nimia obedientia civili in Deum peccaturi, aut metu peccandi contra Deum mandata civitatis transgressuri sunt. Ad scopulum utrumque fugiendum, necessarium est ut leges divinæ quæ sint cognoscamus. Quoniam autem cognitio legis a cognitione dependet summæ potestatis, dicendum est in sequentibus de regno Dei.

Psal. xcvi. 1: *Dominus regnavit, exultet terra.*  
 Rursus, Psal. xcvi. 1: *Dominus regnavit, irascantur populi; qui sedet super Cherubim, moveatur terra.*

Homines divinæ potentiæ, velint nolint, subjiciuntur; et qui existentiam vel providentiam divinam non agnoscent, non jugum excutient, sed propriam ipsorum tranquillitatem. Potentia hæc divina, non modo super genus humanum, sed etiam super animalia cætera, atque etiam super res inanimatas, metaphorice tantum regnum dicitur. Regnare enim, proprie sumpto verbo, est *imperando, minando, promittendo* regere. Subditi ergo in regno Dei non sunt res inanimatæ, neque creaturæ irrationales; quia præcepta divina nulla intelligunt: neque athei, aut qui actionum humanarum curam Deo esse non existimant; propterea quod nullum agnoscunt præceptum divinum. Qui ergo credunt Deum esse et generis humani curam gerere, et præcepta Dei agnoscunt, in regno Dei soli cives sunt; reliqui pro hostibus censi solent. Ut quis verbis regatur, requiritur ut verba intelligat; quia illi, nisi hoc fiat, leges non sunt; cum ad essentiam legis pertineat perspicua promulgatio, qualis ignorantiae excusationem peccantibus tollere sufficiat. Promulgantur autem leges divinæ tribus modis; nempe per dictamen *rationis naturalis*; per *revelationem*; vel per *vocem* alicujus hominis, cui fidem apud cæteros fecit Deus per operationem miraculorum. Triplex ergo quodammodo dici potest esse verbum Dei, nimirum *rationale, sensibile, et propheticum*; cui respondet triplex genus audiendi Deum, nempe *recta ratio, sensus supernaturalis, et fides*. Sensus autem *supernaturalis*, cum sit nihil aliud quam *revelatio* homini singulari facta, illum solum obligat cui facta est.

A differentia inter reliqua duo verbi divini genera, *rationale et propheticum*, attribui Deo potest

CAP. XXXI.

De regno  
Dei naturali.

CAP. XXXI. regnum duplex, *naturale* et *propheticum*. *Naturale*, quatenus illos regit, qui providentiam ejus agnoscunt, per dictamen rectæ rationis: *propheticum*, quatenus populum suum electum, nempe primo Israelitas, et deinde Christianos; quos non solum per dictamina rationis naturalis regit, sed etiam per leges positivas, illis datas per prophetas suos. De regno Dei naturali tractabimus in capite præsentis.

De regno  
Dei naturali.

Regni divini naturalis jus, quo Deus illos, qui leges naturales violant, affligit, non ab eo derivatur, quod illos creaverit cum non essent; sed ab eo, quod divinæ potentiæ resistere impossibile est. Ostensum supra est, potestatem summam apud homines a *pacto* esse; ad intelligendum autem quomodo jus idem oriri a natura potuit, considerandum est, in quo casu sempiternum esse potuit. Cum enim per naturam jus erat omnibus in omnia, et per consequens jus regni haberet per naturam, etsi propter mutuam resistantiam inutile, unusquisque; si quis eorum tantam habuisset potentiam, ut certam inde sibi in bello victoriam contra omnes homines promittere potuisset, quæ ratio excogitari potest, quare non potius et se et omnes alios homines ipse suo arbitrio, regnando in omnes, defendere vellet, quam, ad sui ipsius defensionem jura civilia constituens, leges in seipsum accipere? Naturæ ergo omnipotenti, cui resisti non potest, regnum et dominium in genus humanum universum adhæreret naturaliter. Atque juris, quo quem velit affligit et cui velit ignoscit Deus, fundamentum hoc est; non autem, ut multi arbitrati sunt, peccata hominum.

Quæstio enim, *quare malis secundæ, bonis adversæ res contingunt*, vetustissima est, et difficultatis tantæ, ut non modo vulgi, sed etiam philosophorum,

et quod majus est, sanctorum fidem concusserit. **CAP. XXXI.**  
*Quam bonus Israel Deus*, inquit Psalmista (Psal. lxxii, 1, 2, 3) *his qui recto sunt corde. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Etiam Job, cum Deo quam acriter expostulat, quod justus existens tam graviter afflicto fuerit! Quæstionem autem de quærimonia Jobi decidit Deus, non argumentis a peccato ejus, sed ab omnipotentia sua derivatis. Cum enim amici Job ab afflictionibus ad peccata argumenta sumerent, ille autem ab innocentia sua se defenderet, Deus ipse, sententiam laturus, afflictiones illas ab omnipotentia sua comprobavit, dicendo, (Job xxxviii, 4): *Ubi eras tu, quando ponebam fundamenta terræ*; aliisque similibus a potentia ductis utendo; tandemque defensionem quidem Jobi confutavit, innocentiam vero approbavit, doctrinamque amicorum ejus erroneam condemnavit. Atque cum sententia hac Dei congruit Servatoris nostri sententia de homine nato cæco, his verbis, (Johan. ix, 3): *Neque peccavit hic, neque patres ejus; sed ut opera Dei manifestarentur.* Quanquam autem dictum sit, *intraſſe in mundum mortem per peccatum*; id est, nisi peccasset Adam, mors non fuisset; non tamen inde sequitur, quod Deus illum juste affligere non potuisset, nisi peccasset; sicut cætera animalia affligit, quæ peccare non possunt.

Proximo loco considerandum venit, quænam sint leges illæ divinæ, quæ ad officia hominum spectant mutua; et quæ sint illæ, quæ spectant ad cultum Dei naturalem. Priores illæ sunt de quibus dictum est capitibus XIV et XV. Considerandum ergo restat, quæ sint naturalis rationis, absque alio verbo

CAP. XXXI. divino, dictamina circa majestatis divinæ *honorem* et *cultum*.

De regno  
Dei naturali.

Consistit *honor* in cogitatione honorantis interna, nempe, in opinione quam de potentia et bonitate quisque habet illius quem honorare dicitur. Honorantis ergo Deum est, de potentia et bonitate divina, quantum possibile est, magnificentissime sentire. *Cultus* autem signa illa sunt, quibus ita sentire aliis indicatur. Cultus enim proprie opera vel labor ille est, quem quisque in rem impendit quamcunque, ut ab illa sibi bonum aliquod obtineat. Res autem illæ, unde bonum expectamus, vel in nostra potestate sunt, ita ut bonum, quod præstant, laborem nostrum sequatur naturaliter; vel in potestate nostra non sunt, et proinde labori nostro pro voluntate nostra non respondent, sed pro natura rerum. In sensu primo, quem terræ impendimus laborem, *cultus* et *cultura* dicitur. In sensu secundo, ubi animi hominum ad voluntatem nostram ducendi sunt, non per vim, sed per officia, *cultus* est omne officii genus, quo ipsis placendi studium indicatur; qualia sunt ipsos laudare, magnificare, admirari, etc.

Ab honore interno, nempe, opinione magnifica de rei honorandæ potentia et bonitate, nascuntur tres affectus; *amor*, qui refertur ad bonitatem; et *spes* et *metus*, quæ respiciunt ad potentiam. Item, tres partes cultus externi, *laus*, *magnificatio*, et *benedictio*, sive ut loquuntur Græci, *μακαρισμος*; quarum una bonitatem, altera potentiam, tertia felicitatem attribuit.

Signa honoris aliqua sunt, tum in attributis tum in actionibus, quæ ita sunt naturaliter; ut in attributis, *bonus*, *justus*, *liberalis*, et similia; in actioni-

bus, ut *preces, gratiarum actio, et obedientia.* CAP. XXXI.  
 Alia signa honoris fiunt per voluntatem vel consuetudinem hominum ; et proinde in temporibus quibusdam et locis honorifica sunt, in aliis non sunt ; qualia sunt ceremoniæ et gestus, quibus inter precandum homines, diversis temporibus et locis, utuntur diversis ; et dici possunt *cultus arbitrarius.*  
 De regno  
 Dei naturali.

Cultus arbitrarius alius est *imperatus*, ut qui sit arbitrio imperantis ; alius *voluntarius*.

Rursus, alius est *publicus*, alius *privatus*. *Publicus* est cultus civitatis ; *privatus*, hominis privati, sive civis. *Publicus*, respectu civitatis, liber est. Item, cultus *privatus*, secretus quidem, liber ; in præsentia autem multitudinis nunquam est sine metu aliquo, vel a legibus vel a reverentia astantium ; quorum utrumque libertatem aliquatenus diminuit.

Finis propter quem coli se velint homines, est potentia. Quem enim coli vident, potentem esse intelligunt. Finem autem propter quem coli se velit Deus omnipotens, nullum video præterquam ut beneficiat nobis ; cultusque noster debitus est ; et illi juxta honorandi regulas, quas ratio naturalis dictat potentioribus a minus potentibus observandas esse, boni adipiscendi vel damni vitandi causa, exhibendus.

Inter attributa, quæ Deo debita esse lumine naturali intelligimus, primum est *existentia*, id est, ut confiteamur *Deum esse*. Honorare enim quod non putamus *esse*, impossibile est.

Secundum est *omnipotentia*, et quod omnium rerum conditor est et rector. Qui dicunt ergo mundum æternum esse, Deum non honorant quantum possunt : neque illi, qui Deum rerum humanarum curam habere negant.



## CAP. XXXI.

De regno  
Dei naturali.

Tertium, Deum non honorant quantum possunt, qui finitum esse dicunt; finito enim addi potest. *Figuram* ergo Deo attribuere, est contra honorem Dei; propterea quod figura omnis finita est. Et propter eandem rationem contra honorem Dei est, dicere quod illum concipimus, imaginamur, vel aliquam ejus in animo habere *ideam*: quicquid enim concipimus, finitum est. Dicere, item, Deum *totum*; quia *totum* de finito tantum dicitur. Dicere, item, quod Deus in loco hoc vel illo est; nam quicquid in loco est, circumscribitur et finitum est.

Quartum, contra Dei honorem est dicere plures esse Deos. Plura enim infinita esse non possunt.

Quintum, contra honorem Dei est, juxta propriam verborum significationem, Deo attribuere passiones, quæ subindicant dolorem; ut poenitentiam, iram, misericordiam; vel quæ significant indigentiam; ut appetitum, spem, cupidinem; vel facultatem quamcunque passivam. *Pati* enim est potentia ab agente alio terminata. Itaque quando Deo attribuimus *voluntatem*, non debemus per *voluntatem* appetitum rationalem intelligere, qualis in homine est, sed divinam potentiam, qua omnia quæ fiunt efficit. Similiter, qui Deum *videre, sentire, scire, intelligere* dicunt, quæ facultates in hominibus nihil aliud sunt quam animi ab agentibus externis per corporis humani partes organicas excitatus tumultus, nisi per ea verba intelligant divinam et incomprehensibilem potentiam, Deum non honorant.

Is, qui Deo attribuere nomen nullum vellet nisi quod naturali rationi conforme sit, nominibus uti debet vel negativis, *infinitus, æternus, incomprehensibilis*; vel superlativis, ut *altissimus, maximus*; vel indefinitis, ut *bonus, justus, sanctus, Creator*;

idque eo sensu, ut non velit declarare *quid sit* Deus, sed quantum ipsum admiramur et veneramur nos. Unicum enim naturæ suæ nomen habet EST.

CAP. XXXI.

De regno  
Dei naturali.

Actiones autem quæ ad cultum divinum pertinent, rationis est, ut signa sint honoris; quales sunt, primo loco, *preces*. Secundo loco, *gratiarum actiones*; quæ tamen a precibus in cultu divino non aliter differunt, nisi quod beneficium præcedant preces, gratiarum actiones sequantur; cum tam harum, quam illarum finis unicus est, nempe, ut beneficiorum tam præteritorum quam futurorum Deum authorem esse agnoscamus. Tertio loco, *dona*, id est, *sacrificia et oblationes*, si in suo genere sunt optima, signa honoris sunt, et cultus divini pars rationalis. Quarto, signum honoris Deo exhibendi est, *non jurare nisi per Deum*; illum enim solum esse scrutatorem cordium, jurando confitemur. Quinto, pars cultus rationalis est, de Deo non nisi considerate loqui; signum enim est timoris, et timor potentiæ divinæ confessio. Nomen ergo Dei non temere usurpandum est, neque sine causa necessaria; nempe, inter cives ad certitudinem judiciorum, aut inter gentes ad evitanda bella. De natura autem divina disputare, honori Deo debito contrarium est; supponitur enim de regno Dei sciri nihil posse, nisi per rationem naturalem, id est, per principia physica; quæ tantum abest ut naturam divinam patefaciant, ut ne nostram quidem aut cujusquam rei minimæ naturam nos docere possint. In attributis ergo divinis respiciendum non est ad definitiones vocabulorum, sed ad quam significant honoris intentionem. Sexto, in precationibus, gratiarum actionibus, oblationibus, et sacrificiis dictamen ra-

CAP. XXXI. tionis naturalis est, ut sint omnia in suo genere optima. In precationibus et gratiarum actionibus dictiones, verba, et oratio tota, si subita, levia, aut rustica sint, e cultu divino, ubi omnia pulchra et decenter composita esse debent, ejicienda sunt; nam Deum alioqui non honoramus quantum possumus. Quod gentes imagines pro Deo coluerunt, fecerunt absurde; sed quod carminibus et musica, tum vocali tum organica, id fecerint, laudabile erat. Septimo, dictat ratio naturalis non solum ut secreto colamus, sed etiam, et præcipue, in publico coram hominibus. Nam absque eo, id quod in cultu gratissimum est, nempe, ut alii ad colendum Deum perducantur, perit. Postremo, legibus obedire, nempe legibus naturæ, (nam loquimur hic de cultu naturali), optimus omnium cultus est; sicut enim apud Deum acceptior est sacrificiis omnibus obedientia; ita etiam mandata Dei parvi facere, maxima est contumeliarum.

De regno  
Dei naturali.

Atquæ hæ sunt divini cultus leges naturales. Quoniam autem civitas persona unica est, unicum exhibere Deo cultum potest, id est, cultum legibus civilibus imperatum; qui cultus publicus dicitur; nec potest esse, nisi uniformis.

Cumque verba omnia, et proinde attributa Dei, significationem suam habeant a consensu et constitutione hominum; attributa illa pro signis honorandi habenda sunt, quæ ita haberi volunt homines. Quodcumque autem voluntate hominum fieri potest, ubi nulla alia lex est præter rationem, fieri etiam potest, volente civitate, per leges civiles. Quod autem a civitate fieri potest, idem etiam per illum, qui summam habet in civitate potestatem, fieri potest. Signa

ergo honorandi Deum, quæ constituit is qui summam habet potestatem, pro talibus in cultu divino publico a privatis hominibus accipienda sunt. Sed quia non omnes actiones possunt honorificæ fieri per constitutionem hominum; cum aliæ honoris, aliæ contumeliæ naturaliter signa sint; de iis actionibus solis, an in cultum divinum admittendæ sint, constituere potest civitas, quæ sua natura nec honorem nec contumeliam significant; et quod statuerit civitas, observari debet.

CAP. XXXI.

De regno  
Dei naturali.

Hactenus de regno et cultu Dei naturali dictum est. Addam de pœnis naturalibus hoc tantum, quod peccata non constitutione consequantur, sed natura. Nulla fere est humana actio, quæ initium non sit catenæ cujusdam consequentiarum, adeo longæ, ut ad finem ejus prospicere providentia humana nulla possit. Concatenantur autem accidentia jucunda et molesta adeo insolubiliter, ut qui jucundum sumit, molestum quod adhæret, quanquam improvisum, necessario etiam accipiat. Quemadmodum vim inferentes punit vis aliena; intemperantiam puniunt morbi, etc. Et tales sunt quas voco pœnas naturales.

De civitatis constitutione, de jure summam habentium potestatem, et de officiis civium, quæ a principiis rationis naturalis deducenda erant, quæ dicenda habui dixi omnia; firma, perspicua, et ingeniis liberis, ut puto, placitura.

Sed dum multitudinem eorum cogito, quorum consiliis, ut sint falsa, expedit; quando illos, qui doctrinas contrarias sustinent, ne bello quidem civili punitos, emendari video; cumque doctrinis Græcorum et Romanorum veterum seditiosis ingenia optima innutrirî intelligo; vereor, ne scriptum hoc

CAP. XXXI. meum reipublicæ Platonicæ, Utopiæ, Atlantidi, similibusque ingeniorum lusibus annumeretur. Non despero tamen, quin regibus integris in sua jura, doctoribus in officia sua et civibus attentius inspicientibus, hæc ipsa doctrina, consuetudine mitior facta, tandem aliquando ad bonum publicum communiter recipienda sit.

---

De regno  
Dei naturali.

# DE CIVITATE CHRISTIANA.

---

## CAPUT XXXII.

### DE POLITICÆ CHRISTIANÆ PRINCIPIIS.

HACTENUS summarum potestatum jura civiumque CAP. XXXII. officia a principiis pure naturalibus deducta sunt ; nimirum a definitionibus vocabulorum consensu hominum approbatis. Sed ad ea, quæ dicenda sunt de natura et juribus *civitatis Christianæ*, cujus cognitio dependet magna ex parte a voluntatis divinæ revelationibus supernaturalibus, adhibenda sunt principia alia, nempe, verbum propheticum.

De politicæ  
Christianæ  
principiis.

Veruntamen sensibus, experientiæ, et quod verbum Dei indubitatum est, rectæ rationi, renuntian- dum non est. Sunt enim illa instar minæ, quæ a Servatore nostro hominibus ad negotiandum data est, nec in fide implicita, quasi in sudario involuta, reponenda ; sed ad justitiam, pacem, veramque religionem expendenda. Quanquam enim in verbo Dei rationem humanam superantia multa sint, id est, quæ ratione naturali neque demonstrari neque confutari possunt ; contra tamen rectam rationem nihil reperitur.

Quoties ergo in locum aliquem difficiliorem, quam ut a nobis examinari possit, inciderimus, intel- lectum nostrum verbis ipsis sine examine phi- losophico, propter mysteriorum divinorum incom- prehensibilitatem, debemus subijcere et captivare.

CAP. XXXII. Mysteria enim, ut pillulæ, quas morbo laborantibus præscribunt medici, si deglutiantur integræ, sasant; mansæ autem plerumque revomuntur.

De politicæ  
Christianæ  
principiis.

Subjectio autem intellectus non ita intelligitur, ac si teneretur aliquis alicujus alterius sententiæ consentire; nam sensus, memoria, intellectus, et ratio nostra in potestate nostra non sunt, sed tales sunt, quales res ipsæ necessario in nobis efficiunt. Intellectum tunc subjicere dicendi sumus, quando illis, quorum est de doctrinis statuere, non contradicimus.

Alloquitur homines Deus aut immediate, aut alterius hominis, cui immediate loquutus ante erat, mediatione. Quo modo hominem immediate alloquatur, intelligi forte potest ab iis quos ita alloquutus est; sed idem ut ab alio intelligatur, si non impossibile, certe difficilimum est. Nam si quis mihi diceret, Deum sibi supernaturaliter et immediate loquutum esse, dubitanti an id verum esset, non facile intelligo quibus argumentis mihi fidem faceret. Siquidem ita dicit is cui debeo obedire, obedire teneor, eatenus, ut neque verbo neque facto dissensum meum patefaciam. Ut credam autem, non potest cogere. Quod si qui auctoritatem nullam habeat, hujusmodi aliquid dicat, causa nulla est neque ut credam neque ut obediam.

Quibus Deus loquutus est in Scripturis sacris, non immediate loquutus est, sed per prophetas, idque omnibus æqualiter. Qui Deum in somnio ad se loquutum esse dicit, Deum ad se loquutum esse somniasse se dicit. Somnia autem aliena pro verbo Dei nemo accipiet, præsertim si somnia maxima ex parte naturalia esse et ab arrogancia et superbia somniantis procedere posse sciat. Qui

visionem a Deo vidisse aut vocem audisse se dicit, somniasse credetur; sæpe enim et facile vanis et imperitis hominibus somnia illudunt. Qui supernaturaliter inspiratam sibi esse a Deo doctrinam aliquam novam dicit, a sapientibus ingenii sui admiratione insanire intelligetur. Quanquam autem in somnio, in visione, per vocem et per inspirationem hominem alloqui potest Deus omnipotens, dicenti tamen Deum sibi ita loquutum esse credere obligatur nemo, homini scilicet qui et errare, et quod pejus est, mentiri potest. Quibus ergo rationibus sine divina revelatione intelligere possibile est, quis sit vel non sit propheta verus? In quadringentis prophetis, quos (1 Reg. xxii. 6) consuluit rex Israelis de bello gerendo contra Ramoth-Gilead, verus erat unicus Micaiah. Propheta ille, qui (1 Reg. xiii.) missus a Deo est ad prophetandum contra altare quod extruxerat Jeroboam, propheta Dei erat, et miracula operatus est coram rege; idem tamen ab alio propheta deceptus est, qui divino nomine abusus est. Si propheta prophetam non cognoscat, quomodo possibile est ut voluntas Dei certo, præterquam ratione naturali, cognoscatur? Respondeo, duo esse in Scripturis indicata prophetæ veri signa, quibus conjunctim, non seorsim, propheta verus dignoscatur. Seorsim, inquam, neutrum horum signorum sufficit. *Si surrexerit*, dicit Deus (Deut. xiii. 1-5), *in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod loquutus est; et dixerit tibi: eamus et sequamur Deos alienos quos ignoras, et serviamus eis! Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, etc. Propheta autem ille et fictor somniorum interficietur;*

CAP. XXXII.

De politicæ  
Christianæ  
principiis.



CAP. XXXII. *quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro.* In his verbis notanda duo sunt. Primum, quod Deus miraculorum operationem solam pro nota prophetæ veri haberi non vult, sed quod miraculum fieri patitur, ut constantiam populi sui experimento tentet. Miracula fecerunt etiam incantatores Ægyptii: non tamen illis credendum erat. Secundum, quod quantumvis magnum sit miraculum, si tendat tamen ad rebellionem contra regem, aliud non est præter fidelitatis populi probationem. Similiter, postquam Servator noster Jesus Christus pro vero Messia, id est pro rege a discipulis agnitus esset, monere illos de miraculorum periculo non omisit. *Nolite, inquit, (Matth. xxiv. 23, 24), credere; surgent enim pseudochristi et pseudo-prophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Unde constat fieri posse miracula etiam a pseudoprophetis, nec tamen ut doctrina eorum pro verbo Dei recipienda sit. Et Sanctus Paulus ad Galatas (cap. i. vers. 8): *Si ego, aut angelus de cælo evangelium aliud prædicaverit vobis quam quod ego prædicavi, anathema sit.* Quid autem erat, quod prædicaverat Paulus, nisi quod Jesus Christus erat rex Judæorum? Adeo ut prædicatio omnis contra potestatem regiam, juxta sententiam Sancti Pauli, anathematizanda sit.

Sicut autem miraculorum operatio, si doctrina, quam operator introducere conatur, contraria sit doctrinæ jam a Deo institutæ; ita veræ doctrinæ prædicatio, sine miraculi operatione, revelationis immediatæ signum est insufficiens. Itaque qui doctrinam veram prædicat, si sine dato miraculo sibi credi ut prophetæ postularet, audiendus non esset: ut patet ex Deut. xviii. 21, 22; *Quod si tacita*

De politicæ  
Christiænæ  
principiis.

*cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est loquutus? Hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit; hoc Dominus non est loquutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit; et idcirco non timebis eum.* Sed poterit aliquis hic objicere: Cum propheta prædixerit aliquid futurum, quomodo scire possumus, utrum futurum sit necne? Prædicere enim potest, quod post tempus longissimum futurum sit; vel indefinite, quod futurum sit aliquando. Itaque signum hoc inutile erit. Quare ut propheta aliquis agnoscat, confirmari debent, quæ prædicit, per eventum, aut præsentem, aut paulo post futurum. Patet ergo, duo hæc signa, nempe, religionis receptæ prædicationem, et miraculorum operationem, conjunctim attendere, non seorsim, quis verus sit propheta, id est, quis sit ad quem Deus immediate loquutus est.

Cessantibus autem jam pridem miraculis, signum, quo revelationem, aut inspirationem hominis cujusquam privati cognoscamus, aut ad doctrinam ejus recipiendam obligemur, habemus nullum, præter Scripturas sacras, quæ a tempore apostolorum miraculorum locum supplent, et prophetiæ cessationem satis compensant. Ex quibus Scripturis, per interpretationem rectam cautamque ratiocinationem, præcepta et regulæ, ad scientiam officiorum nostrorum tum erga Deum tum erga homines necessariæ, sine entusiasmo aut inspiratione supernaturali facile depromi possunt. Ex illis ergo eorum, quæ de jure summæ potestatis civitatis Christianæ dicturus sum, principia sumenda sunt. Itaque in capite proximo, de libris, scriptoribus, scopo, et autoritate Sacrorum Bibliorum, dicendum est.

CAP. XXXII.

De politicæ  
Christiænæ  
principiis.

## CAPUT XXXIII.

DE NUMERO, ANTIQUITATE, SCOPO, AUTHORITATE, ET  
INTERPRETIBUS LIBRORUM SACRORUM.

## CAP. XXXIII

De numero, anti-  
quitate, scopo,  
authoritate, et in-  
terpretibus libro-  
rum sacrorum.

*Libri Sacri* illi sunt, qui pro vitæ Christianæ canone sive regula habendi sunt. Quoniam autem vivendi regulæ illis quibus præscribuntur, si illas observare obligantur, leges sunt; quæstio oritur de legibus, per totum orbem Christianum, tum naturalibus tum civilibus, quam autoritate leges factæ sint. Quanquam enim in Scriptura Sacra, quas leges unusquisque rex sive cœtus Christianus constituere in dominio suo debeat, definitum non sit; quas tamen constituere non debet, definitum est. Cum autem ostensum sit supra, illos, qui summam habent in civitate sua potestatem, solos legeslatores esse, sequitur libros illos solos canonicos, id est, leges esse in unaquaque civitate, quæ summi imperantis autoritate latæ sunt. Imperantium omnium imperator Deus quidem est, et illi a civibus præstanda est obedientia; quicquid in contrarium jubeat rex terrenus. Sed de obedientia Deo præstanda controversia nulla est, sed *quando* et *quid* loquutus sit Deus; id quod ab iis, quibus nulla data est revelatio supernaturalis, sciri non potest, nisi per rationem illam naturalem, qua pacis et justitiæ obtinendæ causa autoritati summarum potestatum sese submiserunt. Quare, nullos ego libros pro Scriptura Sacra agnoscere debeo, præter eos quos sancivit Ecclesia Anglicana. Quinam autem illi libri sint, non est opus hoc loco recensere. Testamenti Veteris numerat Josephus viginti et duos: nempe, Mosis quinque, Prophetarum trede-

cim, et reliquorum quatuor. Eosdem numerat Hieronymus; nimirum, Mosis quinque, Prophetarum octo, et Hagiographorum novem. Uterque librum Sapientiæ Solomonis, Ecclesiasticum, Judith, Tobiam, primum et secundum Machabeorum, a canone excludit. Eosdem solos transtulerunt *Septuaginta Interpretes* in linguam Græcam, homines Judæi Græcæ linguæ periti, jussu regis Ptolomæi. De libris Testamenti Novi inter ecclesias Christianas controversia nulla est. Librorum Sacrorum scriptores qui fuerint, ex historiis ostendi non potest; ipsorum ergo librorum lumine investigandi essent, si omnino investigari possent; quod lumen etsi uniuscujusque libri scriptorem non ostendat, ostendit tamen quo fere tempore quisque scriptus fuerit.

CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus, librorum sacrorum.

Liber Pentateuchi scriptorem habuisse Mosem non videtur, sed potius de Mose quam a Mose scriptus esse. Legimus capite ultimo Deuteronomii (vers. 6): *et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem*; id est, usque in diem in quo liber ille scriptus erat. Scriptum ergo esse longo post mortem Mosis tempore, manifestum est. Quod Mosem verba hæc scripsisse per prophetiam dicant, ineptum est. Rursus, in libro Genesios (xii. 6) legimus: *Pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem. Chananeus autem tunc erat in terra.* Quæ verba esse non possunt nisi ejus, qui tunc scripsit quando in ea terra Chananeus non erat. Non sunt ergo ea verba Mosis. Rursus, (Num. xxi. 14,) sic legimus: *Dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in Mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.* Quæ scribi a Mose ipso non

## CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus librorum sacrorum.

potuerunt. Ea sola scripsit Moses, quæ a scriptore Pentateuchi scripsisse dicitur, nempe volumen legis, quæ habetur in Deuteronomio a capite undecimo usque ad finem capituli vicessimi septimi, et quam in aditu terræ Chananeæ lapidibus inscribi jussit Deus. Volumen hoc scripsit ipse Moses, tradiditque sacerdotibus senioribusque Israelis, Israelitis omnibus in Festo Tabernaculorum septimo quoque anno recitandum. Atque hæc lex ea est, quam Deus, a sacerdotibus et Levitis transcriptam, a regibus populi Israelitici futuri legendam esse jussit.

Quod liber Josuæ longo tempore scriptus sit post mortem ejus, ex libro ipso colligi potest. Cum in medio alveo Jordanis erexisset Josua, in monumentum transitus Hebræorum, duodecim lapides; scriptor libri de illis dicit (Jos. iv. 9): *et ibi sunt usque in præsentem diem*. Similiter (Jos. v. 9), cum dixisset Deus ad Josuam, *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis*: dicit scriptor; *Vocatum est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem*. Hæc et alia argumenta similia ex aliis locis libri Josuæ, ut Jos. viii. 29 : xiii. 13 : xiv. 14 : xv. 63, ostendunt librum Josuæ scriptum esse satis longo tempore post illius mortem.

De libro Judicum, ex cap. xviii. 30, manifestum est, quod post captivitatem decem tribuum scriptus sit: ubi dicitur, *Posuerunt sibi sculptile, et Jonathan ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ*.

Liber Ruth scriptus est, ut videtur ex cap. i. 1, post librum Judicum.

Quod libri Samuelis post mortem illius scripti fuerint, ostendunt loci sequentes: 1 Sam. v, 5 : vii. 13, 15 : xxvii, 6 : et præterea xxx. 25, ubi,

postquam David partem spoliis illis, qui remanserunt ad sarcinas, æquam cum descendentibus ad prælium adjudicasset, dicit scriptor, *et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfinitum quasi lex in Israel usque in diem hanc.* Item 2 Sam vi. 8, ubi David propter mortem Uzzæ contristatus est, dicit scriptor : *Vocatum est nomen loci illius percussio Uzzæ, usque in diem hanc.*

CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus librorum sacrorum.

Loci ex libris Regum et Paralipomenon similes ante dictis, nempe 1 Reg. ix. 13 : ix. 21 : x. 12 : xii. 19 : 2 Reg. ii. 22 : viii. 22 : x. 27 : xiv. 7 : xvi. 6 : xvii. 23 : xvii. 34 : xvii. 41 : 1 Paral. iv. 41 : v. 26, ostendunt scriptos esse illos libros longo tempore post res ipsas gestas : quod autem etiam post captivitatem Babylonicam, argumento est, quod ipsa historia in captivitatem desinit. Facta enim vetustiora esse necesse est quam historia, multo magis quam libri illi, qui historiam citant, ut faciunt hi libri qui citant annales regum Israelis, librum prophetæ Samuelis, librum prophetæ Nathan, librum prophetæ Abijah, visionem Jehdo, libros prophetæ Serviah et prophetæ Addo.

Quod libri Esdræ et Nehemiæ scripti fuerint post reditum a captivitate, ex libris ipsis manifestum est, reædificationem murorum et domuum Jerusalem, et pacti renovationem, et politiæ ordinationem enarrantibus.

Liber Esther in ipsa captivitate, vel post eam scriptus est.

Temporis, in quo scriptus sit liber Job, notam in ipso nullam invenio. Quanquam autem personam veram, non fictam fuisse Jobum ex Ezechiel. xiv. 14, et Jac. v. 11, certissimum sit ; liber tamen ille historicus non videtur, sed tractatus moralis de

**CAP. XXXIII** quæstione antiqua *quare improbis in hac vita bene, probis autem plerumque male est.* Id, quod ex eo probabilius fit, quod a principio libri usque ad tertii capitis versum tertium, nempe querimoniarum Jobi initium, oratione prosa Hebraice scriptus est; inde autem usque ad ultimi capitis versum sextum, versu hexametro; et rursus, quod ultimi capitis restat, oratione prosa. Ita ut disputatio circa quæstionem tota versus sit; prosa autem in sola præfatione et epilogo inveniatur. Versus autem neque illis, qui in magnis doloribus constituti sunt, ut Job, nec illis, qui consolaturi miseros veniunt, ut amici ejus, stilus usitatus est, sed philosophis moralibus priscis frequentissimus.

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus, librorum sacrorum.

*Psalmi* maxima ex parte a Davide scripti sunt ad usum chori; alii non multi alios authores, Mosem sanctosque homines alios, habent; quorum aliqui vixerunt post reditum a captivitate, ut Psalmus cxxxvii, et Psalmus cxxvi, et temporibus Antiochi scriptus Psalmus lxxix.

Maxima item pars Proverbiorum, Solomonis sunt; sunt autem eorum aliqua scripta ab Agur, aliqua a matre regis Lemuel. Collecta autem in librum unum fuisse a Solomone verisimile non est. Liber ergo ille post tempora Solomonis scriptus est.

*Ecclesiastes* et *Cantica Canticorum* quin Solomonis sint, dubium nullum est.

*Prophetarum* antiquissimi sunt Sophonias, Jonas, Amos, Hosea, Isaias, et Micaiah; vixeruntque temporibus Amasiæ, et Azariæ, alias Oziæ, regum Judæ. Liber Jonæ non tam prophetia ejus est; continetur enim tota his verbis, *quadraginta dies, et Ninive destructur*; sed perversitatis et contumaciæ ejus narratio historica. Author ergo libri

illius non fuit propheta ipse. Liber Amos propheta ipsius est. An tamen ab ipso scriptus sit, non apparet.

CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpositis librorum sacrorum.

Jeremias, Abdias sive Obadias, Nahum et Habacuc, Josiæ temporibus prophetaverunt. Utrum autem prophetias suas ipsi scriptas ediderunt, sciri non potest. Id quod etiam de Ezechiele, Daniele, Aggeo, et Zacharia, qui vixerunt in captivitate ipsa, dicendum est.

Quando autem prophetaverunt Joel et Malachias, ex ipsorum prophetiis non apparet. Veruntamen manifestum satis est Veteris Testamenti Scripturam totam, ea forma quam nunc videmus, neque ante reditum a captivitate Babylonica, neque post Ptolomæi Philadelphi tempora editam fuisse. Quod si libris Esdræ Apocryphis fides habenda sit, ab ipso Esdra edita est; nam 4 Esd. xiv. 21, 22, etc. sic scribitur: *Quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ a te facta sunt, vel quæ incipient opera: si inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, et scribam omne quod factum est in seculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines invenire semitam, et qui voluerint vivere in novissimis, vivant.* Deinde vers. 45, 46. *Et factum est, cum complevisset quadraginta dies, loquutus est Altissimus dicens: priora quæ scripsisti, in palam pone, et legant digni et indigni; novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo.*

Scriptores Testamenti Novi vixerunt omnes tempore ipsius Christi, et, exceptis Paulo et Luca, illum viderant. Tempus autem, in quo Testamenti Novi libri primum ab ecclesia pro ipsorum scriptis agniti et recepti sunt, tempore apostolorum aliquanto



## CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus librorum sacrorum.

posterius erat. Sicut enim libros Testamenti Veteris altius derivare non potuimus, quam ab Esdra, qui auxilio Spiritus Sancti perditos restituit; ita libri Testamenti Novi ab altiore tempore derivari non possunt, quam ab eo, quo rectores ecclesiarum illos collegerant, probaverant, et ut scriptos ab apostolis et discipulis Christi, quorum nominibus inscribuntur, nobis commendaverant. Enumeratio librorum tum Veteris tum Novi Testamenti prima, est in canonibus apostolorum facta a Clemente, primo post Petrum episcopo Romano. Sed quoniam de canonibus illis controversia est, Scripturæ Sacræ, qualem habemus nunc, receptio publica Concilio Laodicensi attribuenda est; quod Concilium habitum est anno post Christum natum ccclxiv. Quanquam autem eo tempore apud Doctores Ecclesiæ ambitio prævaluerat, in tantum, ut imperatores etiam Christianos pro ovibus, non pro pastoribus, et imperatores non Christianos pro lupis haberent, doctrinasque suas pro legibus, non pro consilio, valere vellent, et de piis fraudibus cogitare inciperent; non tamen adducor, ut illos credam exemplaria Testamenti Novi corrupisse, in manibus eorum solis tunc fere existentia. Nam si hoc facere voluissent, doctrinis suis multis fecissent illa magis favorabilia. Dubium igitur non est, quin Testamenta, Vetus et Novum, ut nunc extant, monumenta vera sint earum rerum quæ dictæ et factæ sunt a prophetis, et apostolis, et aliis Scripturæ Sacræ scriptoribus. Dubium etiam non est quin potuerit ecclesia in canonem etiam alios libros recipere a Judæis, quanquam lingua Hebræa non scriptos, si modo cæteris doctrinam non contrariam continuissent. Non enim a scriptoris dialecto, sed a doctrina, partimque etiam a

tempore scriptionis, an liber aliquis in canonem recipi mereatur, judicandum est. Erant autem in Judæa sancti viri Judæi, qui linguam Græcam perfecte calluerunt. Sed libri non a scriptoris, sed ab Ecclesiæ authoritate recipiendi sunt. Librorum autem sacrorum authoritati non parum addit, quod etsi diversis temporibus a diversis hominibus scripti sint, eodem tamen spiritu omnes scripserint, et in unum et eundem scopum conspirarint, nempe explanationem juris regni cœlestis, in *Deo Patre, Filio, et Spiritu Sancto*. Nam liber Genesios genealogiam populi Dei deducit a creatione usque ad exitum eorum in Ægyptum. Reliqui quatuor libri Mosis explicant regni cœlestis institutionem et leges. Libri Josuæ, Judicum, Ruth, et Samuelis, populi Dei gesta narrant usque ad regem Saul, quo tempore regnum Dei recusantes, regem postulaverunt ad morem gentium vicinarum. Reliqua historia Veteris Testamenti Davidis lineam per reges Judæe describit, usque ad captivitatem; ex qua linea oriri debuit regni cœlestis restitutor, Servator noster Dei filius: cujus adventus in libris Prophetarum prædictus est. Hujus vitam et facta scripserunt Evangelistæ. Postremo, Apostolorum Acta et Epistolæ adventum declarant Spiritus Sancti, et ab eo datam ecclesiæ authoritatem et gratiam, ut prædicatione sua homines ad salutem in Christo invitarent.

Quæstio hodie disputatur inter Christianæ religionis sectas, unde habeant Scripturæ Sacræ eam quam habent authoritatem; quæ quæstio proponi solet sic: *qui scimus Scripturas esse verbum Dei?* difficultatemque habet tantummodo a quærendi modo. Nam quod Deus ipse Scripturæ Sacræ author sit, agnoscunt omnes, et credunt. Quod autem

## CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, authoritate, et interpretibus librorum sacrorum.

## CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus librorum sacrorum.

id sciant, nisi a Deo ipso supernaturaliter revelatum esset, impossibile est. Quæstionem hanc proponunt alii sic: *cur credimus Scripturas esse verbum Dei?* cui quæstioni, quia, ut id credant diversi homines propter causas diversas inducuntur, responsio universalis dari non potest. Quæstionis status verus hic est: *qua autoritate Scripturæ Sacræ fiunt leges.*

Quatenus non differunt Scripturæ a legibus naturæ, dubium non est quin sint leges Dei, autoritatemque habent omnibus, qui ratione naturali præditi sunt, manifestam. Sed autoritas hæc alia non est quam quæ doctrinæ omni morali, si vera sit, attribuenda est.

Si leges a Deo ipso factæ sint, nempe leges divinæ positivæ, nulla accedente autoritate humana, illis solis leges sunt, quibus Deus ipsas ita promulgavit, ut nulla illis per ignorantiam relinquatur excusatio.

Illi igitur, quibus Deus non revelavit supernaturaliter, quod Scripturæ ab illo sunt, vel eos, qui illas prædicant, ab eo missos esse, nulla, ut eas recipiant, autoritate obligantur, præterquam ejus, qui summam habet in civitate potestatem. Is enim legislator solus est. Rursus, si autoritas civitatis non sit, quæ Scripturas facit esse leges, autoritate aliqua alia, vel privata vel publica, id fiet. Si privata, is solus ad obedientiam tenetur, cui Deus illas supernaturaliter pro legibus dictavit. Nam si unus quisque pro legibus divinis habere obligaretur quicquid aliquis, prætextu inspirationis vel revelationis, obtruderet; in tanto hominum numero per arrogantiam vel ignorantiam somnia, phantasmata, insaniamque pro Spiritus Divini testimoniis accipientium,

vel per ambitionem falso jactantium, impossibile esset ut leges ullæ pro divinis agnoscerentur. Sin Scripturæ leges fieri non possunt sine autoritate publica, autoritas illa *civitatis* erit, vel *ecclesie*. At *ecclesia* si una persona sit, eadem res est cum *civitate*; quæ quidem, quia constat ex hominibus, *civitas*; quia constat ex hominibus Christianis, *ecclesia* appellatur. Totus autem numerus Christianorum hominum, nisi una civitate comprehendantur, non est persona una; neque ulla existit ecclesia universalis, cujus autoritate regendi sunt. Scripturæ ergo non fiunt leges per autoritatem Ecclesiæ universalis. Quod si civitas una esset per totum orbem ecclesia universalis, sequeretur reges cœtusque summos pro privatis personis habendos esse, et ab una universali potestate per totum orbem Christianum judicandos, deponendos, et puniendos esse. Quæstio igitur de autoritate Scripturarum reducitur ad hanc: *utrum reges Christiani, iique cœtus qui in civitatibus Christianis summam habent potestatem, liberi sint in suis ipsorum dominiis; an uni vicario Christi subditi sint ab eo judicandi, condemnandi, deponendi, interficiendique, prout vicario illi expedire bono communi spirituali visum erit.*

CAP. XXXIII

De numero, antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus librorum sacrorum.

De qua quæstione determinandum non est, antequam propius inspexerimus in jura regni Dei; ut sciamus inde, cujus sit Scripturas Sacras interpretandi autoritas. Quicumque enim potestatem habet legitimam faciendi ut scriptura aliqua pro lege habeatur, potestatem etiam habet ejusdem scripturæ interpretationem approbandi et improbandi.

## CAPUT XXXIV.

DE SIGNIFICATIONE QUAM HABENT IN SCRIPTURIS SACRIS  
VOCABULA SPIRITUS, ANGELUS, INSPIRATIO.

**CAP. XXXIV.** CUM recte ratiocinandi fundamentum positum sit in significatione vocabulorum; quorum definitiones in doctrina sequente non dependent, ut in scientiis naturalibus, ab arbitrio hominum, aut vulgi usu, sed a sensu quem habent in Scriptura Sacra; necessarium est, antequam ulterius progrediar, ut ex Scriptura Sacra verborum eorum significationem stabilem, quibus per ambiguitatem suam ea, quæ ab illis illaturus sum, reddantur obscura aut dubia. Incipiam autem a vocabulis *corpus* et *spiritus*; quæ in sermone scholastico appellari solent *substantia corporea* et *incorporea*.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula spiri-  
tus, angelus, in-  
spiratio.

*Corpus* significat universaliter id quod locum aliquem certum implet sive occupat; nec dependet, ut locus ipse, ab imaginatione nostra, sed pars est realis ejus, quod vocamus *Universum*. *Universum* enim, cum sit corporum omnium aggregatum, nullam habet partem quæ non sit etiam *corpus*; neque dicitur proprie *corpus*, quod non sit totius universi aliqua pars. Quoniam autem corpora varie apparent, dicuntur etiam variis *subjecta* esse accidentibus, nimirum aliquando quiescere, modo calida, modo frigida; interdum coloris, odoris, saporis, vel soni unius, interdum alterius; et propter eam causam nominantur *substantiæ*. Diversitas autem hæc apparitionum, quæ oritur ab operatione varia corporum externorum in organa sentiendi, facit ut illas mutationibus corporum agentium attribuamus, et *accidentia* esse putemus ipsorum corporum.

Juxta hanc vocabuli *corporis* acceptionem, *corpus* et *substantia* idem significant; et proinde, vox composita, *substantia incorporea*, est insignificans, æque ac si quis diceret *corpus incorporeum*; neque illa, neque vox *immaterialis*, in Scriptura Sacra usquam invenitur.

CAP. XXXIV.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

Juxta sensum autem vulgi, non totum universum pro corpore haberi solet, sed partes ejus illæ tantum quas agere in se ipsos aut tactu sentiunt, quando resistunt, aut visu, quando prospectum impediunt. Itaque in sermone vulgi, *aer* et *substantiæ aeriæ* non habentur pro corporibus, sed, quoties ab illis aliquid patiuntur, ventus et spiritus dicitur, ut *spiritus vitalis* et *spiritus animalis*. Quod autem attinet ad idola cerebri, sive phantasmata, quæ videntur et non sunt, qualia in speculis vel somniis, vel etiam aliquando per cerebri intemperiem vigilantibus apparent, spectra sunt, et, quod apostolus universaliter de idolis dicit, *nihil*. Nihil, inquam, omnino ibi ubi videntur esse, neque in cerebro ipso aliud quam tumultus ortus ab organorum agitatione. Homines autem, quorum animi, aliis cogitationibus occupati, rerum causas non inquirunt, nesciunt quomodo vocanda sint, et proinde facile persuaderi possunt ab illis quorum scientiam reverentur, ut vocent illa, non spectra, sed corpora; putentque compacta esse ex aere per potentiam aliquam supernaturalem: etiam persuaderi possunt alii, quod sunt spiritus, propterea quod in loco, ubi videntur esse, tactu percipere nihil possunt. Propria ergo significatio *spiritus*, in sermone vulgi, aut corpus subtile, fluidum, et invisibile est, aut spectrum, id est, idolum seu phantasma. Significationes autem metaphoricæ, præsertim in Scriptura

## CAP. XXXIV

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula spiri-  
tus, angelus, in-  
spiratio.

Sacra, multæ sunt. Sumitur enim aliquando pro disputatione sive inclinatione; ut quando dicimus *spiritum contradictionis, spiritum immundum, per-versum, spiritum Dei*, pro contensioso, pro immundo, pro perverso homine, pro eo qui se disposuit ad serviendum Deo. Aliquando etiam accipitur pro eminente qualibet facultate, vel etiam pro morbo animi insolito; ut ubi egregia sapientia appellatur *spiritus sapientiæ*; et ubi homines mente capti spiritu dicuntur *possideri*.

Vocabuli *spiritus* significationes in Scripturis Sacris alias non invenio. Siquidem ergo Scripturæ loco alicui nulla harum significationum sufficere potest, locus ille intellectum nostrum superare existimandus est. Nec mirum; cum natura Dei incomprehensibilis sit, et nomina ei attribuenda sint non tam ad naturam ejus, quam ad honorem, quem illi exhibere debemus, congruentia.

Gen. i. 2, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*. Per *spiritum Dei*, si intelligatur Deus ipse, motus Deo, et per consequens locus attribuitur; quæ de incorporeis intelligi non possunt. Gen. viii. 1, ubi quando terra aquis, ut in principio, contacta erat, Deus, diminuere illas volens, *adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ*. In quo loco, *spiritus* videtur intelligendus esse pro *vento*. Quid ni ergo pro eodem ponatur etiam prædicto capite primo, vers. 2?

Gen. xli. 38, sapientiam Josephi appellat Pharaoh *spiritum Dei*. Cum enim Josephus ei consuluerat, ut virum terræ Ægypti præficeret sapientem et industrium, respondit Pharaoh: *Num invenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus sit?* Exod. xxviii. 3: *Loqueris cunctis sapientibus*

*corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaroni, in quibus santificatus ministret mihi* : ubi rursus, prudentia, quamquam in re vestiaria tantum egregia, nominatur a Deo *spiritus Dei*. Eodem sensu accipitur spiritus Exod. xxxi. 3, 6 : *Et implevi eum spiritu Dei, etc.* Et Exod. xxxv. 31 : *Implevitque eum spiritu Dei, etc.* Isaiah xi. 2, 3 : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis ; et replebit eum spiritus timoris Domini* : ubi manifeste intelliguntur non totidem spectra, sive substantiæ incorporeæ, sed gratiæ excellentes in illum a Deo collocandæ.

In libro Judicum, (Judic. iii. 10 : vi. 34 : xi. 29 : xiii. 25 : xiv. 6 : xiv. 19), zelus et fortitudo in populo Dei propugnando egregia, vocatur *spiritus Dei*. De Saule, cum nuntiaretur illi Ammonitarum in homines ex Jabes Gilead contumelia, dictum est (1 Sam. ii. 6) quod *insiluit spiritus Domini in Saulem, cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis*. Intelligi autem hoc loco phantasma, verisimile non est ; sed zelum ingentem crudelitatem Ammonitarum puniendi. Similiter, per *spiritum Dei*, qui venerat super Saulem, cum prophetis intererat canticis et musica laudans Deum, (1 Sam. xix. 23), non spectrum intelligitur, sed subitus et improvisus Dei colendi zelus.

Interrogat (1 Reg. xxii. 24) Michaiam pseudo-propheta Zedekias : *Mene ergo dimisit spiritus Domini, et loquutus est tibi ?* Intelligi autem hoc de phantasmate non potest, quia Michaias eventum prælii non ab *inspiratione*, sed a *visione* prophetaerat.

CAP. XXXIV

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.



CAP. XXXIV. Etiam in libris prophetarum, qui per *spiritum Dei*, id est, per donum Dei speciale prophetabant, præscientia, quam habuerunt rerum futurarum, non a substantia aliqua incorporea sibi infusa, sed a *somnio* vel *visione* supernaturali profecta est.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

Legimus (Gen. ii. 7) : *Fecit Deus hominem ex pulvere terræ, et spiravit in nares ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* ; ubi per *spiraculum vitæ* significatur hoc tantum, Deum illi dedisse vitam. Et Job xxvii. 3 : *quamdiu spiritus Dei est in naribus meis*, significat, *quamdiu vixero* ; et Ezech. i. 20 : *spiritus vitæ erat in rotis*, id est, rotæ viventes erant ; et Ezech. ii. 2 : *et ingressus est in me spiritus, postquam loquutus est mihi, et statuit me super pedes meos*, id est, recepi robur vitale, non quod ingressa sit in illum, incorporea aliqua substantia.

Num. xi. 17 : *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris* ; nempe septuaginta senioribus. Tunc vero duo ex illis septuaginta in castris dicuntur prophetasse ; quod cum Joshua Mosi narrasset, monuissetque ne permetteret, Moses non consensit. Constat hinc nesciisse Josuam, quod per auctoritatem Mosis prophetarent. *Spiritus* ergo hoc loco, pro auctoritate ponitur. Eodem sensu legitur Deut. xxxiv. 9 : *Joshua vero, filius Nun, repletus est spiritu sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas ; et obedierunt ei filii Israel*. Accepit enim Joshua a Mose auctoritatem regendi, post seipsum, populum Israeliticum.

Rom. viii. 9 : *Nisi quis spiritum Christi habeat, non est ejus* : ubi non intelligitur phantasma Christi, sed doctrina Christiana. Item 1 Johan. iv. 2 : *In*

*hoc cognoscitur spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Spiritus* hoc loco significat fidem Christianam, sive confessionem non fictam articuli hujus, *Jesus est Christus* ; non substantiam incorpoream.

CAP. XXXIV.  
De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

Verba illa, (Luc. iv. 1), *Jesus plenus spiritu sancto*, pro zelo perficiendi opus quod ipsi a Patre suo mandatum erat, intelligere facile est ; sed de Christo dicere, quod plenus erat substantia incorporea, duriusculum est. Spiritus hactenus non substantiam incorpoream, sed vel substantiam proprie dictam et realem, vel significat metaphorice gratiam aliquam excellentem.

Discipuli Christi, cum illum viderent (Matth. xiv. 26, et Marc. vi. 49) ambulans super mare, dixerunt spiritum esse ; non quod eum phantasma esse existimarent ; dictum enim est, quod viderunt illum omnes ; id quod a natura phantasmatum alienum est. Potuerant tamen forte credere, quod esset ex aere compactum corpus. Quod de illis quoque dici potest, qui Petrum, e carcere a Deo liberatum, (Act xii. 15) dixerunt esse *Angelum ejus*. Nam de substantiis incorporeis in scripturis Judæorum mentio omnino nulla est ; sed tota illa doctrina a philosophis Græcis originem ducit. Negandum tamen non est, quin apparitiones aliquæ substantiales esse possint ; (quid enim est quod Deus perficere non possit?) neque quin sint, quoties eorum opera Deus utitur, angeli. Habent tamen dimensiones, et siquidem finiti sunt, locum implent et moveri possunt ; sed non incorporei, id est, non sunt *nullibi*, nec cum videantur esse *aliquid*, sunt *nihil*.

*Angelus*, vox Græca, apud scriptores, tam sacros quam prophanos, significat nuncium ; in Scripturis

CAP. XXXIV. autem Sacris, plerumque *nuncium a Deo*. Nuncius autem a Deo, est omne id, per quod Deus supernaturaliter præsentiam sive potentiam ejus extraordinariam manifestam facit, præcipue vero in somniis et visionibus.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, in-spiratio.

De creatione angelorum in Scripturis Sacris disertis verbis nihil traditur. Scriptores igitur ecclesiastici de natura angelorum dissentiunt. Veterum autem Patrum aliquot eminentissimi corporeos eos esse putaverunt; alii nonnulli incorporeos. Vocantur passim in Scripturis spiritus. Sed spiritus, tum a scriptoribus Judæis tum Græcis, modo corpora subtilia, ut aer, ventus, spiritusque animalium; modo phantasmata existimantur, quæ nec realia sunt, nec diutius permanent quam somnium et visio in qua apparent. Quæ phantasmata sive apparitiones, etsi substantiæ non sint, sed accidentia organorum sentiendi; quando tamen a Deo, ad voluntatem suam significandam, supernaturaliter producuntur, non improprie nuncii a Deo, id est, angeli appellantur.

Et sicut gentes phantasmata somniantium substantias reales esse existimaverunt, et inde doctrinam suam de bonis et malis dæmonibus deduxerunt: ita etiam Judæi, sine Veteris Testamenti autoritate, tenuerunt fere omnes, exceptis Sadducæis, apparitiones illas esse angelos, nec dependere omnino a phantasia, sed esse Dei creaturas permanentes; et, ut Græci, alios eorum bonos esse, et angelos Dei; alios malos, qualis erat spiritus Python, et spiritus hominis mente capti vel lunatici, et epileptici. Nam hujusmodi homines apud Judæos habebantur pro dæmoniacis.

Si loca Testamenti Veteris, ubi angelorum mentio

fit, consideremus, inveniemus, plerumque si non semper, per *angelum* ideam aliquam in phantasia excitatam a Deo, ad significandam præsentiam divinam in operatione ejus aliqua supernaturali, denotari.

## CAP. XXXIV.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

Legimus (Gen. xvi.), apparitionem unam et eandem et *angelum* vocari, et *Deum*. Nam, (vers. 7), *angelus Domini* vocatur; sed, (vers. 10), dicit idem angelus ad Agar: *semen tuum multiplicabo valde*; quæ verba dici nisi a Deo non possunt. Constat ergo *angelum* nihil aliud hoc loco significare præter apparitionem divinam, per vocem a cælo præsentiam Dei testantem extraordinariam. Angeli, qui apparuerunt Lot, et vocantur, (Gen. xix. 10), *viri*; et quibus, cum essent duo, loquitur Lot ut ad unum, et (vers. 18) appellat *Dominum*; imagines erant in phantasia ejus formatæ a Deo, non minus quam apparitio vocatur angelus, quæ facta est ad Agar per *voce*m. Angelus, qui apparuit Abrahamo, (Gen. xxii. 11), sacrificaturo filium suum Isaac, vox erat; attamen satis proprie angelus appellatus est, ut qua nunciatum est illi ne filium interficeret. Angeli, quos vidit Jacob ascendentes et descendentes de cælo per scalam, (Gen. xxviii. 12), in somno apparuerunt; fuerunt ergo somnium et phantasma: quia tamen supernaturalia erant et signa præsentia divinæ, etiam angeli. Idem intelligitur, ubi Jacob (Gen. xxxi. 11) sic dicit, *Angelus Domini apparuit mihi in somno*. Illum autem, quem hoc loco Jacob appellat *angelum*, ipse se appellat *Deum*, dicens (vers. 13), *Ego sum Deus Bethel*. Nec tamen hinc colligendum est Deum aut a somniantibus aut a vigilantibus videri posse.

Exod. xiv. 19, angelus, qui exercitum Israeliti-

CAP. XXXIV. cum per Mare Rubrum primo anteivit, et mox sequutus est, dicitur (vers. 24), *Dominus* ipse, apparuitque non in forma humana, sed (Exod. xiii. 21) in forma *columnæ*, interdium quidem *nubes*, noctu autem *ignis*. Apparitio tamen hæc angelus erat, quem Deus (Exod. xxxiii. 2) Mosi promisit conducendo exercitui; eademque (Exod. xxxiii. 9.) descendisse dicitur, et stetisse ante ostium tabernaculi, et cum Mose colloquuta esse. Itaque motus et sermo, qui angelis attribui solent, etiam *nubi*, quando præsentia divina signum est *nubes*, attribuuntur; angelusque erat *nubes*, non minus quam si visus esset in specie formosi pueri, vel alatus, ut pingi solent angeli. Non enim forma, sed usus facit angelum. Usus autem eorum est, ut præsentiam divinam in divinis operibus hominibus significent.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

Moses rogaverat Deum, ut castra Israelitarum comitaretur, ita ut ante vituli aurei adorationem semper comitatus erat; et illi (Exod. xxxiii. 14) respondit Deus, *præsentia mea comitabitur te*; non dixit, *mittam angelum*. Sed cum instaret Moses, promisit illi Deus se missurum qui exercitum duceret; et postquam tabernaculum juxta præceptum Domini instruxerat Moses, misit Deus super tabernaculum *nubem*, qua manente manerent, et decedente castra moverent Israelitæ.

Loca Veteris Testamenti, ubi nominatur angelus, omnia percurrere longum esset. Dico ergo summam, textum in Testamento Vetere nullum esse, ex quo inferri potest, quicquam sub nomine *spiritus* aut *angeli* significari, quod non haberet quantitatem, aut quod ab intellectu considerari non posset per partes, ita ut pars ejus una sit in uno loco, et

pars proxima in loco proximo, et denique quod non sit corpus, prout corpus significat aliquid reale et alicubi existens. Ubicunque autem angelus in Scripturis legitur, ut *nuncius* perspicue intelligitur. Itaque Johannes Baptista appellatur *angelus*; Christus vocatur *Angelus Testamenti*. Neque dubito quin, secundum hanc analogiam, Columba, et linguæ igneæ in Evangelio, cum signa essent divinæ præsentia, possent nec improprie vocari *angeli*. Quod legimus (Dan. viii. 16. et xii. 1) nomina angelorum Gabrielem et Michaellem, visio erat; dicit enim Gabriel, *fac ut intelligat is visionem hanc*. Deus enim opus non habet ut servos suos cœlestes distinguat nominibus; quæ ad memorias mortalium adjuvandas inventa sunt.

Neque in Testamento Novo locus ullus invenitur, unde probari possit, angelos res esse permanentes et simul incorporeas. Quod quidem angeli aliqui substantiæ sint et permanentes, colligi potest ex verbis Servatoris nostri (Matth. xxv. 41): *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*; qui locus si malorum angelorum permanentiam probat, corporeitatem una probat. Ignis enim rerum incorporearum, id est, impatibilium, pœna non est. 1 Cor. vi. 3: *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* 2 Petr. ii. 4: *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari*. Jud. i. 6: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*. Quæ verba etsi naturam angelicam permanentem esse evincunt, materialitatem simul probant. Item Matth.

CAP. XXXIV.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

CAP. XXXIV. xxii. 30 : *In resurrectione neque nubent, neque nubentur ; sed erunt sicut angeli Dei in cœlis ; unde colligitur, quod sicut homines, ita quoque angeli in resurrectione erunt non incorporei, sed permanentes. Angeli itaque neque ex Veteri neque ex Novo Testamento probantur esse incorporei.*

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

Significatio vocis *inspiratio* dependet a voce *spiritus*. Significat autem proprie inflationem corporis alicujus subtilis, ut aeris, in locum aliquem ubi ante non erat ; eo modo quo quis spirando vesicam inflat ; id quod de rebus incorporeis intelligi non potest. Vox ergo *inspiratio* in Scripturis Sacris metaphoricè tantum usurpatur : ut (Genes. ii. 7) ubi Deus dicitur inspirasse in Adamum spiraculum vitæ, per *inspirationem* intelligitur *vivificatio*. Et 2 Timoth. iii. 16 : *omnis Scriptura data est per inspirationem divinam* : idem est ac si dixisset, Deus spiritus sive animos prophetarum per suam gratiam disposuit ad scribendum, quæ utilia futura essent ad doctrinam, reprehensionem, correctionem, et instructionem in via ad salutem. Ubi autem S. Petrus (2 Petr. i. 21) sic dicit : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines* : per spiritum sanctum intelligit vocem Dei in somnio vel visione supernaturali ; sic enim loquutus est Deus ad prophetas, non autem spirando. Item quando Servator noster spiravit in discipulos suos, dicens (Joahn. xx. 22) : *accipite Spiritum Sanctum* ; non voluit halitum suum, sed divinam gratiam intelligi. Item Servator noster ipse, quando dicitur plenus Spiritu sancto, non intelligitur substantiam divinam eo tempore infusam esse ; nam Deus erat Christus ab æterno ; sed divinas gratias in huma-

nitatem ejus accumulatas. Postremo, cum dicit Deus (Joel ii. 28): *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt*: non intelligit juxta sensum literalem spiritum effundi posse quasi aquam, sed intelligit ipsa somnia et visiones supernaturales.

CAP. XXXIV.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio.

Inspirationem igitur intelligere, tanquam spiritus Dei in illos intraret proprie dictus, per quem prophetarent, vel spiritus mali intrarent in phreneticos, lunaticos, vel epilepticos; non est verbo illo uti secundum sensum Scripturæ Sacrae. Nam spiritus Dei pro gratia sive potentia Dei sumitur, operantis per modum nobis ignotum. Etiam (Act. ii. 2) ventus, qui dicitur domum illam implese ubi congregati erant Apostoli in die Pentecostes, non ita intelligendus est, ac si Spiritus Sanctus, id est, substantia divina ipsa, ventus esset, sed pro signo externo præsentia divinae, efficientis in illis virtutes illas sacras, quæ ad functionem apostolicam erant necessariae.

---

### CAPUT XXXV.

DE SIGNIFICATIONE IN SCRIPTURIS SACRIS VOCABULORUM  
REGNUM DEI, SANCTUM, SACRUM, ET SACRAMENTUM.

*Regnum Dei* in scriptis theologorum, præsertim in concionibus et libris devotionum, sumitur pro felicitate æterna, qua post hanc vitam electi in summo cælo fruituri sunt; quod *regnum gloriæ* vocant. Sumitur etiam pro felicitatis hujus arrabone, nempe gratia sanctificante, quod appellant *regnum gratiæ*. Sed pro monarchia civili proprie dicta, id est, pro summa potestate super cives per



CAP. XXXV. ipsorum suffragia acquisita, quæ est significatio regni, nunquam sumitur. Contra in Scripturis Sacris invenio *regnum Dei* ubique fere significare *regnum proprie dictum*, nempe regnum quod constitutum est consensu populi Israelitici, qui Deum in regem sibi pacto elegerunt. Pactum autem erat hoc, quod Deus Israelitis traderet terram Canaan in possessionem æternam; et quod populus Deo obediret. Ab ipsa creatione mundi Deus in omnes homines regnavit non modo *naturaliter* sive jure omnipotentia, sed etiam in quosdam homines quibus voce imperavit. Sic regnavit super Adamum, imperans (Gen. ii. 17) ne comederet de arbore cognitionis boni et mali, et puniens eum cum imperatum ejus transgressus esset, nempe, cum arrogasset sibi judicare de bono et malo, non per Creatoris sui mandatum, sed per suum ipsius sensum; privavit enim illum vita æterna, quam habere potuit propter arborem vitæ.

De significatione in Scripturis Sacris vocabulorum regnum Dei, sanctum, sacram, et sacramentum.

Rursus, regnavit Deus in Noah et familiam ejus; qui quanquam octo tantum essent personæ, erant tamen *regnum Dei* proprie dictum.

Postea alloquutus est Deus Abrahamum, fecitque (Gen. xvii. 7, 8) cum illo pactum in hæc verba: *Statuam pactum meum inter me et te, et inter seminum tuorum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, et seminis tui post te: daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ, et omnem terram Canaan in possessionem æternam.* Abrahamus in hoc pacto promittit, pro se et posteritate sua, Deo obedire illi, qui ipsum alloquutus est. Ex altera parte, paciscitur Deus dare Abrahamo terram Canaan in possessionem æternam. Pro monumento autem pacti hujus

(vers. 11) instituit Deus sacramentum circumcisionis. Atque hoc illud est, quod vocatur pactum et Testamentum Vetus. Quanquam autem nomen *regis* in eo pacto non sit, res tamen manifeste apparet. Etiam nomen *regni* expresse ponitur in pacto hoc, ministrante Mose postea renovato. Sacramentum autem circumcisionis aliud non erat, quam sacramentum fidelitatis, ut nunc sub Testamentum Novum est baptismus.

CAP. XXXV.

De significatione  
in Scripturis Sa-  
cris vocabulo-  
rum regnum Dei,  
sanctum, sacrum,  
et sacramentum.

Pactum ad montem Sinai cum Mose renovatum (Exod. xix. 5, 6) tale est : *Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis ; mea est enim omnis terra : et vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta.* Idem narratur, Tit. ii. 14 ; ubi dicitur Christum dedisse se pro nobis, ut purificaret sibi nos in populum *περιούσιον*, id est, peculiarem, id est, (ut sequitur Exod. xix.), *non sicut gentes aliæ meæ sunt.* Cæteræ enim gentes potentiæ quidem divinæ subditæ erant per naturam, non autem per consensum et pactum, sicut Israelitæ. Dicitur autem in textu prædicto *regnum sacerdotale*, et I Petr. ii. 9 : *sacerdotium regale*, propterea quod summam potestatem post Deum habuere in illo regno summi sacerdotes. Manifestum ergo est *regnum Dei* usque ad Samuelem fuisse regnum proprie dictum. Nec dissentire videntur potestatis pontificiæ propugnatores, qui argumenta sua pro potestate Papæ pleraque deducunt ab exemplo summorum sacerdotum populi Israelitici. Rursus, idem confirmatur ab eo, quod populum suum appellat gentem sanctam. *Sanctum* enim significat, id quod Dei est jure speciali. Dei est omnis terra, sed non omnis terra *sancta* dicitur, sed ea sola quæ se-

CAP. XXXV. paratur et consecratur ad usum divinum specialiter.

De significatione  
in Scripturis Sa-  
cris vocabulo-  
rum regnum Dei,  
sanctum, sacrum,  
et sacramentum.

*Regnum Dei* et *civitas Dei* idem significant; nec modo leges ceremoniales et cultum divinum apud Israelitas ordinavit Deus, sed etiam leges civiles, quibus scirent Israelitæ officia sua erga se invicem.

Rursus, (1 Sam. xii. 12) alloquitur Samuel populum, dicens: *Videntes quod Naas, rex filiorum Ammon, venisset adversum vos, dixistis mihi: nequaquam, sed rex imperabit nobis; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Unde constat eorum regem proprie dictum fuisse Deum.

De loco regni Dei loquitur Isaias (xxiv. 23): *Eru- bescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in Monte Sion et in Jerusa- lem,* id est, super terram. Et Michaeas (iv. 7): *Et Dominus regnabit super illos in Monte Sion,* id est, in terra. Et Ezechiel (xx. 33:) *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quod in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso, regnabo super vos:* et (vers. 37): *Subjiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vinculis fæderis,* id est, faciam ut stetis pacto quod pepegistis mecum per Mosem.

Etiam in Testamento Novo de Servatore nostro dicit angelus Gabriel (Luc. i. 32, 33): *Erit magnus, et filius altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Regnavit autem David in terra. Adde, quod eo nomine ad mortem condemnatus sit, quod regnum Judæorum postulaverit sibi, et ut inimicus Cæsaris; quod titulum in cruce ejus scripserit Pilatus, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum;* quod corona ex spinis per ludibrium coronatus sit; quodque discipuli ejus (Act. xvii. 6, 7) in crimen vocati sint a populo clamante: *Hi, qui orbem con-*

*citant, huc venerunt, quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentis esse Jesum.* Regnum ergo Dei in Scripturis, propria, non metaphorica significatione dicitur. Idque agnoscunt, quicumque in oratione Dominica dicunt: *tuum est regnum, potentia, et gloria.* Idem confirmatur a prædicatione Apostolorum, *appropinquat regnum cælorum*; et ab omnibus Christianis precantibus, *adveniat regnum tuum.*

CAP. XXXV.

De significatione in Scripturis Sacris vocabulorum regnum Dei, sanctum, sacrum, et sacramentum.

Idem confirmantia loca Scripturæ Sacræ adeo multa sunt, ut quod interpretatio contraria recipe-  
retur mirandum esset, nisi regibus Christianis, ut jura sua in regenda ecclesia perspicerent, lucem nimiam præferrent.

Concludimus ergo regnum Dei regnum esse civile; primum in populo Israelitico, ubi a Mose leges civiles receperunt; et proregem Dei primum fuisse Mosem, et post eum summos sacerdotes singulos, usque ad tempus electionis regis Saul, quando abolitum est; et quod prædixerunt Prophetæ restituendum esse; et quam restitutionem a Deo rogamus, quoties dicimus in oratione Dominica, *adveniat regnum tuum*; et cujus jus agnoscimus dicendo, *tuum est regnum, potentia, et gloria in secula seculorum*; et cujus promulgatio facta est ab Apostolis; et ad quod præparandi sunt homines per Evangelii prædicationem. Item, regnum Dei, propter divini throni celsitudinem dictum regnum cæleste, si a proregibus et vicariis suis administrandum non esset in terris, tanta contentio, tum scriptis tum bello, quantam videmus, de quæstione per quem Deus nos alloquitur, non fuisset; neque tantum curarum sibi dedissent sacerdotes circa juris-

CAP. XXXV. dictionem spiritualem, quantum prætendunt ; neque jurisdictionem in cœlo rex quisquam illis indidisset.

De significatione in Scripturis Sacris vocabulorum regnum Dei, sanctum, sacrum, et sacramentum.

Ab hac interpretatione secundum literam vocabuli *regnum Dei*, manifesta fit significatio vocabuli *sanctum*. *Sanctum* enim, in regno Dei, respondet vocabulo *publicum*, in civitatibus humanis.

Rex in omni civitate est persona *publica* ; in civitate Dei, appellatus est Deus *sanctus* Israelis. Populus ubique civitatis, populus est ejus, qui personam gerit publicam ; Israelitæ autem, nempe populus Dei dicuntur (Exod. xix. 6) *Gens sancta*. Nihil enim in Scripturis Sacris sanctum dicitur, præter id quod Dei est peculiariter, vel ipsum Deum ; sicut publicum semper est vel civitatis ipsius persona, vel aliquid quod illius est ita proprium, ut nemo privatus in eandem rem jus ullum habeat.

Itaque Sabbathum, dies Dei, est *dies sanctus* ; templum Dei, quod est Dei domus, *domus sancta* ; sacrificia, decimæ, et oblationes, quæ sunt vectigalia Dei, *officia sancta* ; sacerdotes, prophetæ, reges uncti, (ministri Dei), *viri sancti* ; spiritus cœlestes, qui Deo ministrant, (Dei nuncii), *Angeli sancti*. Ubicunque denique vox *sanctum* proprie sumitur, ibi significatur aliquid quod Dei est proprium.

Vox *profanum* in Scriptura Sacra sumitur pro eo quod est *commune* ; et per consequens, *sanctum* et *proprium* in regno Dei idem sunt. Metaphorice autem, sancti vocantur etiam viri devoti, qui rebus mundanis renunciantes, Deo se totos dedicaverunt. *Sanctificari* autem dicitur, quod dedicando vel consecrando servitio divino, sanctum factum est ; ut septimus dies, in præcepto Decalogi quarto : et ut electi, in Testamento Novo, quando, præditi spiritu

pietatis, dicuntur *sanctificari*. *Sacrum* autem est, quod Deo ab hominibus datum et dedicatum, sive sanctum factum est, ita ut in solo cultu divino utendum sit; qualia sunt templa, aliæque domus orationis, una cum utensilibus, ministris, victimis, et oblationibus.

CAP. XXXV.

De significatione in Scripturis Sacris vocabulorum regnum Dei, sanctum, sacrum, et sacramentum.

*Sanctitatis* gradus sunt. Earum enim rerum, quæ ad usum divini cultus separantur, aliquæ separari rursus possunt ad servitium vel cultum magis specialem. Tota gens Israelitarum gens sancta erat; erat tamen inter Israelitas tribus Levi speciatim tribus sancta; et inter Levitas sanctiores cæteris erant sacerdotes; et inter sacerdotes sanctissimus erat sacerdos summus. Terra Judæorum erat terra sancta, sed urbs, in qua colendus erat Deus, magis sancta erat; et urbe sanctius erat templum; et templo sanctior ea pars, quæ appellabatur *sanctum sanctorum*.

*Sacramentum* est, quod a communi usu separatum Deo consecratur, in signum admissionis in regnum Dei, (quæ est quasi naturalizatio, sive juris civitatis acquisitio), vel in memoriam tanti beneficii institutum. In Vetere Testamento signum *admissionis* erat *circumcisio*; in Testamento Novo, *baptismus*. *Commemoratio* in Vetere Testamento erat *agni paschalis* esus, per quem renovabatur noctis illius memoria, in qua liberati erant a servitute Ægyptiaca; in Testamento Novo, celebratio *cœnæ Dominicæ*, in qua memoratur liberatio nostra per mortem in cruce Servatoris nostri a servitute peccati. Sacramentum admissionis semel tantum fit, propterea quod semel tantum admittimur. Sed quoniam beneficium Dei in hominibus servandis, et debitum nostrum fidelitatis, opus habet ut sæpe in-

CAP. XXXV. culcetur, sacramentum commemorationis sæpius re-  
 petendum est. Atque hæc duo sacramenta præ-  
 cipua sunt, et quasi juramenta solennia fidelitatis  
 nostræ erga Deum nostrum regem et redemptorem.  
 Actio quidem consecrandi omnis sacramentum dici  
 potest; sed sacramentum, id est, juramentum fide-  
 litatis in civitate Dei, aliud nullum erat in Vetere  
 Testamento præter *circumcisionem* et *pascham*;  
 neque in Novo Testamento, præter *baptismum* et  
*cænam Dominicam*.

De significatione  
 in Scripturis Sa-  
 cris vocabulo-  
 rum regnum Dei,  
 sanctum, sacrum,  
 et sacramentum.

---

## CAPUT XXXVI.

### DE VERBO DEI ET PROPHETIS.

QUANDO in Scripturis Sacris reperitur *verbum Dei*,  
 vel *verbum hominis*, non intelligendum est pro parte  
 orationis ut sumitur *verbum* apud grammaticos; sed  
 pro sermone perfecto, significante aliquid; ut quan-  
 do is, qui loquitur, *affirmat, negat, jubet, promit-  
 tit, minatur, optat, vel interrogat*. In quo sensu  
*verbum* non est vocabulum, sed sermo, Græce λόγος.

Rursus, *verbum Dei* vel *hominis* intelligitur ali-  
 quando pro eo, quod Deus vel homo loquutus est;  
 sic Evangelium Matthæi, *verbum* est Matthæi; ali-  
 quando pro eo, de quo loquutus est; atque hoc  
 sensu, ubi legimus in Vetere Testamento, *verba  
 dierum regum Israelis*, intelligenda sunt res illis  
 diebus gestæ, quæ verborum illorum subjectum  
 erant.

In Testamento Novo Græce scripto, *verbum Dei*  
 sæpe ponitur, non pro eo quod loquutus est Deus,  
 sed pro eo quod de Deo et de regno ejus, id est,  
 pro doctrina Christiana dictum est.

In hoc autem sensu idem significant  $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$  Θεοῦ CAP. XXXVI. et theologia, ut manifestum est Actor. xiii. 46 : *Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt, vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Id, quod appellatur hic *verbum Dei*, doctrina erat Christiana. Item (Actor. v. 20) ubi Angelus Apostolos alloquitur dicens, *Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus: verba hujus vitæ* significant doctrinam evangelicam; ut patet ex eo, quod versu ultimo fecisse dicuntur, nempe, *omni autem die non cessabant in templo docentes et prædicantes Jesum Christum.* Christus itaque subjectum erat verbi vitæ. Porro, Actor. xv. 7, *verbum Dei* appellatur *verbum Evangelii*, quia continet doctrinam de regno Christi. Idem verbum, Rom. x. 8, 9, vocatur *verbum fidei*, id est, ut ibi explicatur doctrina de Christo venturo et a mortuis suscitato. Et Matth. xiii. 19, appellatur idem *verbum regni*, id est, doctrina quam docuit Deus circa regnum Dei. Idem denique verbum (Actor. xii. 24) crevisse et multiplicatum esse dicitur: id quod de doctrina Evangelica intelligere facile est, sed de voce Dei difficilimum. Etiam ubi Sanctus Paulus (1 Tim. iv. 1) loquitur de *doctrina dæmonum*, non intelligit id quod dictum est de dæmone aliquo, sed dæmonologiam gentium.

Ex his duabus *verbi Dei* significationibus, posterior, ubi sumitur pro doctrina Christiana, continet Scripturam Sacram totam: prior, non item. Quamquam enim verba hæc, *Ego sum Dominus Deus tuus* etc. usque ad finem Decalogi, verba sunt ipsius Dei Mosem alloquentis; præfatio tamen illa, *loquutus*

De verbo Dei,  
et Prophetis.



CAP. XXXVI. *est Dominus cunctos sermones hos, sunt verba ejus, qui historiam conscripserat. Verbum Dei, quando sumitur pro eo quod loquutus est Deus, significationem habet interdum propriam, interdum tropicam: propriam, ut verba quæ loquutus est ad Prophetas suos: tropicam, quando ponitur verbum pro sapientia vel potentia Dei, vel pro decreto ejus æterno de condendo mundo. Atque hoc sensu, verbum Dei est fiat lumen, fiat firmamentum, faciamus hominem. Eodem sensu Joh. i. 3, de verbo Dei dictum est: omnia per illud facta sunt, et sine illo factum est nihil eorum quæ facta sunt. Et Heb. i. 2, 3: per quem fecit secula, et portat omnia verbo virtutis suæ. Et Hebr. xi. 3: fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Verbum autem, hoc sensu, verborum omnium, quæ Deus loquutus est, est primum, ut in ipso principio mundi pronuntiatum. Etiam Latini ethnici vocabulo fatum in eodem sensu usi sunt.*

Sumitur etiam sæpissime in Scripturis Sacris *verbum* pro verbi effectu vel eventu, id est, pro eo quod verbo affirmatur, imperatur, vel promittitur; ut (Psal. civ. 19) ubi Joseph dicitur in carcere retentus, *donec verbum ejus veniret*, id est, donec factum esset quod prædixerat Pharaonis pincernæ circa restitutionem ejus in ministerium suum. Item (1 Reg. xviii. 36) dicit Elijah Deo: *feci omnia verba tua*, pro feci omnia quæ jussisti. Et Jer. xvii. 15: *ubi est verbum Domini*, ponitur pro, ubi est malum quod minatus est Dominus. Et Ezech. xii. 28: *Et quodcunque loquutus fuero verbum, fiet; non prolongabitur amplius: verba* ponuntur pro factis, quæ facere populo promiserat. Etiam in Testamento Novo, (Matth. xxiv. 35), *cæli et*

*terra transibunt, sed mea verba non transibunt,* CAP. XXXVI.  
 id est, quicquid promisi fiet. Item Johannes Evan-  
 gelista (Joh. i. 1), in hoc sensu, *verbum Dei* appel-  
 lat ipsum Christum, et paulo post, *verbum factum*  
*est caro.* *Christus* enim a principio promissus  
 est, (Gen. i.), *eratque in principio apud Deum,*  
 nempe venturum illum ab æterno decreverat Deus,  
 et assumpturum carnem humanam. Itaque Serva-  
 tor noster eo loco appellatur *verbum*, non quia  
 Christus esset *promissio*, sed *res promissa.* *Ver-*  
*bum* hoc idem Johannes, in Epistola prima (i. 1, 2),  
 appellat *verbum vitæ*, et *vitam æternam quæ erat*  
*apud Patrem*; et in Apocalypsi xix. 13, *nomen*  
*ejus est verbum Dei*, quasi diceret, hic est quem  
 venturum esse Deus ab æterno decreverat, et in  
 principio mundi promiserat. Nilil ergo hic dici-  
 tur de incarnatione vel promissione vocis aut soni,  
 sed de incarnatione ipsius *Dei filii.*

De verbo Dei,  
 et Prophetia.

Sunt etiam loca nonnulla in Scriptura Sacra, ubi  
*verbum Dei* ponitur pro verbis æquitatis et rati-  
 onis, etsi neque a propheta prolata, neque a viro  
 sancto. Nam *Pharaoh Nechao idolatra* erat;  
 quando tamen nuntio misso Josiam monuit, ne sibi  
 invadenti Carchemish opponeret, verba ejus pro-  
 fecta esse dicuntur ab ore Dei; etiam Josias, quia  
 verbis illis non obedivit, prælio occisus est, ut  
 legere est 2 Chron. xxxv. 21, 22, 23.

*Verbum Dei* aliquando etiam sumitur pro dicta-  
 mine rectæ rationis; ut quando in cordibus homi-  
 num scriptum dicitur, ut Psal. xxxvi. 31: Jerem.  
 xxxi. 33; et multis aliis locis.

Vox *propheta* in Scripturis Sacris significat ali-  
 quando *prolocutorem*, id est, illum qui alloquitur  
 homines, ut missus a Deo; vel Deum alloquitur

CAP. XXXVI. ab homine. Significat etiam aliquando eum, qui futura prædicit. Aliquando etiam illum, qui, ut mente captus, loquitur verba incohærentia. Sæpissime autem ponitur pro eo, qui in nomine Dei alloquitur populum. Quo sensu Moses, Samuel, Elijah, Isaiâh, Jeremiah, alique prophetæ erant. Etiam in hoc sensu summus sacerdos propheta erat, ut Joh. xi. 51 : *hoc autem, Caiphâs, a semetipso non dixit ; sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Etiam qui populum in ecclesiis Christianis docuerunt, (1 Cor. xiv. 3), dicuntur prophetasse. Eodem sensu ad Mosem dicit Deus (Exod. iv. 16) de Aarone, *erit tibi pro prolocutore ad populum ; eritque tibi instar oris, et eris ei tu instar Dei.* Et (Exod. vii. 1) : *ecce feci te Pharaoni Deum, et frater tuus Aaron erit propheta tuus.* Abrahamus autem ideo propheta dicitur, (Gen. xx. 7), quia loquutus est pro homine ad Deum. Deus enim Abimelecum in somnio alloquens dicit, *nunc ergo restitue homini uxorem suam ; nam est propheta, et orabit pro te.* Intelligi hinc potest illos, qui in ecclesiis Christianis ad officium vocati sunt publice precandi, non improprie prophetas dici. Prophetæ etiam erant, quibus immiscuit se Saul, 1 Sam. x. 5, 6. Eodem sensu Miriam (Exod. xv. 20) dicitur *prophetissa.* Ita quoque sumi debet (1 Cor. xi. 4, 5), ubi dicit S. Paulus, *unusquisque qui precatur vel prophetat capite aperto,* etc. Prophetia enim aliud non significat eo loco præterquam Psalmis et Cantilenis sacris laudare Deum ; id quod facere in ecclesiis etiam feminis licuit.

*Prophetia,* quatenus sumitur pro prædictione futurorum contingentium, non solum veris prophetis, sed etiam aliquando impostoribus attribuitur, qui

prædicere se futura dicunt per spiritus et per divinationem superstitiosam, idque multis modis, ut supra (cap. XII) speciatim diximus. Atque hi existimationem prophetiæ majorem per unum aliquem eventum fortuito prædictum sibi acquirunt, quam quæ innumeris prædictionibus rerum quæ non evenerunt, potest tolli. *Prophetia* non est ars, neque, ut sumitur pro prædictione, negotium constans, sed onus temporarium atque extraordinarium impositum a Deo, plerumque viris bonis, sed interdum etiam malis. Mulier illa ab Endor, quæ dicta est suscitasse phantasma Samuelis per spiritum familiarem, prædixitque mortem Saulis, non ob eam rem prophetissa erat. Neque enim scientiam aliquam habuit, per quam id potuit facere, neque apparet jussu Dei factum esse, etsi imposturam illam ita rexit Deus, ut Saul, inde territus debilitatusque animo, prælio victus caderet. Etiam sermones incohærentes apud gentes habebantur pro *prophetia*. Prophetæ enim oraculorum suorum, tunc prophetabant, quando vapor aliquis animos eorum expulerat, ita ut verba quidem protulerint inter se incohærentia, et ex quibus, ut ex *materia prima*, fieri posset quicquid quisque vellet.

Quanquam autem in Scripturis Sacris vocabuli *propheta* tot sint significationes, frequentissima tamen ea est, in qua sumitur pro eo cui Deus illud immediate loquutus est, quod is homini vel hominibus loquutus erat. Sed quomodo, dicit aliquis, proprie dici potest loquutum esse Deum, qui linguam aliaque organa loquendi non habet, sicut homo? Quid autem? *Qui fecit oculum*, dicit David, (Psal. xciii. 9) *non videbit? Is, qui fecit aurem, non audiet?* Etsi nec videt nec audit Deus ut

CAP. XXXVI.

De verbo Dei,  
et Prophetis.

## CAP. XXXVI.

De verbo Dei  
et prophetis.

homo, scit tamen quæ dicimus et facimus. Cæterum verba illa Davidis non ponuntur ad naturæ divinæ declarationem, sed ad voluntatis nostræ in Deo honorando significationem. *Videre* enim et *audire* sunt attributa honoris, et Deo attribui possunt. Sed si in propria et stricta significatione sumerentur, a cæteris etiam partibus corporis humani argumenta similia sumi possent, tribuendi Deo cæteras omnes actiones humanas; quarum plurimæ turpes sunt, et proinde attribuere illas Deo contumelia maxima esset. Itaque vocem Dei ad homines immediatam sumere oportet eo modo, quicumque is sit, per quem facit Deus ut voluntas sua intelligatur. Modi autem, quibus id facit, multi sunt, et in Scripturis Sacris solis reperiundi.

Ad Adamum, Evam, et Cain loquutus est Deus voce supernaturali. Quomodo loquutus est Deus Abrahamo, antequam e patria sua venisset ad Sichem Cananæorum, non dicitur; tunc autem (Gen. xii. 7) dicitur *apparuisse* ei. Unus ergo modus, quo Deus præsentiam declaravit, erat *apparitio* sive *visio*. Rursus, (Gen. xv. 1), verbum Domini venit ad Abrahamum in *visione*, id est, signum aliquod illi apparuit præsentia divini. Deinde Dominus (Gen. xviii. 1) apparuit Abrahamo in visione trium angelorum; et Abimelecho (Gen. xx. 3) in somnio; et ad Lot (Gen. xix. 1) in apparitione duorum angelorum; et ad Hagar (Gen. xxi. 17) in apparitione unius angeli. Iterum ad Abrahamum (Gen. xxii. 11) in *voce* a cælo; et ad Isaac (Gen. xxvi. 24) noctu in *somnio*; et Jacob (Gen. xxviii. 12, et Gen. xxxii. 1) in visione angelorum. Ad Mosem (Exod. iii. 2) in visione flammæ et rubo. Etiam post ævum Mosis, ubi modus divinæ loquu-

tionis immediatæ in Veteri Testamento exprimitur, CAP. XXXVI.  
semper loquutus est per *visionem* vel per *somnium*; De verbo Dei  
et Prophetis.  
ut Gideoni, Samueli, Eliæ, Elishæ, Isaiaë, Ezechieli,  
cæterisque prophetis; et in Novo Testamento, ut  
Josepho, Petro, Paulo, et Johanni Evangelistæ in  
Apocalypsi.

Soli Mosi modo extraordinario loquutus est in  
monte Sinai, et in *Tabernaculo*; et summo sacer-  
doti in *Tabernaculo*; et in *Sancto Sanctorum*.  
Sed Moses, et post eum summi sacerdotes, pro-  
phetæ erant eminentioris gradus quam cæteri, et  
gratiam apud Deum majorem invenerunt. Nam  
Deus ipse de Mose id testatur (Num. xii. 6, 7, 8),  
dicens: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini,  
in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad  
illum: at non talis servus meus Moses, qui in om-  
ni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os  
loquor ei palam, et non per ænigmata et figuras  
Dominum videt: et (Exod. xxxiii. 11), Dominus lo-  
quutus est ad Mosem os ad os, sicut homo loquitur  
ad amicum suum.* Veruntamen Mosem non aliter  
alloquutus est Deus quam per angelum vel angelos;  
ut habetur verbis perspicuis (Act. vii. 38); ubi Ste-  
phanus de Mose loquens, *hic est, inquit, qui fuit  
in ecclesia in solitudine cum angelo qui loque-  
batur ei in monte Sinai.* Gal. iii. 19, ubi Paulus  
de lege dicit: *ordinata erat per angelos in manu  
mediatoris.* Mediator autem ille erat Moses. Quid  
ergo dicendum est de modo quo Deus loquutus est  
Mosi, nisi quod visio erat, sed clarior quam cæteris  
prophetis data est. Deut. xiii. 1: *si surrexerit inter  
vos propheta vel somniator somniorum, vox poste-  
rior interpretatio tantum est prioris.* Joel ii. 28,  
dicit Deus: *Et erit post hæc, effundam de spiritu*

CAP. XXXVI. *meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filia vestra, senes vestri somnia somniant, et juvenes vestri visiones videbunt*; ubi rursus prophetia exponitur per *somnia* et *visiones* et *spiritum*. Item quando Deus Solomoni promisit sapientiam, somnium erat, ut constat ex verbis ipsis, (1 Reg. iii. 15): *evigilavit Solomon, et intellexit quod esset somnium*. Manifestum ergo est prophetas extraordinarios Veteris Testamenti vocem Dei non aliter intellexisse, quam per *somnia* et *visiones*, id est, a phantasiis supernaturalibus. Quæ vocabantur etiam *spiritus Dei*, ut Zach. vii. 12, ubi dicit Deus: *cor suum posuerunt in adamantem, ne audirent legem et verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo sancto per manum prophetarum priorum*.

Prophetarum autem in Veteri Testamento habentium vocationem perpetuam, alii *supremi*, alii *subordinati* erant. Supremorum primus erat Moses, et post eum *summi sacerdotes*, suo quisque tempore, dum sacerdotium regale erat. Postquam autem jugum Dei excusserant Israelitæ, et factum est officium summi sacerdotis ministeriale; quoties consulendus erat Deus, sacerdotes Israelitarum vestimenta sacra induerunt, et consuluerunt Dominum, non suo arbitrio, sed jussu regum, a quibus aliquando etiam sacerdotio privabantur. Nam Saulus (1 Sam. xiii. 9) holocaustum afferri jussit sibi, et (1 Sam. xiv. 18) sacerdoti imperat, ut arcam afferret sibi, et (vers. 19) ne afferret. Etiam in eodem capite, (vers. 37), *consuluit Deum* Saulus. Idem fecit David, postquam unctus fuisset, etsi antequam regnum possedisset; quæsivit enim a Domino (1 Sam. xxiii. 2) utrum pugnaret necne contra

Philistæos in Ceilah. Item (vers. 9) imperavit David sacerdoti ut ephodum apportaret ipsi, ut Dominum consuleret. Præterea rex Solomon (1 Reg. ii. 27), sacerdotium Abiatharo auferens, dedit Zadocho. Moses ergo, summi sacerdotes, et reges pii, qui Deum semper in rebus difficilibus consuluerunt, prophetæ erant supremi. Quod prophetis extraordinariis loquutus sit, dictum est supra. Quomodo autem loquutus est ad prophetas hos vocationis perpetuæ? Si dicamus Deum loquutum esse vel apparuisse eis, prout in sua natura existit, negabimus Deum infinitum, invisibilem, incomprehensibilem esse. Si dicamus loquutum esse per infusionem *Spiritus Sancti*, quatenus Spiritus Sanctus significat divinitatem ipsam, æquabimus Mosem Christo, in quo solo divinitas (Coloss. ii. 9) habitat *corporaliter*. Postremo, si dicamus loquutum Deum esse per *Spiritum Sanctum*, quatenus Spiritus Sanctus significat gratias divinas, nihil illis attribuimus supernaturalis. Homines enim ad pietatem, justitiam, misericordiam, veritatem, fidem, et virtutum genus omne, tum morale tum intellectuale, disponit Deus per doctrinam, exemplum, aliasque vias naturales et quotidianas. Quomodo ergo Deus prophetas perpetuæ vocationis alloquutus est, quando ab illis consulebatur, scriptum non invenio, nisi quod summis sacerdotibus in *Sancto Sanctorum* per vocem ex inter Cherubinos loquutus est; sed vox illa, ut et cætera omnia divinæ præsentia signa, angelus dici potest, quemadmodum somnia et cætera signa supernaturalia.

Prophetis autem vocationis perpetuæ, sed subordinatis, loquutum esse Deum supernaturaliter, in Scripturis nusquam constat, sed naturaliter tantum,



CAP. XXXVI.

De verbo Dei  
et Prophetia.

eo modo quo ad pietatem, fidem, et justitiam disponit Deus quos ad salutem destinavit. Qui modus, etsi consistat in instructione, educatione hominum, vere tamen dici potest Spiritus Sancti operatio; nam inclinatio omnis tum ad sanctitatem tum ad virtutem, a Deo est: quando igitur propheta loqui dicitur per *Spiritum Dei*, intelligere debemus ita illum loqui, ut Deus per prophetam suum summum, cui propheta subordinatus obedire obligatur, loqui illum jussit.

Vivente Mose, præter ipsum in castris Israelitarum septuaginta erant viri, qui prophetaverunt. Quo modo illos Deus alloquutus sit, declaratum est Num. xi. 25; *descendit Dominus per nubem, et loquutus est ad Mosem, auferens de Spiritu qui erat in Mose, et dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Ex quibus verbis manifestum est, primo, prophetationem eorum ad populum subservientem et subordinatam fuisse prophetationi Mosis, per cujus spiritum prophetaverunt, id est, ita ut voluit Moses; quod confirmatur (vers. 27-29) ex eo, quod cum Mosis dixisset Josua, *prohibe illos*, noluit Moses, dicens, *ne æmulare pro me.* Secundo, ex eodem loco colligitur spiritum Dei non aliud ibi significare, præter parendi voluntatem et adjuvandi Mosem in administratione regiminis. De substantia enim divina intelligi non potest, quæ solummodo in Christo habitavit corporaliter. Spiritus ergo ibi significat donum sive gratiam divinam, qua ducti cum Mose cooperabantur, cujus habebant spiritum. Septuaginta enim illi viri electi a Mose ante erant quam spiritum Mosis accepissent. Etiam I Sam. xvi. 13, 14,

*spiritus Dei* eandem habet significationem; ubi ablatum a Saulo in Davidem collatum est, nimirum, quem ad populum suum regendum elegerat Deus, eidem gratiam suam, qua id recte facere posset, impertivit.

CAP. XXXVI.

De verbo Dei  
et Prophetis.

Loquutus Deus est etiam aliquando per sortes; quæ sortes per illos semper ordinabantur, qui summam in populo habuerunt potestatem. Sic manifestam fecit per sortes, quas ordinavit Saulus, (1 Sam. xiv. 42, 43), culpam Jonathani filii Sauli et (Josh. xviii. 10) divisit Deus terram Cananæorum per sortes, quas Josua ordinavit coram Domino in Shiloh. Videtur etiam per sortes fuisse, quod detexit Deus (Josh. xvii. 18) Achani furtum. Atque hi modi sunt, per quos voluntatem suam patefecit Deus in Testamento Veteri.

Iisdem etiam usus est in Testamento Novo. Nam Virgini Mariæ loquutus est (Luc. i. 28) per *visionem angeli*; Josepho (Matth. i. 20) per *somnium*; Paulo proficiscenti Damascum (Act. ix. 3) in *visione*; Petro (Act. xi. 5) in *visione* lintei magni emissi e cælo; eidem in carcere (Act. xii. 7) per *visionem angeli*; Apostolis et scriptoribus Testamenti Novi (Act. ii. 4) per *gratias* varias Spiritus divini; et Apostolis rursus, cum Matthiam in Apostolum eligerent (Act. i. 26), per *sortes*. Cum ergo omnis prophetia præsupponat *visionem*, vel *somnium*, vel *gratiam* aliquam divinam egregiam; cumque tam hujusmodi *gratiæ* quam *somnia* vel *visiones*, proficisci possint, non solum supernaturaliter et immediate, sed etiam naturaliter et per causas secundas; iudicio et ratione naturali opus est, ut inter *gratias*, *visiones*, *somnia* naturalia et supernaturalia recte distinguamus; debemusque

## CAP. XXXVI.

De verbo Dei  
et Prophetis.

cauti esse in obedientia præstanda homini qui prophetam se esse dicit, jubetque ut in via ad salutem æternam illum sequamur. Nam qui ducem se offert viæ ad felicitatem, regere et regnare vult; cujus rei per naturam homines omnes avidi sunt, et per consequens ambitionis et imposturæ merito suspecti; et proinde ab unoquoque, antequam obedientiam præstat, examinandi, nisi forte regere in via salutis is vult, qui in civitate summam habet potestatem, vel qui ab eo auctoritatem acceperit. Nisi enim examinatio prophetarum et spirituum unicuique ex populo permissa esset, notæ et signa omnia, quibus prophetæ veri a falsis distinguuntur, frustra fuissent. Quoniam ergo signa distinguendi prophetas et spiritus, exposita sunt Deut. xiii. 1, et I Joh. iv. 1, et quoniam tanta erat sub Veteri Testamento prophetatio, et in Novo tanta prædicatio contra prophetas; et quoniam major plerumque est prophetarum falsorum quam verorum numerus, obligatur unusquisque periculo animæ suæ doctrinas prophetarum examinare, et quem sequatur diligenter considerare. Tempore regis Achab (I Reg. xxii.), in quadringentis prophetis unicus erat verus, Michaeas. De prophetis Jeremias propheta (xiv. 14) dicit a Deo: *falso prophetæ vaticinantur in nomine meo; non misi eos et non præcepi eis, neque loquutus sum ad eos; visionem mendacem, et divinationem fraudulentam, et seductionem cordis sui prophetant vobis*; et (xxiii. 16) jubet Deus ipse ne illos audiamus. *Nolite, inquit, audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.*

Quoniam igitur sub Testamento Veteri inter pro-

phetas visionarios tot erant rixæ, contententium inter se, et quærentium (2 Chron. xviii. 23) *quando discessit a me Spiritus iturus ad te ?* vocantiumque se mutuo mendaces (ut Jerem. xiv. 14) ; totque controversiæ hodie sunt, sub Testamento Novo, prætendentium Spiritum Sanctum ; unusquisque tunc obligabatur, et nunc obligatur ratione sua naturali uti ad regulas illas, quas nobis præscripsit Deus ad distinguendum inter verum et falsum prophetam, prophetarum doctrinis applicandas. Quorum regularum sub Testamento Veteri una erat, ut doctrina prophetæ conformis esset doctrinæ quam docuerat propheta supremus Moses, nempe, qui summam habuit in castris Israelitarum potestatem. Regula altera erat, ut posset miracula operari, ut ostensum est supra ex Deut. xiii. 1, etc. Sub Novo Testamento unica distinguendi inter prophetas regula reperitur, nempe, si doctrinam hanc prædicaret, *Jesum esse Christum*, id est, Jesum esse Judæorum regem, quem venturum prophetæ Veteris Testamenti prophetarunt. Quicumque autem doctrinam hanc negaret, quæcunque miracula videretur facere, propheta falsus est. Nam Johannes Evangelista (1 Epist. iv. 2, etc.), de examine spirituum an ex Deo essent necne disserens ; *in hoc*, inquit, *cognoscitur Spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*, id est, propheta Dei est concionator evangelicus ille, qui confitetur prædicatque Jesum esse Christum, sive concionator talis sit vir pius, sive impius. Propheta enim non per suos ipsius mores aut fidem, sed per auctoritatem legitimam propheta fit. Loquitur enim interdum Deus per prophetas, quorum personas reprobavit, ut per Baalamum, et feminam ab Endor maleficam. Rur-

CAP. XXXVI.

De verbo Dei  
et Prophetia.

CAP. XXXVI.

De verbo Dei  
et Prophetis.

sus, versu proximo, Johannes idem, *omnis*, inquit, *spiritus qui solvit*, id est, nonprehendit, *Jesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus*. Regula ergo utrinque recta est, nempe eum, qui Messiam jam venisse prædicat in persona Jesu, prophetam verum esse; eum autem, qui venisse negat, sed venturum expectat in persona alicujus impostoris futuri, prophetam esse falsum. Uniuscujusque ergo hominis Christiani et de salute animæ suæ solliciti interest, conari scire et diligenter considerare, quis sit in civitate sua propheta summus, id est, quis sit ille homo, vel cœtus hominum, qui in civitate gerit personam Dei; et quando illum cognovit, doctrinam, quam doceri ille jusserit in Dei nomine, pro regula habere in doctrinarum earum discussione, quæ a prophetis, sive cum, sive sine miraculo, proferuntur. Quod si prophetam aliquem contra regulam hanc docentem audierit, non ipse vindicabit, sed faciet quod fecerunt illi qui in castris Israelitarum prophetantes audierunt; id est, summo imperanti indicabit, atque illi permittet statuere ut vult; et siquidem doctrinas eorum improbet, improbabit; sin probet, sequetur, illisque obediet, ut quibus Deus spiritum dedit ex spiritu ejus cui summam dederat potestatem. Nam homines Christiani, nisi regem suum vel cœtum supremum pro propheta Dei agnoscant, necesse est ut sua ipsorum somnia et cordium suorum tumorem pro spiritu Dei habeant et sequantur; vel ut duci se sinant a potestatibus externis, contra salutem civitatis; vel a concivibus suis ambitiosis, per calumnias, ad seditionem excitari, sine alio, quod doctrinam eorum confirmet, miraculo, præter successum et impunitatem aliquando admirabilem.

## CAPUT XXXVII.

## DE MIRACULIS ET EORUM USU.

PER *miracula* intelliguntur opera Dei mirabilia. Quoniam autem dubitare solent homines, suam ipsorum sequuti rationem naturalem, utrum quod a propheta pro mandato Dei pronuntiatur, mandatum ipsius Dei sit necne; *miracula* in Sacris Scripturis vocantur *signa*, ut quæ voluntatis Dei signa sunt; sicut etiam apud scriptores ethnicos, propter eandem causam, vocantur *ostenta et portenta*. Ut intelligatur ergo quid sit *miraculum*, observandum est, quænam opera ea sint quæ homines *admirantur*. Sunt autem quæ faciunt ut opus aliquod admirentur, duæ tantum res. Altera, si sit rarum, cujus simile raro aut nunquam ante factum viderant; altera, si postquam factum est, concipere non possunt per causas naturales factum esse, sed solummodo per operationem Dei immediatam. Nam si facti causas naturales intelligimus, utcunque opus rarum fuerit, vel si factum simile sæpe viderimus, etsi causam ejus naturalem non concipimus, non amplius admiramur, nec *miraculum* appellamus.

Itaque si bos aut equus loqueretur, *miraculum* vocaretur, quia rarum, et cujus causam naturalem non possumus imaginari. Similiter, in generatione animalium, naturæ deviatio omnis insolita pro *miraculo* haberetur. At si homo vel animal aliud sui simile generet, quanquam et hoc et illud quomodo factum sit æque nesciamus, *miraculum* esse non putamus. Item si homo transformaretur in lapidem, *miraculum* esset; quia rarum: sed si lignum ita mutaretur, quia sæpe fit, *miraculum* non

XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usu.

XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usu.

est : æque tamen ignoramus, quomodo id in homine et ligno Deus operetur.

Arcus primus in cœlo apparens, *miraculum* erat ; quia primus, id est, insolitus ; et quia pro signo in cœlo a Deo ostensus est, ad significandum non amplius diluvio periturum esse mundum. Verum hodie, quia arcus cœlestes videntur sæpe, miracula nemini sunt. Rursus, opera mirabilia arte humana multa producuntur ; quia tamen postquam facta sunt, quomodo facta sunt intelligimus, non habemus ea pro miraculis.

Admiratio dependet plerumque a scientia et experientia hominum, ita ut alii videatur, quod vidit, *miraculum*, alii non videatur. Itaque homines imperiti et superstitiosi pro magnis *miraculis* habere solent ea, quæ periti doctique omnino non mirantur. Eclipses solis et lunæ pro operibus supernaturalibus a vulgo habitæ quondam sunt ; quarum causas naturales docti viri intelligentes, eas prædixerunt. Etiam homines callidi inter se confederati, secretas actiones incauti et imperiti hominis exquirentes, easdemque ipsi post narrantes, magnæ admirationi fuerunt, cum cautis prudentibusque viris non tam facile imponere potuissent.

Ad naturam *miraculi* etiam pertinet, ut eo fine factum sit, ut nunciis, ministris, et prophetis Dei fides apud populum habeatur, sciatque inde populus missos illos esse a Deo. Itaque creatio mundi, et postea diluvium universale, mirabilissima opera erant ; quoniam tamen non eo fine a Deo facta erant, ut ministro suo fidem facerent, *miracula* appellari non solent. Sed opera Dei in Ægypto per Mosem, *miracula* erant ; propterea quod eo fine facta sunt, ut crederet populus Israeliticus

venisse ad eos Mosem, non consilio suo et com-  
 modi sui causa, sed missum a Deo. Quando enim  
 jusserat illum Deus Israelitas a servitute Ægypti-  
 tiaca liberare, dixit Deo Moses, (Exod. iv. 1), *non  
 mihi credent, sed dicent, Dominus non apparuit  
 mihi*. Potestatem ergo illi dedit Deus convertendi  
 virgam, quam in manu habebat, in serpentem, et  
 rursus, serpentem convertendi in virgam; et ma-  
 num suam leprosam faciendi, et rursus sanandi, eo  
 fine ut crederent Israelitæ Deum patrum suorum  
 illi apparuisse. Cum autem *miracula* hæc coram  
 populo operatus esset, tunc (vers. 31) dicitur *popu-  
 lum illi credidisse*. Populus tamen illi non sta-  
 tim obedivit, metuens Pharaonem. Alia igitur  
*miracula* fecit Deus, percutiens Ægyptios, sed de  
 eo fine ut Mosi Israelitæ crederent. Similiter si  
*miracula* facta a Deo per Mosem prophetasque  
 usque ad captivitatem, atque ea, quæ facta sunt a  
 Servatore nostro et Apostolis ejus, consideraveri-  
 mus, inveniemus facta esse eo fine omnia, ut fidem  
 facerent vel confirmarent, non advenisse eos sua  
 ipsorum causa, sed a Deo missos fuisse. Nec ta-  
 men *miraculorum* scopus erat universim in omni-  
 bus fidem facere, sed in electis tantum, nempe, iis  
 qui salvandi erant. Plagarum enim Ægypti finis  
 non erat conversio Pharaonis, cujus cor obduratu-  
 rum se esse prædixerat Deus, ne populum abire  
 sineret; et Pharaoh cum eos dimisit, non *miracu-  
 lis*, sed plagis motus id fecit. Item de Servatore  
 nostro (Matth. xiii. 58) scriptum est: *non multa  
 miracula operatum illum esse in patria sua, prop-  
 ter eorum incredulitatem*; et (Marc. vi. 5) scribi-  
 tur, *non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi  
 paucos infirmos impositis manibus curavit; et*

XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usu.



XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usu.

*mirabatur propter incredulitatem eorum.* Absit, ut putemus potentia caruisse; aut finem *miraculorum* alium fuisse, quam convertere incredulos. Nam quæ fecerunt miracula Moses et prophetæ, et ipse Christus et Apostoli ejus, homines ad ecclesiam aggregandi causa omnia fecerunt. Quid ergo dicendum est, nisi quod Servator noster, missus a Patre, potentia a Patre data aliter uti non potuit, quam ad conversionem eorum tantum quos Pater ejus non reprobaverat. Quod locum hunc S. Marci exponentes quidam, poni dicunt *non poterat pronon voluit*, non necessario id faciunt, et sine exemplo linguæ Græcæ. Ab his, quæ jam dicta sunt de natura *miraculi*, definiri potest *miraculum* esse *opus Dei, præter operationem naturæ in creatione ordinatam, eo fine factum, ut cognoscerent electi nuncium a Deo extraordinarium ad eos salutis eorum causa missum esse.*

Ab hac autem definitione inferimus, primo, *miraculum* non esse effectum virtutis alicujus in ipso propheta, ad cujus verbum factum est, sed opus Dei immediatum.

Secundo, neque diabolum, neque angelum, neque spiritum creatum quemcunque *miraculum* facere posse. Nam neque si virtute naturalis alicujus scientiæ id faciunt, neque si incantatione, aut ex-cantatione, id est, virtute verborum, *miraculum* dicendum est. Si propria potentia id facere possit incantator, potentia aliqua esset, quæ a Deo non dependeret; quod omnes negant. Sin potentia a Deo data extraordinaria faciat, *miraculum* eorum non est, sed Dei factum immediatum.

Sunt Scripturæ Sacræ loca aliqua, quæ *miraculorum* operationem attribuire videntur incantation-

ibus et artibus magicis : ut (Exod. vii. 11), ubi legimus quod postquam Moses virgam suam projiciendo in terram convertisset in serpentem, *Magi Ægyptii simile fecerunt incantationibus suis* : et (vers. 22) quod postquam Moses aquas Ægyptiorum convertisset in sanguinem, *idem fecerunt Magi incantationibus suis* : et (Exod. viii. 7), postquam Moses per potentiam Dei in terras Ægyptiorum induxisset ranas, *simile fecerunt Magi*. Nonne *miracula* efficaciam habere a sono verborum, et ab his locis satis probari existimabimus? Attamen nullus Scripturæ locus docet, quid sit incantatio. Itaque si incantatio non sit, ut multi esse putant, effectio mirabilium per verba et sonos, sed impostura, et modis naturalibus facta illusio, adeoque procul ab operatione supernaturali, ut impostores ipsi scientia nulla causarum naturalium ut ea faciant, nec alia re indigeant, quam ignorantia, stupore, et superstitione communi generis humani; loca illa, quæ opinioni de magica et incantationibus favere videri possunt, alium sensum habere debent, quam primo intuitu habere videantur.

Satis enim manifestum est verba effectum, nisi in eos qui intelligunt, habere nullum : neque effectum in ipsos intelligentes ullum, præter declarationem quid cogitant illi qui loquuntur. Itaque quando virga videtur serpens, aut aqua sanguis, aut aliud *miraculum* factum videtur per incantationem ; nisi fiat ad populi Dei ædificationem, neque virga, neque aqua, neque aliud incantatur præter spectatorem ; totumque *miraculum* incantatoris in eo consistit ut impostor hominem deceperit ; quod *miraculum* non est.

Tanta enim est humani generis ignorantia et ad errandum proclivitas, sed maxime eorum qui cau-

XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usui.

## XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usu.

sarum naturalium et consiliorum humanorum imperiti sunt, ut infinito numero fallaciarum obnoxii perpetuo vivant. Sed thaumaturgorum genera persequi longum esset; hi tamen quicquid fecerunt, sua singuli agilitate fecerunt. Sed si imposturas eorum consideremus, qui fœderati faciunt, nihil factu impossibile videbitur, quod possibile est credi. Homines enim improbi si duo tantum conspirarent, unus ut simularet se claudum esse, alter ut incantatione illum sanaret, multos deciperent: sed si conspirarent multi, ut unus simularet se claudum esse, alter ut eum sanaret, et reliqui omnes, ut testimonium dicant; decipient multo plures.

In tali generis humani proclivitate fidem *miraculis* temere adhibendi, cautela melior esse non potest, quam quæ a Deo per Mosem, ut ante dictum est, docetur Deut. xiii. 1, et Deut. xviii. 22, nempe, ne pro prophetis habeamus illos qui religionem aliam docent, quam quæ ab eo, qui personam Dei in civitate gerit, legibus permittitur; neque etiam illos, si novum aliquem articulum obtrudere conentur, pro prophetis habeamus, sine *miraculo* indubitato. Itaque ut Moses suo tempore, et Aaron successoresque ejus temporibus suis; ita summi imperantes in populo Christiano, id est, ecclesiarum summi rectores omnibus temporibus consulendi sunt, quas doctrinas doceri permiserunt, antequam *miraculis* aut prophetis ignotis fidem habeamus. Etiam *miracula*, quæ prætenduntur doctrinis novis, debemus videre ipsi, et quantum possumus excutere, et examinare, et secundum rationem publicam, id est, secundum rationem ejus qui summam habet in civitate potestatem, de veritate *miraculi* judicare. Exempli

gratia, si quis dicat, quod post certa verba ab ipso prolata super buccam panis, non sit amplius panis, sed Deus vel homo, etsi oculis, ut ante, panis videatur; causa nulla est cur quis ita factum realiter esse putet, neque illum timeat, donec a Deo per illum, qui locum ejus in civitate tenet, utrum realiter factum sit necne, inquisierit; et siquidem ille negat, tunc sequitur id quod a Mose dictum est (Deut. xviii. 22), *temere loquutus est, non timebis illum*; sin factum esse realiter dicat, acquiescendum est. Item in *miraculis*, quæ non vidimus facta, sed fama tantum audivimus, consulenda est ecclesia civitatis, id est, is qui summam in ea habet potestatem, quousque famæ authoribus credendum sit. Atque hæc illis præcipue dico, qui vivunt in civitatibus Christianis. Hodie enim ne unum quidem hominem cognosco, qui per incantationem vel ad vocem aut ad orationem hominis opus ita mirabile factum vidit, ut homini mediocriter cauto videri posset supernaturale. Quæstio ergo hodie non est, utrum *miraculum*, quod vidimus, vel legimus, vel fama audivimus, realiter factum sit; sed utrum *miracula* quæ legimus, aut fama accipimus, non sint linguæ aut calami solius opera. In qua quæstione, non rationis vel conscientiæ privatæ judicium est, sed rationis, ut dixi, publicæ, id est, rationis illius hominis vel cœtus, quem in omni quæstione judicem ante constitueramus. Privato autem homini, quia cogitatio omnis libera est, credere vel non credere, quæ pro *miraculis* approbata sunt, liberum semper est, atque de illis judicare intra pectus suum, prout narrantibus bonum inde proventurum vel non proventurum est, licitum est. Verum quando ad fidei confessionem ventum erit, privato

XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usu.

XXXVII.

De miraculis,  
et eorum usu.

judicio amplius locus nullus est; sed adeundus est is qui summam sub Deo in ecclesia habet potestatem. Quis autem ille est, suo loco infra considerabitur. Nam præstigiatori, aut ventriloquo artifice, fictori callido, et narratori mirabilium impudenti, perjuro strenuo, simulatori sanctitatis histrionico, vel maxime multis simul nebulonibus fœderatis, quis non credat homo malarum artium imperitus?

---



---

### CAPUT XXXVIII.

DE SIGNIFICATIONE QUAM HABENT IN SCRIPTURIS SACRIS  
VOCABULA VITA ÆTERNA, INFERNUM, SALVATIO,  
MUNDUS VENTURUS, ET REDEMPTIO.

QUONIAM societatis civilis conservatio dependet a justitia, et justitia a potestate vitæ et necis aliarumque pœnarum leviorum, quam potestatem habet is qui summam in civitate potestatem possidet; impossibile esset conservari civitatem illam, in qua persona alia sit, quæ potestatem habeat majores infligendi pœnas quam est mors, vel majora præmia tribuendi quam est vita. Cum ergo *vita æterna* præmium majus est quam vita præsens, et *cruciatus æterni* pœna gravior quam mors naturalis; res diligentia multa digna est, illis qui per obedientiam civilem confusionem calamitatesque belli civilis vitare cupiunt, quid sit quod in Sacris Scripturis per *vitam æternam* et *cruciatus æternos* intelligendum est perscrutari; et propter quæ crimina, et contra quos commissa, cruciandi in æternum sunt; et propter quæ facta *vita æterna* fruituri sunt.

Adamum ea conditione creatum esse legimus, ut nisi mandatum Dei violasset, potuisset in æternum

vixisse in Paradiso, ubi a Deo ab initio collocatus erat. In Paradiso enim erat *arbor vitæ*; cujus esus illi tamdiu permissus erat, quamdiu ab esu fructus arboris scientiæ boni et mali se abstinuisset. Itaque quam primum ex fructu arboris hujus vetito comedisset, Deus (Gen. iii. 22, 23) illum e Paradiso expulit, *ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum*. Constat ergo Adamum non creatum esse immortalem virtute naturæ suæ, sed per gratiam Dei adventitiam, nempe, virtute *arboris vitæ*, cujus comedendi dum copiam haberet, non potuit mori. Videtur ergo Adamus, nisi peccasset, victurus fuisse in terrestri Paradiso in æternum; mortalitatem autem in se et posteros suos intrasse per hoc peccatum ejus primum; mortalitatem, inquam, tunc statim intrasse, non mortem ipsam. Vixit enim longo post tempore, suamque vidit, antequam moreretur, posteritatem numerosam. Ubi autem (Gen. ii. 17) dicitur, *in quocunque die comederis, ex eo morte morieris*: intelligendum est, non de morte in illo die, sed de certitudine mortis, id est, de mortalitate. Quod autem non dicitur simpliciter *morieris*, sed *morte morieris*, ita intelligendum est ut interpretatur Athanasius, quando morieris non revivisces. Cum ergo vita æterna per peccatum amissa esset, manifestum est, quod quicumque peccatum illud aboleret, vitam illi æternam, quam perdidit, restitutus esset. Sed Jesus Christus peccatum illius et omnium in ipsum credentium abolevit, et proinde omnibus credentibus *vitam illam æternam*, quam perdidit Adamus, recuperavit, nempe vitam in Paradiso futuram. In quo sensu Sancti Pauli recte stat comparatio Rom. v. 18, 19:

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

## XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

*Igitur sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio; sic et per unius justitiam in omnes homines justificatio vitæ: 1 Cor. xv. 21, 22: Cum quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quod attinet ad locum, in quo vita illa æterna homines fruituri sunt, duo illi Scripturæ textus significare videntur fore locum illum in terra. Si quidem enim perdidit Adamus Paradisum, et vitam illic æternam; Paradisum et vitam illic æternam credentibus in ipsum Christus recuperavit, nec aliam. Cui doctrinæ congruere videtur quod dicit Psalmista (Psal. cxxxiii. 3): *Dominus, qui fecit cælos et terram, benedicat tibi e Zion: alioqui dixisset, benedicat tibi e cælo.* Item Johannes (Apoc. ii. 7): *illi qui vincit, dabo comedere ex fructu arboris vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei: quæ arbor Adamo arbor vitæ erat, sed in terra.* Idem confirmari videtur a Johanne (Apoc. xxi. 2, 3): *Et ego Johannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendantem de cælo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo; et audivi vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus!* Id est, Jerusalem nova, in qua est Mons Zion, nempe locus electorum, descendit in terram. Item angeli duo in vestimentis albis dicunt (Act. i. 11): *Hic idem Jesus, qui assumptus est in cælum, ita veniet sicut vidistis ipsum ascendere: quæ verba ita sonant ac si dixissent, venturum esse ad populum Dei Patris sui regendum hic; non quasi illos in cælo regendos in cælum sublaturus esset; quod etiam regni Dei sub Mose instituti restitutioni consentaneum est. Reg-*

num autem illud erat civitas Judæorum in terra. Porro, id quod dicit Servator noster (Matth. xxii. 30): *in resurrectione neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cælo*: descriptio est *vitæ æternæ*, similis ejus quam perdidimus in Adamo, quatenus attinet ad matrimonia. Nisi enim peccassent Adamus et Eva, vixissent in Paradiso terrestri ipsi sine prole in perpetuum. Nam si sicut homines nunc, ita immortales generarent, deesset non magno tempore locus hominibus, ubi pedes ponerent. Judæi qui Christum interrogaverant, cujus uxor futura esset foemina illa in resurrectione, de consequentiis *vitæ æternæ* non cogitaverant; itaque docet illos Christus, generationem hominum non magis futuram esse in resurrectione quam angelorum. Comparatio hæc inter *vitam æternam* ab Adamo amissam, et a Christo morte sua restitutam, etiam in hoc congrua est, quod sicut Adamus, etsi *vitam æternam* peccato suo perdidit, vixit tamen postea aliquamdiu; ita Christiani fideles *vitam æternam* morte Christi receperunt, et tamen moriuntur morte naturali, et mortui aliquamdiu manent, nimirum usque ad resurrectionem. Sicut enim mors computata est in Adamo, non a condemnatione, sed ab ipsa morte; ita etiam electorum vita ab absolute sive remissione peccatorum, non a resurrectione computatur.

Quod locus, in quo in æternum post resurrectionem habitaturi sunt electi, sit cælum, id est, partes illæ quæ a terra remotissimæ sunt, ut ubi sunt stellæ, aut adhuc altius in cælo quod vocatur (non in Scriptura Sacra) *empyreum*, non confirmatur ab ullo, quod sciam, textu Scripturæ Sacræ. Regnum quidem Dei cælum inhabitantis, regnum

XXXVIII.  
De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.



## xxxviii.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

cœleste proprie dicitur ; cives autem regni illius in terra degebant, regebanturque a Dei vicegerentibus, nempe Mose, Eleazaro, cæterisque summis Judæorum sacerdotibus, usque ad tempora Samuelis. Postquam etiam Servator noster per prædicationem ministrorum suorum Judæos ad obedientiam Dei revocaverit, et vocaverit gentes, regnum erit cœleste novum, sine ulla necessitate, in Scripturis apparente, ascensurum esse hominem ad felicitatem suam altius quam ad scamnum pedum Regis sui cœlestis. In contrarium, scriptum invenimus (Johan. iii. 13) : quod *nemo in cœlum ascendit præter eum qui a cœlo descendit, nempe Filium hominis, qui est in cœlo*. Item (Actor. ii. 34) ad probandam Christi ascensionem, utens verbis Psalmistæ (Psal. xv. 10) : *Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* : dicit Petrus non ea de Davide sed de Christo dicta esse ; probans ex eo, quod David *non ascendit in cœlum*. Sed huic loco respondere aliquis poterit, quod etsi corpora eorum non ascensura erant in cœlum ante diem judicii ultimi, animæ tamen eorum ascenderunt simul atque ex corporibus eorum excesserant ; quod confirmari videtur ex verbis Servatoris nostri (Luc. xx. 37, 38), qui probans resurrectionem ex verbis Mosis, sic dicit ; *Mortuos resurrecturos esse etiam ostendit Moses, qui ad rubum Dominum invocans, appellat Deum Abrahami, Deum Isaaci, et Deum Jacobi : non est enim Deus mortuorum, sed viventium*. Sed si verba illa intelligenda sunt de immortalitate animæ, non id probant quod probatum voluit Christus, nempe, resurrectionem corporis, quæ est immortalitas hominis. Dicit ergo

Servator noster, patriarchas illos immortales quidem esse, at non per proprietatem aliquam humanæ essentiæ consequentem, sed per voluntatem Dei, qui ex mera *gratia* electos donavit *vita æterna*. Quod autem patriarchæ illi aliique multi fideles homines tunc mortui essent, vivere tamen eos dixit Christus; causa erat, quod nomina eorum scripta erant in libro vitæ; et propterea addidit verba hæc, ut in textu videre est, quod *viverent Deo*. Quid autem est, propter quod animæ justorum in cœlum irent ante corpora, cum mercedem operum suorum recepturi non sint homines ante iudicium, ut manifestum est ex Luc. xiv. 13, 14: *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos; et beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum?* Itaque ante resurrectionem, nil habet in cœlo quod faciat anima, etsi per se existeret. Verbum hoc, *anima immortalis*, in Scriptura Sacra nusquam, *vita æterna* passim invenitur. Caput Jobi decimum quartum, ubi non aliquis amicorum suorum loquitur, sed ipse, totum quærimonia est de mortalitate hominum, sine tamen negatione immortalitatis post resurrectionem: *Lignum habet spem; si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est. Homo vero, cum mortuus fuerit, et nudatus, atque consumptus, ubi quæso est?* Et paulo post, *homo cum dormierit, non resurget donec atteratur cœlum*. Sed quando erit, quod cœlum atteretur? Respondet S. Petrus, futurum esse in resurrectione. Dicit enim

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

XXXVIII. (2 Epist. iii. 7): *Cæli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum: et (vers. 10-13): Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur, etc. Novos vero cælos, et novam terram, et promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Ubi ergo dicit Job hominem non amplius surrecturum, idem est ac si dixisset vitam immortalem in resurrectione incipere, et pro causa habere, non naturam humanam, sed *promissionem*.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula, etc.

Postremo, cum capite xxxv. ostensum sit regnum Dei civitatem esse proprie dictam, quæ civitas erat in terra, in qua virtute pacti tum veteris tum novi summam habet potestatem Deus, et eam per vicegerentem regit; etiam quando Servator noster adveniet in gloria et majestate regnaturus, regnum ejus erit in terra.

Sicut *regnum Dei, et vita æterna*; ita etiam hostes Dei, post judicium ultimum, et cruciatus eorum locum in Scripturis videntur habituri in terra. Loci, ubi homines, qui sepulti vel absorpti a terra erant, mansuri sunt usque ad resurrectionem, nomen vocatur plerumque in Scripturis *infernus, et inferi*, Græcis *ᾅδης*, id est, locus ubi nihil videri potest, continetque tam sepulchrum, quam locum alium omnem inferiorem. Sed reproborum post resurrectionem locus quis sit, ex situ ejus non definitur, neque in Veteri neque in Novo Testamento. Indicatur tantum per nomina hominum qui in eo loco esse supponuntur, extraordinaria, et quasi miraculosa morte a Deo deleti. Exempli causa, dicuntur in *inferno, in Tartaro* esse, propter Corah,

Dathan, et Abiram vivos a terra absorptos. Non enim voluere Scriptores Sacri ut crederemus globum telluris, qui non modo finitus est, sed etiam, cœli stellarum fixarum altitudini comparatus, insensibilis magnitudinis, puteum habere in se infinitæ profunditatis, qualem finxerunt nomine Tartari poetæ; sed ut eos ibi esse crederemus, ubi erant illi qui a terra absorpti esse dicuntur. Rursus, quia homines illi, qui tempore Noæ vixerunt, paulo ante diluuium, in Scripturis *gigantes* dicti, a Græcis fortasse heroes, geniti, ut dicunt poetæ, ex copulatione deorum et hominum, in diluuiio generali delati erant; locus reproborum a Judæis significabatur per locum *gigantum*; ut Prov. xxi. 16: *Vir qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur*: Et Job. xxvi. 5: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis!* Locus reproborum hic sub aquis esse significatur. Et Isaiâh xiv. 9: *Infernus conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes*: dictum hoc ab Isaiâh est contra regem Babylonis, locum reproborum rursus innuens sub aquis esse.

Tertio, quia urbes Sodoma et Gomorra propter impietatem incolarum igne et sulphure e cœlo consumptæ erant, et regio vicina in lacum bituminis foetentis conversa; locus reproborum sæpe in Scripturis Sacris significatur per *ignem et lacum ignis*: ut Apoc. xxi. 8: *Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololâtris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure; quod est mors secunda.* Manifestum ergo videtur, locum reproborum non esse certum aliquem locum in quo torquentur impii, sed nomen cujuscunque

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabulary, etc.

perditionis appellativum. Etiam (Apoc. xx. 14): *Ipsæ infernus et mors missi sunt in stagnum ipsis. Hæc est mors secunda.* Adeo ut sensisse videtur Evangelista impios omnes iudicio ultimo damnatos, et in lacu ignis denuo morituros esse, et propterea *mortem hanc secundam* appellavisse.

Quarto, a plaga Ægyptiaca, *tenebrarum*, de quibus tenebris dicitur (Exod. x. 23): *Nemo vidit fratrem suum tribus diebus, nec movit se de loco in quo erat; ubicunque autem habitabant filii Israel, lux erat; locus reproborum a Judæis appellabatur tenebræ exteriores, σκότος ἕξωτερόν.*

Postremo, quoniam locus quidam erat prope Jerusalem, qui appellabatur *Vallis filiorum Hinnon*, in cujus parte, dicta Tophet, sacrificaverant Israelitæ idolo Moloch; ubi etiam Deus hostes eorum perdiderat, et ubi Josias sacerdotes Moloch super ipsorum altaria combusserat (ut legitur 2 Reg. xxiii.): locus ille a Judæis pro loco ubi cruciandi erant Dei hostes, appellatus est *Gehenna*; et propter ignes illic perpetuo ardentes, nimirum tollendi causa fetorem perpetuum rerum putridarum istuc projectarum, *ignis perpetuus*.

Quoniam autem nemo hodie est qui ita Scripturas interpretatur, quasi reprobi in æternum cruciandi essent in Valle Hinnon; aut quasi sub aquas, aut in Tartaro detrudendi; aut quasi moturi se non essent præ tenebris; sequitur, ut puto, necessario, quæ dicuntur in Scripturis de loco reproborum, dicta esse metaphorice; ac proinde, sensum verborum circa locum illum et cruciatus illos *propriorem* quærendum esse.

Quod attinet ad tortores, naturam et proprietates eorum proprie traditas habemus in nominibus

*Satan, Diabolus; Abaddon.* Quæ nomina Satan, Diabolus, Abaddon, personam individuum nullam, ut nomina solent propria, designant; sed officium, vel qualitatem aliquam; et propterea sunt appellativa. Sumpta autem pro propriis imperitos fallunt, faciuntque ut spectra et dæmonas totidem esse putent, quales adorabant gentes. Quoniam autem verba illa significant *hostem, accusatorem, et exterminatorem*, intelligenda sunt de hoste ecclesiæ Dei. Si ergo regnum Dei post resurrectionem futurum sit in terra, etiam hostes et regnum eorum in terra esse debent. Quando enim regnum Dei in Israelitis erat, regna gentium vicina pro regnis Satanæ habebantur.

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

*Cruciatu inferni* significantur interdum per *fletum et stridorem dentium*, ut Matth. viii. 12. Interdum per *vermen conscientiæ*, ut Isaïæ lxvi. 24, et Marc. ix. 43, 45, 47. Interdum per *ignem inextinguibilem*, ut Matth. iii. 12; Marc. ix. 42-47; Luc. iii. 17, etc. Interdum per *opprobrium*, ut Dan. xii. 2. Quæ loca omnia dolorem significant metaphorice, ab eo oriundum, quod felicitatem illam æternam ab aliis acquisitam esse vident, quam ipsi per incredulitatem et contumaciam suam perdidērunt. Cum autem felicitati aliorum non invidetur, nisi ab illis qui dolores et calamitates patiuntur; consequens est, ut pœnas luant corporales; inter quas numeranda etiam est *mors secunda*. Quanquam enim Scriptura Sacra resurrectionem affirmet, quod tamen reprobis *vita æterna* promissa sit, nusquam legimus. S. Paulus (1 Cor. xv. 42, 43, 44) quæstionem tractans, quibus corporibus resurgendum sit, *corpus*, inquit, *seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in*

## XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabulary, etc.

*ignobilitate, surget in gloria : seminatur in infirmitate, surget in virtute : seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Gloria autem, et virtus, et spiritualitas, corporibus reproborum attribui non potest : neque mors secunda illis qui semel tantum mori possunt. Scio metaphorice dici posse mortem, vitam illam quam comitantur perpetuæ calamitates et miseræ ; sed mors secunda dici non potest. Ignis paratus hominibus impiis, perpetuus esse potest, nimirum pœna illa post resurrectionem, qualiscunque sit, et vocari inextinguibilis ; atqui inde inferri non potest, quod illi, qui in ignem illum conjiciuntur, in eo æternum ardebunt aut cruciabuntur, nec tamen consumerentur. Contrarium enim dicitur (Apoc. xx. 13, 14) : *Et dedit mare mortuos qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos qui in ipsis erant : et judicabantur unusquisque secundum opera eorum : et mors et infernus coniecti sunt in stagnum ignis : et hæc est mors secunda.**

Vitæ autem æternæ gaudia comprehenduntur a Scriptoribus Sacris sub nomine *salutis* sive *salvationis*. *Salvari* autem *servari* est, sive specialiter a malis certis, sive universaliter a malis omnibus, nempe indigentia, ægritudine, et morte ipsa, a quibus omnibus, nisi peccasset Adamus, incolumis virtute arboris vitæ, vixisset in æternum. Servari ergo ab his malis omnibus, idem est ac servari a peccato. Et in Scripturis Sacris eadem res est, peccata remitti, et a morte et miseriis servari, ut constat ex verbis Servatoris nostri (Matth. ix. 2) : *Confide fili, remittuntur peccata tua* : et (vers. 5) : *utrum est, facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge et ambula ?* Etiam rationis

naturalis est, cum mors et miseria punitio fuerit peccatorum, ut remissio peccatorum abolitio esset mortis et miseriarum, et proinde *salvari*, et *peccata sibi remitti*, eadem res sit ; et ab hac remissione peccatorum per mortem Christi est, quod Christum appellemus *Servatorem* nostrum.

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocalibus, etc.

De salvationibus specialibus, quales sunt intelligendæ 1 Sam. xiv. 39, ubi Deus salvasse dicitur Israelitas ab hostibus suis Philistæis ; et 2 Sam. xxii. 2 : *Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus*; et 2 Reg. xiii. 5 : *et dedit Dominus salvatorem Israeli, et liberatus est de manu regis Syriæ* ; et de similibus, ut loqui non est opus. Nam loca hæc, neque habent difficultatem, neque spectant ad institutum nostrum.

Sed de loco salvationis universalis fidelium hominum in regno cœlesti, difficultas magna est. Cum enim regnum cœlestis civitas sit, ab hominibus securitatis causa contra hostes instituta, videtur salvatio contra hostes debere esse in terra. Per salvationem enim innuitur regnum illius regis cœlestis per victoriam, non incolumitas per fugam. Ubi ergo salutem illam expectamus, expectamus triumphum ; et ante triumphum, victoriam ; et ante victoriam, prælium ; quæ non facile supponi possunt futura esse in cœlo. Videamus autem de hac re quid dicant Scripturæ Sacræ : Isai. xxxiii. 20-24 : *Respice Zion, civitatem solemnitatis nostræ ; oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit ; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur. Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster ; locus fluviorum ; rivi latissimi, et patentes ; non transibit per eum navis remi-*



XXXVIII. *gum, neque trieris magna transgredietur eum.*

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

*Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster; ipse salvabit nos. Laxati sunt funiculi tui, sed non prævalebunt; sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia prædæ multarum; claudi diripient rapinam. Nec dicet vicinus, elangui. Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.*

Quibus verbis designatur primo, locus salutis, *Jerusalem habitatio opulenta*; secundo, duratio ejus, *tabernaculum quod nequaquam transferri poterit*; tertio, salvator quis sit, *Dominus iudex noster, legifer noster, rex noster*; quarto, ipsa salvatio qualis est, *locus fluviorum, rivi latissimi*; quinto, conditio eorum qui salvabuntur, *non dicet vicinus, elangui*; sexto, conditio hostium, *laxati sunt funiculi, sed non prævalebunt* etc; prostremo, continentur hæc omnia civium prospera nomine remissionis peccatorum, *populo dimittetur iniquitas ejus*. Quibus verbis perspicuum videtur esse, salvationem in terra tunc futuram esse, quando regnabit Deus, in adventu Christi, in Jerusalem; et a Jerusalem procedere debere salutem gentium: id quod apertius etiam declaratur ab eodem propheta, (cap. lxvi. 20, 21): *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus, donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini: et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas, dicit Dominus*. Intelligi hinc potest civitatis cœlestis arcem, unde salus gentibus derivanda sit, futuram esse in

terra, urbem Jerusalem. Idem etiam confirmari videtur (Joh. iv. 22) a Servatore nostro, in colloquio cum muliere Samaritana, circa locum divini cultus futuri, ubi mulieri dicit Christus *salvationem esse ex Judæis*, id est, salvatorem non a Samaria futurum esse, sed a Judæa. Cui respondens dicit mulier, *Scimus venturum esse Messiam*. Quod ergo dicit Christus *salvationem esse ex Judæis*, idem est, quod dicit Paulus (Rom. i. 16, 17): *Non enim erubescio Evangelium; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco; justitia enim in eo revelatur ex fide in fidem*: id est, ex fide Judæi in fidem Græci. Eodem sensu Propheta Joel, (cap. ii. 30, 31), describens diem judicii: *Dabo prodigia in cælo et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies magnus et horribilis; et erit ut omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, quia in Monte Zion et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus*. Et Abdias (ver. 17): *In Monte Sion erit salvatio, et erit sanctus, et possidebit domus Jacob eos qui se possederant*; quas possessiones versibus sequentibus nominat, nempe, montem Esau, terram Philistæorum, agros Ephraim, et Samariæ, et Gilead, et urbes ad meridiem; concluditque his verbis, *et Domino erit regnum*.

Quid autem, regnum Dei eo tempore, nonne erat Domino? Non erat tunc Domino regnum illud, quod per pactum habuit initum in Monte Sinai. Quando ergo erit Domino regnum illud per pactum? Domino tunc erit regnum illud, quando veniet Servator noster cum majestate et gloria, ad judicandum vivos et mortuos. Quod autem attinet

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocabula, etc.

**XXXVIII.** ad regnum aliquod in *cælo empyræo*, aliave regione ætherea, nihil reperitur in Scripturis Sacris. Regnum tamen cœleste erit propter thronum in cœlo regis cœlestis.

De significatione quam habent in Scripturis Sacris vocabula, etc.

Ex his quæ dicta sunt de regno Dei, et salvatione, facile intelligitur quid sit *mundus venturus*. Invenitur in Sacris Scripturis mentio facta trium *mundorum*, nimirum, *mundi veteris, mundi presentis, et mundi venturi*. De primo loquitur S. Petrus (2 Pet. ii. 5): *Si originali mundo non pepercit Deus, sed octavum Noem, justitiæ præconem, custodivit, diluvium mundo impiorum inducens, etc.* Mundus ergo vetus ab Adamo computatur usque ad diluvium. De mundo præsentem loquitur Christus (Joh. xviii. 36): *Regnum meum non est ex hoc mundo*. Venit enim Christus ad pactum vetus renovandum; ad regnandum autem veniet in die judicii. De mundo venturo loquitur S. Petrus (2 Pet. iii. 13): *Novos vero cælos, et novam terram, et promissa ipsius expectamus*. Atque hic est mundus ille, in quo Christus e cœlo in nubibus descendens in potentia et gloria magna, angelos suos mittens congregabit electos suos a quatuor ventis et ab extremis terræ, et regnabit super eos in æternum.

Salvatio peccatoris supponit *redemptionem* præcedentem. Nam qui semel peccati reus est, pœnas debet, quas ipse vel alius pro ipso solvere obligatur, pro pretio redemptionis; quod pretium tantum est, quantum is qui læsus est postulabit. Læsus autem Deus est; pretium ergo redemptionis est, quicquid Deo imponere visum erit. Damnum quod alii fit, tolli potest per restitutionem, vel compensationem, quarum neutra tollit peccatum. Ignosci tamen peccatori a læso aut *gratis*, aut pœna quantula-

cunque peccatum ejus redimi potest. Id autem quod Deus plerumque a peccatore, sub Vetere Testamento, pro peccati redemptione exigere solitus est, sacrificium erat vel oblatio. Peccatori enim ignoscere is, qui injuriam passus est, quanquam illum punire minatus erat, jure potest : cum etiam apud homines, etsi promissio boni promissorem obliget ; minæ tamen, id est, promissio mali, neminem obligant ; multo minus obligabunt Deum, cujus misericordia est infinita. Servator ergo noster, ut nos redimeret, non ita pro peccatis hominum Patri suo satisfecit, ut punitio peccatorum propter eam rem injusta esset ; sed sacrificium tantum erat mors ejus, quam placuit Deo acceptare pro peccatis pœnitentium et in redemptorem suum creditum. Et propterea, *redemptio* in Scripturis Sacris, et *sacrificium*, et *oblatio*, et *pretium*, sæpenumero idem significant.

XXXVIII.

De significatione  
quam habent in  
Scripturis Sacris  
vocalia, etc.

---

### CAPUT XXXIX.

#### DE SIGNIFICATIONE QUAM HABET IN SCRIPTURIS SACRIS VOCABULUM ECCLESIA.

ECCLESIA in Scripturis Sacris varie accipitur. Interdum pro *domo Dei*, id est, pro templo in quo populus Dei publice congregari consuevit ad cultum divinum ; ut (1 Cor. xiv. 34) *mulieres in ecclesiis taceant*. In hoc sensu a Patribus Græcis dicitur ecclesia *Κύριακή*, id est, domus Domini. Frequentissime autem sumitur juxta *ἔτυμον*. Græca enim vox est, significatque cœtum hominum evocatorum, nempe, cives congregatos, et evocatos ad concionem publicam, a magistratu, secundum leges ;

XXXIX.

De significa-  
tione quam ha-  
bet in Scriptu-  
ris Sacris voca-  
bulum ecclesia.

atque hæc *ecclesia* erat (Act. xix. 39) *legitima*. Etiam cives per tumultum et seditionem in unum locum multi convenientes, vocantur interdum *ecclesia*, sed *ecclesia confusa*, ut Act. xix. 32. Manifestum autem hinc est, ecclesiam nullam legitimam esse posse, quæ autoritate illius non sit convocata, qui summam habet in civitate potestatem. Sumitur etiam interdum pro hominibus qui in cœtum jure intrare possunt, etiamsi non sint actu congregati: ut Act. viii. 3, ubi dicitur: *Saulus autem devastabat ecclesiam*. Interdum etiam pro solis electis, ut Eph. v. 27, *ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*: id quod intelligi non potest nisi de ecclesia triumphante. Cæteris significationibus omissis, loquimur hoc loco de ecclesia in sensu proprio, nempe, quatenus legitima est, habetque autoritatem legitimam; sicut sumitur Matth. xviii. 17, ubi dicitur, *Dic ecclesiæ; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. In hoc enim sensu est, quod *ecclesia* est persona, quod *velle, pronuntiare, imperare, audire, leges ferre*, aut quicquam agere potest. Nam quod in congregatione hominum autoritatem non habentium factum est, singulorum quidem factum est, si consenserunt, non autem congregationis totius ut corporis unius, neque illorum qui non consenserunt. *Ecclesiam* itaque *Christianam* sic definitio: *Ecclesia Christiana est cœtus hominum religionem Christianam profitentium, unitorum in persona una summam habente potestatem; cujus jussu convenire debent, et cujus injussu convenire non debent*. Quoniam autem in omni civitate conventiones illæ, quæ sine autoritate habentur imperantis summi, illegitimæ sunt;

etiam *ecclesia* illa, quæ habetur in illa civitate quæ conventiones tales lege vetuit, illegitima est.

Manifestum etiam hinc est, nullam in terra esse *ecclesiam universalem* quam audire obligantur Christiani universi; cum nulla sit in terra civitas aliarum civitatum omnium domina. In civitatibus singulis Christiani legibus civitatis suæ obedire obligantur: et per consequens, legibus civitatis aliæ teneri non debent. *Ecclesia* ergo, cui potestas est judicandi, absolvendi, condemnandi, aut actionem quamcunque agendi, eadem res est cum civitate: et civitas ideo quidem est, quia cives sunt *homines*: *ecclesia* autem, quia cives sunt Christiani. Quare regimen *temporale*, et *spirituale*, verba inania sunt, introducta eo fine ut propter duos status apparentes minus cognoscerent homines utri eorum obedientiam præstarent. In cælo quidem corpora hominum post resurrectionem æterna et spiritualia erunt: sed in vita præsentē, homines et caduci et crassi sunt, neque patiuntur statum neque religionem ullam, præter eam quam statuit potestas temporalis: neque doctrina ulla a cive doceri jure potest, quam civitas temporalis doceri prohibet. Unus denique rector, tum spiritualis tum temporalis, esse debet, aut utraque simul potestas interibit, nimirum per contentiones inter *ecclesiam* et *civitatem*, inter *spiritualistas* et *temporalistas*, inter *gladium justitiæ* et *scutum fidei*: et, quod majus est, in uniuscujusque Christiani pectore inter *Christianum* et *hominem*. Doctores quidem *ecclesiæ* pastores vocantur, sed ita etiam vocantur reges: sed nisi pastor unus alii subordinatus sit, ita ut unus sit pastor summus, doctrinæ docebuntur inter se contrariæ; quarum utraque esse potest, sed altera necessario

XXXIX.

De significatione quam habet in Scripturis Sacris vocabulum *ecclesia*.

xxxix.

De significa-  
tione quam ha-  
bet in Scriptu-  
ris Sacris voca-  
bulum ecclesia.

falsa est. Quis autem summus ille pastor sit juxta leges naturæ, ostensum est superius, nempe, ille cui summa est potestas in civitate : quis autem sit juxta Scripturas Sacras, videbimus in capitibus sequentibus.

---



---

## CAPUT XL.

### DE JURE REGNI DEI IN ABRAHAMO, MOSE, SUMMIS SACERDOTIBUS, ET REGIBUS JUDÆÆ.

PATER fidelium, et per pactum primus in regno Dei, erat Abrahamus. Cum illo primo pactum initum fuit: per quod pactum seipsum et semen suum post se obedire mandatis Dei obligavit, non solum naturalibus, sed etiam illis mandatis quæ Deus supernaturaliter manifesta faceret per somnia et visiones. Legibus enim naturalibus ante tenebatur: ut de illis pacisci opus non esset. Pactus ergo est cum Deo Abrahamus, pro mandato divino habere quicquid in Dei nomine per somnium vel visionem illi imperaretur, et idem familiæ suæ præcipere, et facere ut observarent. In pacto hoc tria veniunt consideranda, maximi momenti in populi Dei gubernatione. Primum, quod in pacti hujus institutione, solum alloquutus est Deus Abrahamum: neque omnino cum familia quicquam pactus est, neque adhuc cum semine, nisi quatenus voluntates eorum intelligantur in voluntate Abrahami comprehensæ esse. Habuit enim jus Abrahamus familiam suam cogendi, ut quæ pro illis promiserat, illi præstarent: juxta id quod legitur Gen. xviii. 18, 19, ubi dicit Deus de Abrahamo, *benedicendæ sunt in illo omnes nationes terræ: scio enim quod præ-*

*cepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant iudicium et justitiam.* Manifestum hinc est illos, quibus Deus immediate loquutus non est, accipere pro legibus Dei eas debere, quas dictaverit is qui summam in eos habet potestatem; sicut et familia et semen Abrahami eas accepit ab Abrahamo patre et domino suo. In omni ergo civitate, qui revelationem supernaturalem non habent in contrarium, legibus ejus, qui summam habet in civitate potestatem, in omnibus actionibus externis circa religionem obedire obligantur. In externis, inquam, actionibus; quia *cogitationes* et fides hominum interna ab humanis rectoribus cognosci non possunt; neque voluntariæ sunt; neque legum, sed potentiæ tantum divinæ effectus sunt; et proinde, sub obligatione cadere non possunt.

Atque hinc oritur notandum secundum, Abrahamo licitum fuisse, si subditorum suorum aliquis visionem vel spiritum vel revelationem divinam contumaciæ suæ, vel novis doctrinis quas Abrahamus vetuerat, prætenderet, hujusmodi homini iisque qui illi adhærebant, pœnas infligere; et per consequens, summis imperantibus illos punire, qui legibus civitatis opponunt spiritum suum privatum, etiam nunc licere. Habent enim in civitate eandem auctoritatem nunc summi imperantes, quam tunc habuit in sua familia Abrahamus.

Deducitur inde tertio, quod sicut solus Abrahamus in familia sua, ita is solus, qui summam habet in civitate Christiana potestatem, scire supponatur quid sit quod Deus loquutus est; id est, solus divini verbi interpret existimandus est.

Idem pactum renovatum erat cum Isaaco, (Gen.

## CAP. XL.

De jure regni Dei in Abrahamo, Mose, summis sacerdotibus, et regibus Judææ.



## CAP. XL.

De jure regni  
Dei in Abra-  
hamo, Mose,  
summis sacer-  
dotibus et re-  
gibus Judææ.

xxvi. 3, 4), et deinde cum Jacobo (Gen. xxviii. 13, 14, 15); postremo (Exod. xix. 5-8) cum Mose et Israelitis ad montem Sinai, ubi facti sunt Israelitæ in regnum Dei peculiare, rexitque eos sub Deo, pro suo tempore, Moses, cui succedere debuerint summi sacerdotes, nempe ut esset regnum sacerdotale in perpetuum.

Per hanc constitutionem, regnum Israelitarum acquisitum est Deo peculiare. Quoniam autem Israelitis imperandi Moses jus ab Abrahamo nulum habuit, unde obligari potuit populus ut illum pro vicegerente Dei diutius haberent, quam colloquiis inter illum et Deum fidem haberent; auctoritas autem Mosis, etsi cum Deo pro illis pactus esset, dependeret a sola quam habebant de sanctitate ejus, et de realitate colloquiorum ejus cum Deo, et de veritate miraculorum quæ operatus est, existimatione: quæ existimatio si mutari contingeret, causa nulla apparebat propter quam, quicquam ab illo in nomine Dei proponeretur, pro lege divina obedire obligarentur: fundamentum obligationis populi Israelitici ad obediendum Mosi, aliud quærendum est. Non enim ut obedirent jussit Deus: nec enim illos alloquutus est, nisi mediante Mose ipso. Dicit autem Christus (Joh. v. 31): *Si testimonium dico de meipso, testimonium meum non est verum.* Auctoritas ergo Mosis, sicut auctoritas cæterorum principum omnium, fundari debuit in consensu populi promittentis obedientiam. Atque ita erat. *Populus enim, (Exod. xx. 18, 19), videbat vocem et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem, et perterriti ac pavore concussi steterunt procul, dicentes Mosi, Loquere tu nobis, et audiemus; non loquatur*

*nobis Dominus, ne forte moriamur.* Hæc sunt verba promittentium obedientiam, et quibus obligaverunt se imperata facere omnia quæ a Deo ipsis imperaret Moses.

Quanquam autem regnum pacto constitutum sacerdotale esset, id est, regnum Aaroni hæreditarium; ipse tamen constitutor ejus Moses, summum imperium pro suo tempore habuisse intelligendus est: quia civitatis cujuscunque constitutor, dum eam constituit, potestatem summam ut necessariam habere debet. Quod autem Moses potestatem illam retinuit, manifestum est ex Scripturis Sacris: nam illi, non Aaroni, obedire populus promiserat. Præterea, (Exod. xxiv. 1, 2): *Mosi dixit Deus; ascende ad Dominum tu, et Aaron, Nadab, et Abiu, et septuaginta senes ex Israel; et adorabitis procul. Solusque Moses ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt; nec populus ascendet cum eo.* Manifestum ergo est, Mosem solum personam Dei gessisse, sine septuaginta illis senibus; illumque solum eo tempore summam habuisse, sub Deo, potestatem. Et (vers. 9, 10): *ascenderuntque Moses, et Aaron, Nadab, et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel, et viderunt Deum Israel, et sub pedibus ejus quasi opus lapidis saphirini, et quasi cælum cum serenum est.* Factum autem est hoc postquam Moses cum Deo loquutus esset, et postquam populo verba Dei renuntiaverat. De populi rebus Deum consuluit solus Moses; qui cum eo erant, honoris tantum causa admissi sunt. Præterea, quod *Deus Mosem alloquutus est* passim legitur, Aaronem rarius. Etiam religionis ceremonias, quæ continentur Exod. xxv.-xxxi. et per totum librum Leviticum, solus ordinavit Moses.

## CAP. XL.

De jure regni Dei in Abrahamo, Mose, summis sacerdotibus, et regibus Judææ.

## CAP. XL.

De jure regni  
Dei in Abra-  
hamo, Mose,  
summis sacer-  
dotibus, et re-  
gibus Judææ.

Vitulum, quem (Exod. xxxii. 3) fecerat Aaron, in ignem (vers. 20) conjecit Moses. Postremo, in controversia de autoritate Aaronis mota ab ejus et Mariæ contra Mosem rebellionem, Deus ipse (Num. xii. 8) jus imperandi adjudicavit Mosis. Etiam in quæstione de jure imperii inter Mosem et congregationem, quo tempore Corah, Dathan, et Abiron, cum ducentis quinquaginta populi principibus, contra Mosem et Aaronem conspiraverunt, (Num. xvi. 3) dixeruntque, *sufficiat nobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini?* fecit Deus, ut terra Corah, Dathan, et Abiron, cum uxoribus et filiis vivos absorberet; ducentos autem et quinquaginta illos proceres consumpsit igne. Neque ergo Aaron, neque populus, neque ex proceribus aristocratia, imperium summum tunc habuere, sed solus Moses; idque non solum in rebus civilibus, sed etiam in rebus divinis. Notandum etiam est quod illis, qui præsumerent in montem Sinai, in quo Deus cum Mose colloquutus est, ascendere, pœnam statuerat Deus mortem. *Constitues, dicit Deus (Exod. xix. 12), terminos populo per circuitum, et dices ad eos: cavete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius; omnis, qui tetigerit montem, morte morietur.* Et rursus (vers. 21): *Descende, et contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo.* Ex quibus verbis concludi potest, illum, qui in civitate Christiana locum habet Mosis, solum esse nuncium a Deo, et mandatorum ejus solum interpretem; neque, in interpretatione Scripturæ Sacræ, cuiquam licere terminos transcendere a summo impe-

rante constitutos. Scripturæ enim Sacræ, in quibus hodie loquitur Deus, sunt instar montis Sinai, in quibus termini sunt positi, nempe leges eorum qui personam Dei in terra repræsentant. Illas aspicere, et inde discere Deum timere, permissum est; sed interpretari, id est, curiose inquirere et scrutari, quid illis, quos Deus rectores nostros fecit, dixerit, et iudices nosmetipsos facere utrum nos ita regant, sicut illos jussit Deus, terminos positos a Deo transcendere est.

Dum vixit Moses, nullus erat in castris Israelitarum propheta, aut spiritus divini ostentator, nisi quos Moses approbaverat, et quibus auctoritatem dederat. Septuaginta tantum prophetasse tunc dicuntur, sed per spiritum Mosis; et quos Moses elegerat. Nam (Num. xi. 16) dicit Deus ad Mosem: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israelis, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri.* His autem spiritum dedit Deus spiritui Mosis conformem, ut constat ex vers. 25: *Descenditque Dominus per nubem, et loquutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Mose, et dans septuaginta viris.* Hujus loci ergo sensus est, septuaginta illos viros spiritum habuisse ipsius Mosis, illique prophetas fuisse subordinatos in administratione regni Dei. Colligo hinc, in civitate Christiana prophetare, aut docere contra doctrinam a summo imperante stabilitam, civi licere nemini.

Mortuo Aarone, regnum, ut quod erat sacerdotale, virtute pacti ad Eleazarum pervenit, filium Aaronis, summum sacerdotem. Atque illum summam habere potestatem declaravit Deus, eo tempore, quo Joshuam ducem fecit exercituum. Dicit

## CAP. XL.

De jure regni Dei in Abrahamo, Mose, summis sacerdotibus, et regibus Judææ.

## CAP. XL.

De jure regni  
Dei in Abra-  
hamo, Mose,  
summis sacer-  
dotibus, et re-  
gibus Judææ.

enim Dominus (Num. xxvii. 18-21): *Tolle Joshuam filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, et pone manum tuam super eum: qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine; et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synogoga filiorum Israelis. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israelis cum eo, et cætera multitudo.* Belli ergo et pacis in sacerdote potestas summa erat. Etiam judiciorum summa potestas penes eundem erat; illi enim libri legis commissa est custodia; sacerdotes et Levitæ soli in rebus civilibus judices subordinati erant: constat ex Deut. xvii. 8, 9, 10. Quod autem ad cultum divinum attinet, quin a summo sacerdote ordinandus esset, nunquam dubitatum est. Potestas ergo civilis et ecclesiastica conjuncta hactenus fuit in una et eadem persona, summo sacerdote.

Post mortem Joshuæ usque ad regnum Sauli, tempore intercedenti nota inditur passim in libro Judicum, *quod illis diebus non erat rex in Israel*, addito quandoque quod *unusquisque faciebat quod rectum erat in oculis suis*. Quod dicitur, *quod non erat rex*, idem est ac si dictum esset, non erat in Israelitis summa potestas. Id quod, si pro exercitio summæ potestatis accipiamus, manifestum est. Nam post mortem Joshuæ et Eleazari (Jud. ii. 10, 11), *surrexerunt alii qui non noverunt Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel: feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim*. Judæorum enim, ut notat S. Paulus, (1 Cor. i. 22), singulare erat, *expectare signum*, id est,

miraculum ; ut a Mose expectarunt, non solum antequam obedire voluerunt, sed etiam postquam obedire se obligassent. Signa autem et miracula finem habent, *fidem facere*, non *fidem servare*. Nam fidem servare obligantur homines lege naturali. Verum, si summæ potestatis non exercitium consideraverimus, sed jus, mansit summa potestas etiam tunc in summo sacerdote. Quæcunque ergo obedientia iudicibus illis, qui a Deo ad liberationem populi sui e manu hostium extraordinarie electi erant, præstita fuerit, in argumentum trahi contra summi sacerdotis summam potestatem non potest, neque in rebus politicis, neque in divinis. Neque enim iudices illi, neque ipse Samuel aliam potestatem habuit, quam extraordinariam et temporariam ; obeditumque illis erat a populo, non ex debito, sed ex reverentia quam genuit in illis gratia divina, in eorum prudentia, fortitudine, vel felicitate, elucescens. Hactenus ergo jus civile et ecclesiasticum extitere inseparabilia.

Judicibus successere reges, et sicut ante in sacerdotibus, ita nunc authoritas utraque in regibus esse cœpit. Populus enim jugum Dei jam excusserant ; sacerdos summus vicem Dei non amplius sustinuit. Mutationi regiminis Deus ipse consentit. Samueli populus (1 Sam. viii. 5) dixerat : *Fac nobis regem qui nos judicet, more omnium gentium*. Samueli autem Deus dixit (vers. 7) : *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi : non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Cum ergo Deum populus Israeliticus, sub quo regnaverant summi sacerdotes, rejecissent ; cessavit authoritas sacerdotum, nec ex eo tempore aliam habuerunt, nisi a rege permissam ; quæ prout reges boni

## CAP. XL.

De jure regni Dei in Abrahamo, Mose, summis sacerdotibus, et regibus Judææ.

## CAP. XL.

De jure regni  
Dei in Abra-  
hamo, Mose,  
summis sacer-  
dotibus, et re-  
gibus Judææ.

aut mali erant, major erat vel minor. Quod autem spectat ad potestatem civilem, manifestum est fuisse penes regem totam. Nam (1 Sam. viii. 20) dicit populus, velle se esse *sicut omnes gentes*, et regem habere qui eos *judicabit*, et eorum *prælia pugnabit*. Totam ergo illi dederunt belli et pacis potestatem. In qua continebatur etiam judicare de cultu Dei; propterea quod nulla erat eo tempore regula religionis præter legem Mosaicam, quæ erat Israelitarum *lex civilis*. Præterea, legimus (1 Reg. ii. 27) Solomonem abstulisse Abiatharo summum sacerdotium. Habuit ergo Solomon jus in sacerdotium; et subditi erant, sicut populus reliquus, summi sacerdotes; id quod suprematus ecclesiastici signum magnum est. Legimus etiam (1 Reg. viii.) Solomonem ipsum templum dedicasse, populo benedixisse, atque orationem illam excellentem orasse qua utuntur hodie omnes qui ecclesias consecrant; quæ nota alia magna est suprematus ecclesiastici. Legimus etiam (2 Reg. xxii.), cum quæstio erat de libro legis, in rudibus templi reperto, quæstionem illam non determinasse summum sacerdotem, sed et ipsum et alios misit rex Josias de ea re ad prophetissam Huldam; quæ alia nota est, suprematum ecclesiasticum fuisse in rege. Postremo legimus (1 Chron. xxvi. 30) regem Davidem Hashabiam, et fratres ejus Hebronitas, ministros constituisse in Israelitis versus occidentem, *in rebus omnibus Domini et in servitio regis*: similiter, (vers. xxxii.), constituisse illum Hebronitas alios rectores Rubenitarum, Gaditarum, et dimidiæ tribus Manassæ, (hi erant Israelitæ qui habitaverunt ultra Jordanem), *in omni re pertinente ad Deum, et de rebus regis*. Nonne est potestas hæc, tum

*temporalis*, tum, ut vocant illi qui potestatem summam vellent dividere, *spiritualis* plena? Ab ipso denique initio regni Dei usque ad captivitatem, suprematus in rebus divinis in eadem semper manu erat, in qua erat summa potestas civilis. Sacerdotium autem post electum Saulum in regem, non erat magisteriale, sed ministeriale.

Quamquam autem potestatem summam civilem et ecclesiasticam hactenus semper conjunctas esse, quoad jus, manifestum fecimus; non tamen sequitur neque ex Scriptura Sacra, neque ex ratione naturali, jus illud intellexisse populum. Vulgus enim non nisi in rebus suis privatis ratione utitur; nec diutius obedire solet, quam aut miracula, aut, quod miraculo fere par est, in rectoribus suis vim egregiam, aut in rebus gestis felicitatem extraordinariam aspiciunt. Judæi ergo, postquam Moses et Joshua mortui essent, neque famam neque cum Deo colloquia sacerdotum magni æstimaverunt; sed quandoque politiam, quandoque religionem criminantes, rectoribus suis obedientiam negaverunt. Atque inde turbæ, seditiones, et calamitates perfectæ sunt, quæ Israelitarum gentem tandem everterunt. Mortuis enim Eleazaro et Joshua, Judæi, qui miracula non viderant, neque se sacerdotalis regni pacto obligatos esse intelligentes, imperium sacerdotis et leges Mosaicæ parvi pendentes, fecerunt unusquisque quod rectum videbatur sibi, illisque obediverunt quos ipsi idoneos esse putaverunt qui se, quoties a vicinis gentibus opprimerentur, liberarent. Itaque non amplius Deum consuluerunt, sed virum vel feminam aliquam futurorum prædictorem, et huic obedientiam et honorem præstiterunt, ut prophetæ a Deo. Etiam postea, cum

## CAP. XI..

De jure regni Dei in Abrahamo, Mose, summis sacerdotibus, et regibus Judææ.



## CAP. XL.

De jure regni  
Dei in Abra-  
hamo, Mose,  
summis sacer-  
dotibus, et re-  
gibus Judææ.

regem sibi dari, more gentium, postularent, id tamen non eo consilio fecerunt ut cultum Dei pristinum desererent, sed quia justitiam a filiis Samuelis desperantes, voluerunt judicia civilia a rege administrari, non quod ceremonias Leviticæ abolitas vellent. Itaque prætextum semper aliquem sibi reservarunt, vel a justitia vel a religione, quo se obedientia rectoribus suis debita expedirent. Succensuit populo Samuel quod regem, rejecto Deo, postularent; idem, quando Saulus consilium suum in occidendo Agag, juxta mandatum Dei, neglexerat, alium regem unxit, nempe Davidem, qui Sauli hæredes regno privaret. Rehoboam *idololatra* quidem non erat, sed populus, quia videbatur sibi regnare duriuscule, ab eo defecit. Per totam denique historiam regum Judææ et Israelis, prophetæ surrexerunt indies, qui reges criminati sunt, aliquando quod religionem, aliquando quod statum civilem male administrarent. Sic rex Jehosaphat reprehensus est a propheta Jehu, quod regem Israelis adjuvasset contra Syrios; et rex Hezekias ab Isaiah, quod thesaurum regum ostendisset legatis Babylonicis. Constat ergo, etsi utrumque jus rerum civilium et divinarum esset in regibus, neminem tamen fere regum illorum jus suum sine reprehensionibus populi potuisse exercere. Illi soli reges, quorum vis terribilis aut felicitas admiranda erat, vixerunt laudabiliter. Cum ergo et jus regum manifestum sit, et populus, atque etiam aliquando ipsi prophetæ, id non intelligant; jura regum, exemplis ductis ab ignorantia populi, vel a doctrina prophetæ, oppugnari iniquum est. Judæi durante captivitate civitatem omnino non habuere. Post reditum autem, etsi pactum cum Deo renovarunt,

non tamen aut Esdræ aut alii cuiquam promiserunt obedientiam. Deinde, non multo post subditi facti sunt Græcorum; a quorum dæmonologia, cum doctrina cabalistarum mista, eorum religio insigniter corrupta est: ita, ut a confusione tum politiæ, tum religionis eorum, de suprematu in utraque colligi nihil possit. Quantum ergo attinet ad Testamentum Vetus, nihil impedit quin concludamus, tum summam potestatem civilem, tum suprematum in rebus divinis, semper in una et eadem persona fuisse conjunctos.

## CAP. XL.

De jure regni Dei in Abrahamo, Mose, summis sacerdotibus, et regibus Judææ.

## CAPUT XLI.

## DE SERVATORIS NOSTRI BENEDICTI OFFICIO.

OFFICII Servatoris nostri reperimus in Scripturis sacris tres partes; primam *Redemptoris*, sive *Servatoris*; secundam *Pastoris*, sive *Consiliarii*, id est missi Deo ad conversionem electorum prophetæ: tertiam *Regis*, *æterni Regis*; sed sicut Moses, et temporibus suis summi sacerdotes, sub Patre suo. Atque his tribus partibus respondent tria tempora. Nam in primo ejus adventu, per sui ipsius propter peccata nostra oblationem in cruce nos redemit: conversionem nostram operatus est, partim ipse, dum erat in terris, docendo; partim operatur nunc usque per ministros suos. Post adventum ejus secundum regnabit super electos suos, et regnum ejus durabit in æternum.

Ad *officium* redemptoris, id est, illius, qui redemptionis pretium solvit, pertinuit, ut victima fieret, et iniquitates nostras ferret auferretque. Quod tamen ita intelligendum est, non ut pro pec-

## CAP. LXI.

De Servatoris  
nostri bene-  
dicti officio.

catis omnium hominum unius hominis mors, quam justissimi, secundum justitiæ strictas regulas posset satisfacere; sed quia quod Deus summe misericors in pretium redemptionis lege postulaverat, illud Christus præstitit. In lege veteri, ut legimus Levit. xvi., jussit Deus, pro peccatis Israelis, tum sacerdotum tum populi, quotannis fieri reconciliationem hoc modo. Aaron pro se et sacerdotibus sacrificare debebat vitulum; acceptis autem a populo duobus hircis, alterum pro populo sacrificare, alterum *emittere*, qui vocabatur *hircus emissarius*. Super caput hujus, antequam emittendus esset, imposuit manus suas sacerdos summus, et per confessionem peccatorum populi peccata illa omnia in caput hirci imposuit, et deinde per hominem aliquem opportunum hircum emittebat in desertum, ut peccata populi fugiens absportaret. Sicut autem sacrificium alterius hirci pretium redemptionis Israel sufficiens erat, quia majus non postulabatur; ita quoque mors Christi pro peccatis totius humani generis ideo satisfecit, quia nihil amplius a Deo postulatum est. Atque Servatoris nostri Passio non minus videtur his ceremoniis perspicue præfigurata, quam in oblatione Isaaci aut quovis alio ejus typo in Testamento Vetere. Erat enim Christus non modo victima, sed etiam emissarius. Dicit Isaias (liii. 7): *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* En hircum sacrificatum! Idem, (propheta dicam, an evangelista?) vers. 4: *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et vers. 6: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Ecce

emissarium! Deinde vers. 8: *Abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussus eum.* Hic rursus est hircus sacrificatus. Deinde vers. 11: *Et ipse peccata multorum tulit.* Ubi rursus emissarius. Utrumque ergo hircum unus valet agnus Dei, sacrificatus in cruce; mortem in resurrectione ejus superans, a Patre suo opportunè suscitatus; et a terra viventium remotus in ascensione.

Quoniam autem *Redemptor* jus in redemptum, antequam pretium solutum sit, nullum habeat, manifestum est *Servatorem* nostrum, ante mortem suam, *redemptorum* regem non fuisse. Veruntamen per pactum cum Deo in baptismo renovatum, obligati sunt, quicumque baptizantur, Christo obedire pro rege sub Patre ejus, tunc quodcumque illi placuerit officium regis exercere. Itaque Servator noster ipse disertis verbis, (Joh. xviii. 36), *regnum meum, inquit, non est hujus mundi.* Quoniam ergo post hunc mundum mundus futurus ille est, in quo terra nova, et cœli erunt novi, id est, post resurrectionem, manifestum est regnum Christi ante resurrectionem incepturum non esse. Id quod intelligi etiam debet ex verbis Servatoris nostri (Matth. xvi. 27): *Filius hominis veniet in gloria Patris sui, cum angelis suis: et tunc retribuet unicuique secundum opera sua.* Jam retribuere unicuique secundum opera sua, idem est quod regnum administrare; et propterea, Christus regnum exerciturus non est antequam veniat in gloria Patris, nempe post resurrectionem universalem. Quando Christus dicit (Matth. xxiii. 2, 3): *Scribæ et Pharisei sedent in cathedra Mosis: omnia ergo quæcunque facere jubent, ea observate et*

CAP. XLI.

De Servatoris  
nostri bene-  
dicti officio.

## CAP. XLI.

De Servatoris  
nostri bene-  
dicti officio.

*facite*: nonne aperte pro eo tempore, non sibi summam potestatem, sed illis attribuit? Sic etiam facit (Luc. xii. 14): *Quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Item (Joh. xii. 47): *Non veni ad judicandum, sed ad salvandum mundum.* Attamen in hunc mundum venit Christus ut regnaret et judicaret, sed mundum futurum. Cum enim esset Messiah, id est, unctus sacerdos, et propheta Dei supremus, potestatem habere omnem oportebat illum, quam habuerat aut Moses propheta, aut summi sacerdotes, aut qui summis sacerdotibus successerunt reges. Item expresse dicit Sanctus Johannes, (cap. v. 22): *Pater judicat neminem, sed iudicium omne commisit filio.* Neque tamen repugnat hoc cum textu illo, *non veni ad judicandum mundum.* Nam textus hic de mundo præsentate, alter de mundo venturo loquitur; sicut etiam textus ille (Matth. xix. 28), ubi Christus dicit: *Vos qui sequuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israelis.*

Si Christus ergo, quando in terra versabatur, regnum in hoc mundo non haberet; quæ causa erat (rogabit aliquis) adventus primi? Venisse, respondeo, ut Deo Patri per pactum novum restitueret regnum, quod a populo in electione Sauli relictum fuerat. Quod ut faceret, oportebat illum manifestum facere prædicando et docendo quod ipse Messias erat a prophetis promissus; et pro peccatis hominum victimam se offerre, et siquidem a populo Judæo non reciperetur, vocare ad obedientiam ex gentibus omnes qui in eum crederent. Itaque officii Servatoris nostri, dum versatus est in

terra, duæ erant partes : altera, ut se Christum esse profiteretur ; altera, ut per doctrinam suam et per operationem miraculorum populum persuaderet pararetque ita vivere, ut digni essent immortalitatis, qua illi, qui in eum crederent, fruituri erant in adventu ejus secundo. Atque ob hanc causam est, quod tempus prædicationis ejus ab ipso vocatur *regeneratio*. *Regeneratio* autem regnum non est, neque ergo causa inde adduci potest qua minus cives in quacunque civitate legibus civilibus obedire tenerentur. Etiam in cathedra Mosis eo tempore sedentibus obedientiam præstari, et Cæsari tributum solvi jussit. Populus tunc sub regnum Dei non actu erant ; arrabonem introitus in regnum Dei futurum habuerunt, qui crediderunt ; et propterea status ille vocatur aliquando *regnum gratiæ*, id est, civitatis cœlestis non possessio, sed jus.

Hactenus nil factum aut dictum est a Christo, quod ad diminutionem tendit juris civilis Judæorum aut Cæsaris. Nam quod attinet ad Judæos, Christum omnes expectabant, et renovationem regni Dei : id quod non fecissent, si legibus suis, ne, cum advenerit, manifestaret se illum esse, prohibitum fuisset. Cum ergo nihil fecit, nisi quod prædicando et operando miracula *Messiam* se esse probare conatus sit, nihil fecit contra Judæorum leges. Regnum quod postulavit sibi, erat futurum in alio mundo : docuit interea obedientiam illis, qui cathedram Mosis possederunt, præstandam esse : Cæsari tributum solvendum esse confirmavit : officium judicis in se non suscepit. Quomodo igitur aut verba aut actiones ejus potuerunt esse seditiosæ, aut tendere ad regiminis civilis sub-

VOL. III.

A A

CAP. XLII.

De Servatoris  
nostri bene-  
dicti officio.

## CAP. XLI.

De Servatoris  
nostri bene-  
dicti officio.

versionem? Sed Deus, qui illum, propter reductionem electorum ad obedientiam suam pristinam, ad sacrificium destinaverat, ad eum finem malitia et ingratitude hominum infidelium usus est. Quod autem leges Cæsaris non violavit, in confesso erat. Quanquam enim Pilatus, ut gratiam iniret Judæorum, crucifigendum illum tradiderit; ante tamen insentem illum palam pronuntiavit.

Quod attinet ad officium ejus regium, ostensum ante est regnum ejus incepturum non esse ante diem judicii. Tunc vero rex erit, non tantum ut Deus, sed etiam ut homo, virtute pacti novi quod in baptismo factum est; et propterea dicit Servator noster, (Matth. xix. 28), quod apostoli ejus sedebunt super duodecim thronos, et judicabunt duodecim tribus Israelis, tunc *cum Filius hominis sedebit in throno gloriæ suæ*; et (Matth. xvi. 27), *Filius hominis veniet in gloria Patris sui, cum angelis; et tunc retribuet unicuique secundum opera sua*. Idem legimus Marc. xiii. 26; et xiv. 62: et expressius Luc. xxii. 29, 30: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeat super thronos, judicantes duodecim tribus Israelis*. Unde manifestum est, regnum, quod Christo disposuit Pater, non futurum esse antequam Filius hominis veniat in gloria, apostolosque suos judicare faciat duodecim tribus Israelis. Sed quæri hic potest, cum in regno celesti nulla futura sint matrimonia, utrum homines edent et bibent; et quid per *edere* et *bibere* hoc loco intelligendum est. Explicat hoc Servator noster (Joh. vi. 27): *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis*.

Itaque per *edere* et *bibere* super mensam Christi, intelligitur vita æterna, sive arbor vitæ, quæ præbebitur in regno Filii hominis. Atque hæc loca sufficiunt ad probandum regnum Christi administrandum esse ab eo in natura sua humana post resurrectionem. Etiam tunc, non aliter rex erit quam sub Patre suo, sicut Moses in deserto, et ut sacerdotes summi ante regnum Sauli, et sicut reges post illum. Sic enim dicit Deus (Deut. xviii. 18), Mosem alloquens: *Suscitabo illis prophetam ex medio fratrum suorum, similem tibi, et ponam verba mea in ore ejus.* Similitudo autem hæc cum Mose apparet etiam in Servatoris nostri actionibus. Sicut enim Moses elegit duodecim principes tribuum, qui sub se regerent; ita Servator noster duodecim elegit apostolos, qui sedebunt super duodecim thronos, et judicabunt duodecim tribus Israelis. Et sicut Moses auctoritatem dedit septuaginta senioribus prophetandi ad populum; ita Servator noster septuaginta ordinavit discipulos ad prædicandum. Et sicut, coram Mose cum quereretur quidam, esse qui, præter septuaginta seniores, prophetarent in castris, Moses factum eorum approbavit; ita Servator noster, conquerente Joanne quod essent qui in nomine ejus ejiciebant dæmonia, factum approbavit, dicens (Luc. ix. 50), *ne prohibe; nobiscum enim est qui non est contra nos.*

Etiam in institutione *sacramentorum*, tum *admissionis* in regnum Dei, tum *commemorationis*, Servator noster Mosem et Abrahamum imitatus est. Sicut enim populus Israeliticus habuit pro sacramento admissionis in regnum Dei ritum circumcisionis, ita habent Christiani ritum baptismi; quo usus est, primo, Johannes Baptista in recep-

CAP. XLI.

De Servatoris  
nostri bene-  
dicti officio.



## CAP. XLI.

De Servatoris  
nostri bene-  
dicti officio.

tione eorum omnium, qui nomina dederunt Christo. Eodem ritu, Servatoris nostri jussu, usi sunt apostoli et ministri Christi omnes usque hodie. Quam habuit ritus baptismationis originem primam, in Scripturis Sacris non declaratur. Sed imitationem fuisse legis Mosaicæ circa leprosos, conjectura est non improbabilis. Leprosos enim extra castra Israelis custodiri jubebat lex, donec a sacerdote pronuntiarentur mundi, et tunc solenniter lavati in castra denuo recipiebantur. Potest ergo esse, ut typus hic fuerit lavacri baptismalis; in quo, qui per fidem a peccati lepra mundati erant, recipiebantur in ecclesiam. Est etiam conjectura ducta a ceremoniis ethnicorum, sed in casu quodam rarissime contingente. Quando enim aliquis, pro mortuo habitus, vitam recepisset, cæteri homines conversationem cum illo, tanquam cum spectro, horruerunt, nisi ante in numerum hominum per lavationem reciperetur, eo modo quo infantes recens nati ab immunditia materna lavari consueverunt; atque hoc pro regeneratione quadam habebatur. Ritus autem hic in Judæam videtur irrepsisse temporibus illis, quibus Alexander et successores ejus in Judæis dominabantur. Veruntamen, quia ritum gentilem Servatorem nostrum tanto honore dignari voluisse, probabile non est; ritum baptismi imitationem fuisse legis Mosaicæ, mihi quidem videtur esse verisimile. Sacramentum autem cœnæ Dominicæ, veteris paschæ imitatio manifesta est. Sicut enim agni paschalis esus, commemoratio erat liberationis populi Israelitici a servitute Ægyptiaca; ita etiam in cœna Dominica, fractio panis sacramentalis, et vini effusio, commemoratio est liberationis per mortem Christi a servitute peccati.

Quoniam ergo autoritas Mosis subordinata erat, et ipse Dei prorex, sequitur etiam Christum, cujus autoritas, in quantum erat homo, erat similis auctoritati Mosis, sub Deo Patre suo regnaturum esse. Id quod significatur etiam in eo quod precari nos docuit, *Pater noster, adveniat regnum tuum; et tuum est regnum, potentia, et gloria;* et ex eo quod dicitur, *veniet in gloria Patris sui;* et ex eo quod dicit Sanctus Paulus (1 Cor. xv. 24), *deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri;* et ex aliis locis nonnullis.

## CAP. XLI.

De Servatoris  
nostri benedi-  
dicti officio.

## CAPUT XLII.

## DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

UT intelligatur *potestas ecclesiastica*, quid sit, et quorum hominum, tempora nobis distinguenda sunt ab ascensione Christi in partes duas; alteram ante, alteram post, quam reges ulli, vel cœtus summa potestate præditi, Christi fidem amplexi essent. Spatium enim erat plusquam trecentorum annorum, a Christi assumptione, ad regem, qui primus Christianam fidem amplexus, et publice doceri passus est.

De priori tempore, in confesso est potestatem ecclesiasticam totam fuisse in apostolis; et ab his transiisse ad eos qui ab apostolis ad homines ad Christi fidem perducendos, perductosque in via salutis retinendos ministri Evangelii constituti fuerant. Quibus successere alii ab his itidem instituti, per manuum impositionem; quo ritu significare voverunt Spiritus Sancti donum in ministros illos, ad regnum cœleste promovendum, collatum esse. *Manuum* autem impositio nil aliud erat, præter commissæ illis potestatis prædicandi Christum doctri-

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

namque ejus docendi sigillum ; et erat imitatio quædam Mosis. Hic enim impositione manuum usus est, cum ministrum suum Joshuam ducem exercituum Dei constitueret ; ut legere est, Deut. xxxiv. 9 : *Ac Joshua filius Nun plenus erat spiritus sapientiæ ; nam Moses manus super illum imposuerat.* Servator autem noster, inter resurrectionem suam et assumptionem, spiritum suum contulit in apostolos, primum (Joh. xx. 22) spirando in eos, dicendo *accipite Spiritum Sanctum* ; et postea (Act. ii. 2, 3) cum jam assumptus esset in cælum, immitendo in illos *flatum violentem, et dispersitas linguas instar ignis* : sed manus illis non imposuit, sicut nec Mosis Deus. Dum ergo nulla esset civitas Christiana, quorum hominum erat potestas ecclesiastica manifestum est, nempe apostolorum, illorumque quibus ab apostolis per manuum successivam impositionem concessa erat ; etiam, ut tantæ potestati idonei essent, in eosdem Spiritus Sanctus, qui et *Paracletus* dicitur, simul collatus est.

Cardinalis Bellarminus, in controversia sua generali tertia, quæstiones multas tractat circa potestatem ecclesiasticam pontificis Romani. Quarum prima est, an potestas illa *monarchica* sit, an *aristocratica*, an *democratica* : quæ potestatum species singulæ summæ sunt, continentque potestatem coercivam. Si jam apparuerit, potestatem coercivam illis a Servatore nostro relictam esse nullam, sed potestatem tantum prædicandi Christum regem ; persuadendique ut regno ejus homines submittere se vellent ; præceptisque et consilio recto docendi eos, qui submitterent, quid facerent ut in regnum Dei futurum reciperentur ; et apostolos aliosque ab illis Evangelii ministros imperatores no-

bis non esse, nec eorum præcepta leges esse; sed ludi magistros illos esse, quorum præcepta monita tantum sunt: hæc Bellarmini disputatio tota periit.

CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.

Ostensum autem est, capite proxime superiore, regnum Christi non esse ex hoc mundo; neque ergo ministri ejus, nisi reges sint, obedientiam præstari sibi in nomine ejus postulare jure possunt. Nam si is, cujus jure postulant jus regium, in hoc mundo regnum non habuit, quo jure imperium habebunt ministri ejus? *Sicut Pater*, dicit Christus, (Joh. xx. 21), *misit me, ita ego mitto vos*. Sed Christus missus est ad Judæos revocandos ad regnum Dei, et vocandas gentes; non autem ut regnaret in majestate ante diem judicii.

Tempus autem inter assumptionem Christi et resurrectionem universalem, nusquam vocatur regnum, sed *regeneratio*, id est, præparatio et aptatio hominum ad adventum Christi secundum cum gloria, nempe ad diem judicii; ut apparet ex verbis Christi (Matth. xix. 28): *Vos qui sequuti me estis in regeneratione, cum sederit Filius hominis in throno, vos quoque sedebitis super duodecim thronos*: et ex verbis S. Pauli (Ephes. vi. 14, 15): *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparationem Evangelii*.

Etiam officium ministrorum *piscationi*, id est, hominum ad obedientiam non per coactionem et pœnas, sed per consilium *conductioni*, non ventioni comparat. Ministrorum Christi opus evangelizatio est, id est, prædicatio Christi, hominumque ad secundum ejus adventum præparatio; sicut evangelizatio Johannis Baptistæ erat præparatio hominum ad adventum ejus primum.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Porro, ministrorum Christi officium in hoc mundo erat, ut homines credere in Christum persuaderent. Credere autem cogi nemo potest, neque jussu neque vi, sed ratione tantum, argumentisque ductis vel a ratione vel ab aliqua re quam jam ante crediderint. Ministri ergo Christi in hoc mundo, eo nomine quod illorum doctrinæ non sit creditum, vel quod sit contradictum, potestatem non habent quamquam puniendi: eo nomine, inquam, quod ministri Christi sunt, potestatem coercivam nullam habent. Veruntamen si quis potestatem civilem summam habeat, sitque idem minister Christi, punire illos, qui doctrinæ suæ legibus explicatæ contradicunt, jure ille poterit. Etiam S. Paulus de seipso cæterisque sui temporis prædicatoribus, *non habemus, inquit (2 Cor. i. 24), dominium in fidem vestram, sed gaudii vestri adjutores sumus.*

Quod ministri Christi in hoc mundo jus imperandi non habeant, deduci potest argumentum etiam ab autoritate legitima, quam reliquit Christus principibus omnibus, tum Christianis, tum ethnicis. Coloss. iii. 20, dicit S. Paulus: *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino: et (vers. 22): Servi obedite dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum.* Dicta autem hæc sunt ad eos quorum domini erant ethnici; jubentur tamen obedire *in omnibus.* Rursus, de obedientia principibus debita dicit (Rom. xiii. 4, 5): *Dei enim minister est princeps, vindex in iram ei, qui malum agit: ideoque necessitate subditi estote; non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et Sanctus Pe-

trus (1 Epist. ii. 13-15) : *Subjecti estote omni humanæ constitutioni propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ; quia sic est voluntas Dei.* Et S. Paulus (Tit. iii. 1) : *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, et dicto obedire.* Principes autem et potestates, de quibus Petrus et Paulus hic loquuntur, omnes erant ethnici. Quanto ergo magis Christiani principibus suis Christianis obedire debent ! Quo jure ministro Christi, si quid facere contra mandata regis aliusve summæ potestatis juberet vel doceret, illi obedire obligamur ? Perspicuum ergo est Christum ministris suis in hoc mundo, nisi etiam autoritate civili præditi sint, jus civibus imperandi nullum concessisse.

CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.

Quid autem, inquiet aliquis, si rex, vel senatus, aut quicumque summam in civitate habet potestatem, credere in Christum prohiberet ? Respondeo, prohibitionem talem frustaneam ideo esse, quia *credere et non credere* non sequuntur imperata hominum, qui an credamus necne scire non possunt, nec si scirent, mutare. Fides est donum Dei, quam promissis præmiis aut pœnarum comminatione neque dare neque tollere potest homo. Si porro quærat, quid, si jubeamur a principe nostro legitimo dicere, quod non *credimus*, obediendumne est ? Respondeo, vocem hominis rem externam esse, neque significare obedientiam proferentis posse, magis quam alius quicumque gestus corporeus ; et Christianum hominem in rebus hujusmodi, si corde in Christum credat, eandem habere libertatem, quam concessit Naamano Syro propheta Elisha. Conversus erat Deo Israelis in corde suo Naamanus ;

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

dixitque (2 Reg. v. 17, 18) : *Non faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino : hoc autem solum est de quo depreceris dominum pro servo tuo : quando ingredietur dominus meus in templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Hoc illi propheta concessit, (vers. 19), respondens : *vade in pace.* Naamanus hic credidit in corde Deum verum ; adorando autem videri voluit non credidisse, ne offenderet regem suum. Quid ergo respondebimus ad verba Servatoris nostri (Matth. x. 33) : *Quicumque negat me coram hominibus, ego negabo illum coram Patre meo, qui est in caelis ?* Respondebimus, illum, qui subditus est ut erat Naamanus, et a rege suo aliquid, quodcunque id sit, facere coactus est, ita ut non sponte sua, sed in ordine ad obedientiam legibus patriis faciat, factum illius non esse, nec illi imputandum, sed regis, id est, civitatis factum esse, et legibus imputandum ; neque illum esse, sed regem suum, qui negavit Christum. Si quis doctrinam hanc cum Christianitate sincera non satis consentire dicat : libenter ab illo doceri velim, si in civitate Christiana contingeret habitare Mahometanum aliquem, eundem civem ; illumque civitatis illius rex adorare Deum ritu Christiano in ecclesia juberet sub mortis poena ; utrum is Mahometanum illum in conscientia mortem pati obligatum esse diceret, potius quam legi patriæ suæ obedire. Si dicat debere mori, privatis civibus omnibus libertatem concedit, pro religione sua privata, sive vera sive falsa, obedientiam regibus suis legitimis denegare. Si dicat de-

bere adorando obedire, tunc sibi permittit et jus postulat quod aliis negat : quod est verbis Servatoris nostri contrarium, dicentis, (Luc vi. 31), *quicquid vultis ut faciant vobis homines, id facite illis* ; et contra legem naturæ, quæ est lex Dei æterna et indubitata, *ne facias alteri, quod tibi fieri non vis*.

CAP. XLII.  
De potestate  
ecclesiastica.

Quid ergo dicemus de martyribus illis omnibus, de quibus legimus in historiis aliisque legendis ? An, quod vitas suas sine necessitate projecerunt ? Respondebimus, homines, qui religionis causa occisi sunt, distinguendos esse. Eorum enim, alii ad prædicandum vocati et missi fuerant, et regnum Christi palam profiteri in se receperant : alii rursus vocati non erant, neque ab iis requirebatur amplius quam sua cujusque fides propria. Priores, si mortem passi sunt eo nomine, quod huic articulo, Jesum a morte resuscitatum esse, testimonium præbuerunt, martyres proprie dicti erant. Martyr enim Christi proprie est ille, qui resurrectionis Jesu Christi testis est ; id quod testari nemo potuit, nisi qui versatus cum eo erat in terra, aut post resurrectionem ejus illum viderat. Testem enim vidisse oportet quod testatur ; alioqui testimonium ejus idoneum non est. Quod autem alii martyres Christi proprie non sint, manifestum est ex verbis Sancti Petri (Act. i. 21, 22) : *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptisate Johannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis*. Ubi perspicue significatur, qui Christi resurrectionis testis est, eundem oportere Christum vidisse, et per consequens,



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

quod resurrexerit certo scisse. Alioqui amplius testari non potest, quam quod ex antecessoribus suis id audierit; neque martyr est nisi martyrur, id est martyr secundarius.

Qui autem ad unamquamque doctrinam, quam ipse ab historia vitæ Christi, vel ab actis aut epistolis apostolorum deduxerit; et qui, privati hominis authoritati confisus, leges civiles violare ausus fuerit, is ab honore martyris Christi, tum primarii tum secundarii, longe abest. Unicus articulus fidei est, pro quo mori martyris nomen honorificum meretur. Est autem articulus ille, *Jesum esse Christum* id est, illum, qui nos morte sua redemit, et venturus iterum est, et nobis in regno cœlesti vitam æternam procuraturus est. Pro omni doctrina quæ lucro vel ambitioni inservit ministrorum, non requiritur ut moriamur; neque mors est quæ martyrem, id est testem, facit, sed testimonium; neque in verbo, martyr, amplius continetur, quam in verbo testis.

Præterea, si quis ad articulum illum prædicandum missus non fuerit, sed consilio suo facit, etsi testis sit Christi primarius, vel apostolorum, discipulorum, vel successorum illorum; non tamen ob eam rem mortem pati obligatur; quia, nec vocatus, nec missus fecit; nec, si forte præmium expectatum non acceperit, conqueri jure potest. Martyr enim neque primi neque secundi gradus esse potest, nisi ad prædicandum Christum authoritatem potestatemque legitimam habeat, ut habent qui ad convertendas gentes infideles mitti solent. Nam iis, qui jam crediderint, teste opus non est, sed illis solis qui negant, dubitant, vel non audierunt. Apostolos discipulosque suos ad prædicandum evan-

gelium misit Christus ad non credentes; *Mitto vos*, inquit (Matth. x. 16), *quasi oves ad lupos*; non dicit, quasi ad alias oves.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Videamus jam ministrorum Christi mandata, ut reperiuntur in evangelio, an jus aliquod contineant in populum imperandi.

Legimus primo, (Matth. x. 6), missos esse apostolos *ad oves, quæ perierunt, domus Israel*; quid autem prædicaturos? *Regnum Dei appropinquat*. Prædicare autem actus præconis est, regem aliquem proclamantis: neque jus imperandi in quemquam habet præco. Et (Luc. x. 2), septuaginta discipuli, ut operarii, non ut domini, ad messem emissi sunt, et jussi (vers. 9) prædicare *appropinquat regnum Dei*. Et (Matth. xx. 28) discipulos suos, qui inter se de dignitate contendebant, admonet Servator noster, officium eorum ministeriale esse, sicut ipse venit, non ut sibi ministraretur, sed ut ministraret. Itaque prædicatores evangelii potestatem magisterialem non habent, sed ministerialem tantum. Et (Matth. xxiii. 10), *ne vocamini*, dicit Christus, *magistri; unicus enim vobis est magister*.

Secundo, (Matth. xxviii. 19), in mandatis eorum est, *docere omnes nationes*. Docere autem, et prædicare conjuncta sunt. Nam qui regem prædicant sive proclamant, eodem tempore docent quo jure regnum habet. Ut S. Paulus (Act. xvii. 2, 3) fecit apud Judæos qui erant in Thessalonica, nempe, tribus sabbatis cum illis ex Scripturis disseruit explicans illas, et probans ex illis Christum mori oportuisse et resurrexisse, et Jesum esse Christum. Sed docere ex Veteri Testamento Jesum esse Christum et a mortuis resuscitatum, non est docere illos, qui

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

crederent, docentibus sibi obediendum esse contra civitatis suæ leges et mandata regum, sed admonere eos ut adventum Christi, cum patientia et fide et cum obedientia legibus civitatis debita, vellent expectare.

Mandatum illis datum est (Matth. xxviii. 19) a Christo tertium, *baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Quid autem est baptizari? In aquam immergi. Sed in aquam in nomine aliquo immergi, quid est? Sensus verborum horum est, immergi fideles ut signum regenerationis; et quod qui sic immerguntur, fideles se in civitate Dei cives futuros esse, nempe, in civitate Dei *Patris*, ecclesiæ fundatoris; Dei *Filii*, ejusdem ecclesiæ redemptoris; Dei *Spiritus*, ecclesiæ ejusdem sanctificatoris. Hoc est pactum nostrum. Quoniam tamen regum terrenorum autoritas ante diem judicii deponenda non est: (sic enim expressis verbis a S. Paulo affirmatur 1 Cor. xv. 22, 23, 24: *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus; deinde ii qui sunt Christi, qui in adventum ejus crediderunt; deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem*): manifestum est, in baptismo nostro non constituere nos in nosmetipsos autoritatem aliam, qua vitæ nostræ actiones externæ regendæ sunt; sed promittimus tantum pro directione nostra in via salutis æternæ doctrinam sequi apostolicam.

Quarto, in mandatis, potestatem habent peccata *remittendi et retinendi*, id est, *ligandi et solvendi*; quæ potestas dicitur etiam regni cœlestis *claves*,

cohæretque cum autoritate baptizandi. Est enim baptismus fidelitatis, illis qui in regnum Dei recipiendi sunt, sacramentum. Sicut enim vita æterna per peccati commissionem, amissa erat; ita per peccatorum remissionem, recuperanda est. Finis ergo baptismi est peccatorum remissio. Itaque S. Petrus, illis, qui die Pentecostes ab illo conversi erant, quid facerent ad vitam æternam adipiscendam quærentibus, respondit (Act. ii. 38): *Pœnitentini, et baptizamini in nomine Jesu ad remissionem peccatorum.* Ex eo, quod baptizare est declarare receptum esse baptizatum in regnum Dei, et baptismum negare est declarare e regno Dei exclusionem, sequitur potestatem receptionis et exclusionis datam esse apostolis et successoribus suis. Itaque Servator noster postquam in illos spirasset, addidit (Joh. xx. 22): *Accipite Spiritum Sanctum; et versu proximo, Quorumcunque peccata remiseritis, remittuntur illis, et quorumcunque peccata retinueritis, retinentur.* Quibus verbis conceditur autoritas peccata remittendi et retinendi non simpliciter et absolute, sicut peccata remittit et retinet, qui cordis humani intima et pœnitentiæ sinceritatem videt, Deus; sed conditionaliter, nempe, si vere pœnituerint.

Atque hæc absolutio illis, qui pœnitentiam simulant, sine omni absolventis sententia, irrita est, neque ad salutem omnino valet, sed contra ad peccati aggravationem. Apostoli ergo et eorum successores pœnitentiæ notas exteriores tantum sequi debebant; et illis apparentibus, potestatem non absolvendi nullam habuerunt; non apparentibus, absolvere non potuerunt. Idem etiam dicendum est de baptismo: nam Judæo aut Græco ad fidem

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

converso, baptismum negandi potestatem ne apostoli quidem habuerunt, nec pœnitentem non baptizandi. Quoniam autem pœnitentia alterius an sincera sit necne, homo nullus scire potest nisi per conjecturam ex notis externis, altera orietur quæstio, notarum externarum pœnitentiæ quis iudex constitutus est. Quæstionem autem hanc determinat Christus ipse dicens (Matth. xviii. 15, 16, 17): *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic ecclesiæ; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Constat hinc, iudicium circa pœnitentiæ sinceritatem, non penes unum hominem, sed penes ecclesiam fuisse, id est, penes fidelium congregationem, vel penes illos qui congregationis gesserint personam. Præter quæstionis hujus iudicium, etiam sententiæ pronuntiatio necessaria erat; atque hæc pronuntiatio sententiæ, apostoli, vel pastoris alicujus erat, ut congregationis prolocutoris; et de illis dici intelligitur a Christo (vers. 18): *Quodcunque ligaveritis in terra, ligabitur in cælo; et quodcunque solvetis in terra, solvetur in cælo.* Et (1 Cor. v. 3-5) dicit Sanctus Paulus: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam iudicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi hominem Satanæ.* Tradere Satanæ, idem est quod ex ecclesia ejicere hominem cujus non essent peccata remissa. Sententiam

ergo pronuntiavit Paulus, sed postquam causam cognovisset congregatio. Eodem capite (vers. 9-12): *Scripti vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Sed scripsi vobis non commisceri; si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* Videmus hic sententiam quidem a Paulo pronuntiatam; judicasse autem congregationem. Atque ita quidem res se habuit ante conversionem regum, et eorum qui summam habuere in civitatibus suis potestatem.

CAP. XLII.  
De potestate  
ecclesiastica.

Pars hæc potestatis ecclesiasticæ excommunicationis dicitur, et ἀποσυνάγωγον ποιῆν; et ritus erat etiam a Judæis usitatus; sed ut videtur, post captivitatem Babylonicam; nam non legimus quenquam ante id tempus doctrinæ causa ejectum esse e synagoga, neque etiam in Testamento Novo, sed tantummodo pro malis moribus in scandalum ecclesiæ.

Excommunicationis usus et effectus, antequam a potestate civili vim acceperat, alius non erat, quam ut excommunicatus a non excommunicatis fugiendus esset. Ut pro ethnico haberetur, qui Christianus nunquam fuerat, non suffecit; cum his enim cibum sumere licuit; cum Christiano non licuit, ut Paulo ante ostensum est ex 1 Cor. v. 9, 10, etc.

Ut autem illos ex cœtibus suis aut synagogis excluderent, jus, nisi a domino loci concessum, sive

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

ille Christianus sive ethnicus esset, nullum habuere. Jus autem in civitatis loca omnia, est illius qui summam habet in civitate potestatem; et propterea, non modo illi, qui excommunicati erant, sed etiam illi, qui nunquam baptizati erant, in synagogas, data a summo imperante potestate, intrare potuerunt; sicut Paulus, ante conversionem suam, ingressus est synagogam Christianorum in Damasco, ut eos comprehenderet, vinctosque ad Jerusalem jussu summi sacerdotis duceret.

Constat ergo excommunicationem in homines Christianos, qui a religione Christiana deficerent, in eo loco ubi potestas civilis ecclesiam aut persequabatur aut non protegebat, nullam vim habuisse, neque ad damnum neque ad terrorem; quia huic mundo favorabiliores inde futuri essent; neque in mundo futuro pejore conditione fore expectabant, quam qua usuri erant illi, qui nunquam crediderant. Imo, ad ecclesiam pertinuit quicquid erat in hoc mundo damni, quæ illum excommunicando inimicos contra se irritabat.

Effectum ergo in eos solos habuit excommunicatio, qui credebant Jesum Christum rediturum esse in gloria, regnaturum, judicaturumque vivos et mortuos, et e regno suo illos, qui excommunicati ab ecclesia erant, exclusurum. Hoc est quod metuerunt in excommunicatione Christiani veri. Dixerat enim Sanctus Paulus, hominem excommunicatum traditum esse Satanæ. Nam extra regnum Christi, post diem judicii, regna alia omnia regnum erant Satanæ. Intelligitur hinc, excommunicationem, quo tempore religio Christiana a potestate civili nondum protegebatur, in usu fuisse pro morum tantum correc-

tione, non opinionum : genus enim illud punitionis tale erat, ut sentiri a nemine poterat nisi a fidelibus, et Servatoris nostri adventum secundum expectantibus. Hi autem, cum jam veri Christiani essent, doctrina nulla ad salutem, sed sanctitate vitæ sola indigebant.

Excommunicari potuit Christianus illis temporibus propter *injustitiam* ; ut (Matth. xviii. 15-17) si frater tuus te læserit, admone solus illum solum ; deinde, coram testibus ; postremo, dic ecclesiæ ; sin ecclesiam non audierit, *sit tibi ut ethnicus et publicanus*.

Excommunicari potuit pro dato scandalo ; ut (1 Cor. v. 11), *Si quis, qui vocatur frater, fornicarius, vel avarus, vel idololatra, vel ebriosus, vel oppressor, cum tali cibum simul sumere non oportet*. Sed excommunicandi illum, qui fundamentum hoc, *Jesum esse Christum*, firmiter teneret, propter hoc, quod ab ecclesia in opinione aliqua dissentiret quæ fundamentum illud non destruebat, neque a Scripturis, neque ab apostolorum exemplis ulla omnino autoritas derivari potest. Dicit quidem Sanctus Paulus (Tit. iii. 10) : *Hominem hæreticum post primam et secundam admonitionem rejice*. *Hæreticus* enim is est, qui, cum ecclesiæ membrum sit, doctrinam tamen docet quam ecclesia doceri vetuerat ; *rejicere* autem, non est hominem excommunicare, sed desinere illum admonere, et cum illo non amplius disputare. Apostolus idem (2 Tim. ii. 23) : *Stultas et indoctas quæstiones rejicere* : rejici autem possunt sine excommunicatione ; et (Tit. iii. 9) : *Stultas quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas circa legem, rejice* : *nam inutiles sunt et vanæ*. Locus autem alius, qui

CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

excommunicationi fidelium favere videri potest, qui fundamentum tenuerunt, propter opinionem aliquam eorum singularem, fortasse a bona et pia intentione procedentem, nullus est. Monita autem illa de vanis et stultis disputationibus fugiendis, pastoribus, quales erant Timotheus et Titus, solis scripta, et eo consilio scripta erant, ne controversias omnes, etiam parvi momenti, definientes, novos cuderent articulos fidei, neve conscientias hominum sine necessitate onerarent, eosque ad fugiendam ecclesiæ communionem provocarent. Sancti Petrus et Paulus, etsi (Gal. ii. 11) magna esset inter eos controversia, non tamen alter alterum excommunicavit.

Ut quis excommunicationi obnoxius sit, multa requiruntur; primo, ut sit alicujus cœtus legitimi membrum, alicujus dico ecclesiæ Christianæ legitimæ potestatem cognoscendi causam habentis, propter quam excommunicandus aliquis sit. Ubi enim non est communitas, ibi neque esse potest excommunicatio. Neque, ubi cognoscendi causam potestas non est, ferendi sententiam esse potest.

Sequitur hinc, ecclesiam unam ab alia excommunicari non posse. Siquidem enim excommunicandi se mutuo potestatem æqualem habeant, non disciplina excommunicatio est, sed schisma. Sin ecclesia una alteri subordinata sit, unica tantum sunt ecclesia; et qui excommunicantur, homines privati sunt; sed non ecclesia.

Quoniam autem excommunicationis sententia admonitionem continet congressum et convictum cum excommunicato fugiendi; si is, qui summam habet in civitate potestatem, excommunicatus fuerit, sententia invalida est. Cives enim adesse sum-

mo imperanti, quoties jusserit, lege naturæ obligantur; neque illum a loco quocunque dominii sui, sive prophano sive sacro, prohibere jure possunt; neque exire ex ejus dominio civium quisquam, nisi illo permittente, debet; multo minus cum illo, si ad tantum honorem evocentur, cibum una capere recusare. Quod autem ad reges, aliosque summam habentes potestatem, attinet; cum non sint ejusdem ecclesiæ, nec ejusdem civitatis partes, non opus est sententia excommunicationis, ut alter alterius congressum vitet. Ipsa enim civitatis institutio, sicut homines privatos in una communitate conjungit, ita communitates ipsas alteram ab altera disjungit. Neque in civem Christianum, si legibus civitatis suæ obediat, vim ullam habet. Nam si credat *Jesum esse Christum, spiritum habet Dei*, (1 Joh. v. 1): *et Deus in illo habitat, et ille in Deo*, (1 Joh. 4, 15). Sed is, *qui spiritum habet Dei*, is *qui in Deo habitat*, is *in quo habitat Deus*, nihil pati potest mali ab excommunicationibus hominum. Quicumque ergo credit *Jesum esse Christum*, damnum ab excommunicatione nullum habet. Qui vero articulum illum non credit, non est Christianus.

Si quis patrem vel matrem habeat excommunicatum, a congressu et convictu cum illo vel illa prohiberi non potest. Esset enim hujusmodi prohibitio sæpenumero prohibitio ne cibum omnino sumeret, ut qui a parentibus plerumque alitur: eadem esset prohibitio parentibus et dominis suis obediendi; quod est contra præceptum apostolorum.

Summatim, excommunicationis potestas extendi ulterius non potest, quam ad finem in apostolorum et pastorum a Christo acceptis mandatis definitum.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Regere autem imperando et cogendo in mandatis non est, sed docendo, et in via ad salutem in mundo futuro conducendo. Et sicut in scientia qualibet, magister discipulum suum regulas ejus negligentem deserere quidem potest, injustitiæ autem accusare non potest; ut qui nunquam magistro obedire teneretur: ita doctrinæ Christianæ doctor discipulum suum, qui vitam agere Christiano homine indignam perstiterit, relinquere quidem potest, sed accusare non potest. Doctori enim, qui de contumacia discipuli sui conquereretur, responderi posset, sicut Samueli in querela simili respondit Deus (1 Sam. viii. 7), *non te rejecerunt, sed me*. Excommunicatio ergo, si careat potestate civili, ut revera caret quoties unus princeps alterum excommunicat, inutilis est; neque igitur metuenda. Vocabulum illud, *fulmen excommunicationis*, ab alicujus episcopi Romani imaginatione falsa profectum est, qui regum regem se esse putans, poetas ethnicorum, qui Jovi fulmen attribuerunt, imitatus est. Imaginatio autem illa ex duplici errore nata est; altero, quod regnum Christi hujus mundi fuisse putaverint, contra ipsa Christi verba (Joh. xviii. 36), *regnum meum non est ex hoc mundo*; altero, quod ipse episcopus Romanus vicarius Christi sit, non modo in subditis suis Romanis, sed etiam in omnibus Christianis cæteris; quæ opinio nec in Scripturis fundata, neque vera est, ut suo loco ostendetur.

Ut veniamus ad Scripturarum interpretem, legimus S. Paulum, cum esset Thessalonicæ, Judæorum synagogam, quæ ibi erat, adiisse, et (Act. xvii. 2, 3) *more suo introivit, et per tria Sabbata disputavit cum illis ex Scripturis, aperiens et proponens,*

*quod Christum oportebat pati, et ex mortuis resurgere, et quod hic Jesus, quem ego vobis prædico, est Christus.* Scripturæ, quas citabat, erant Judæorum, nempe, Testamentum Vetus. Illi, ad quos probaturus erat *Jesum esse Christum et a mortuis resuscitatum*, Judæi quoque erant, et Scripturas illas verbum Dei esse crediderunt, et (vers. 4, 5) *aliqui eorum crediderunt, alii non crediderunt.* Causa ergo quare, cum Scripturis omnes pariter crediderint, Paulo tamen pariter non crediderint, quænam erat, nisi quod de interpretatione Scripturarum dissenserint; et alius interpretationem approbaverit S. Pauli, alius sibimet ipsi illas interpretatus fuerit? Quare autem hoc? Quia scilicet ad eos accessit S. Paulus sine omni mandato civitatis; ut qui non ad imperandum, sed ad persuadendum venisset; et quia persuadere voluit, necesse illi erat vel per miracula id facere, ut Moses Israelitis in Ægypto, ut auctoritatem suam ostenderet per opera divina, vel per disputationem in synagoga, ex Scripturis quas receperant, ut veritas doctrinæ suæ per verbum divinum apparere posset. Quicumque autem a principiis scriptis ratiocinatur, interpretem principiorum illum facit, quem alloquitur. Siquidem autem eorum, quæ citavit S. Paulus ex Scriptura Sacra, Judæi Thessalonicenses iudices non erant, quis erat alius? Si S. Paulus, quid opus erat quicquam citare? Dixisse suffecisset, ita est scriptum in lege vestra, cujus ego interpres sum, a Christo missus. Manifestum ergo est, interpretem Scripturarum, in cujus interpretatione Judæi Thessalonicenses acquiescere obligabantur, fuisse nullum: credere vel non credere unicuique, prout quæ dicta erant probata vel non probata videbantur, licitum erat.

CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Etiam universaliter verum est, illum, qui probare aliquid promittit, probationis iudicem illum facit, quem alloquitur.

Ad conversionem ethnicorum, tum Judæos tum scripta eorum omnia contemnentium, ex Scripturis Sacris disputare, frustra fuisset. Apostoli ergo idololatriam eorum rationibus a natura sumptis aggressi sunt; deinde, confutata illorum religione falsa, ad fidem Christi adducere illos conati sunt per testimonium vitæ et resurrectionis Christi præbitum. De autoritate ergo Scripturas interpretandi, nulla hic controversia esse potuit, propterea quod, cum infideles essent, Scripturæ nullius interpretationem sequi obligarentur, præter legum suarum civilium interpretationem, lege civitatis comprobata.

Videamus jam conversionem ipsam, an ab ea obligari aliquis potuit. Convertebantur enim ad nullam aliam rem, quam ad fidem habendam doctrinæ quam apostoli prædicaverant. Apostoli autem nihil prædicaverant, nisi quod Jesus erat Christus, id est, rex a quo salvandi essent, et qui super eos in mundo futuro regnaturus esset; et per consequens, quod non mortuus esset, sed a mortuis resuscitatus, quodque rediturus esset ad mundum judicandum, et cuique secundum opera ejus tributurus. Nemo eorum Scripturæ Sacræ interpretem se aut alium apostolum talem esse prædicavit, ut omnes, qui Christiani esse voluere, interpretationi ejus obligarentur acquiescere. Nam leges interpretari illorum est, qui actu regnant; id quod apostoli non fecerunt. *Precabantur* tunc illi, et ab illis pastores omnes, *adveniat regnum tuum*; ethnicosque a se conversos principibus suis hortabantur obedire. Testamentum Novum nondum

totum publicatum erat. Evangelista quisque evangelium suum interpretatus est, et unusquisque apostolus suam epistolam. De Testamento autem Veteri dicit Christus ad Judæos (Joh. v. 39) : *Scrutamini Scripturas ; nam in illis expectatis vitam æternam ; illæ autem de me testantur.* Quorsum hoc, nisi quod Scripturarum illarum interpretes esse voluit ipsos ?

Ad omnem quæ oriebatur difficultatem, apostoli et presbyteri solebant convenire, et quidem quid prædicarent, et docerent, et quomodo ad populum Scripturas interpretarentur, determinarunt ; libertatem autem illas legendi, et interpretandi sibi, nemini ademerunt. Apostoli ecclesiis epistolas aliaque scripta miserunt instructionis causa ; id quod frustra fuisset, nisi illa interpretari permissum illis esset. Sicut autem permissum hoc erat tempore apostolorum, ita permittendum est, quamdiu non sint reges doctores, vel doctores reges, qui interpretationem aut interpretem legibus constituent.

Scriptura aliqua duobus modis *canonica* dici potest. *Canon* enim regula est, et regula præceptum, quo in actione quacunquæ aliquis regitur. Quæ præcepta, etsi data sint a magistro discipulo suo vel a consiliario ad consulentem, absque potestate cogendi ut observentur, *canones* tamen sunt, quia regulæ. Sed quando ab eo data sunt, cui is, qui illa accipit, tenetur obedire, tunc non modo *canones* sunt, sed etiam leges. Quæstio ergo est hoc loco de potestate faciendi ut Scripturæ leges sint, cujus est.

Pars illa Scripturæ Sacræ quæ prima lex facta est, est Decalogus. Ante tempus illud, lex Dei

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

scripta nulla erat: nondum enim populum suum ullum peculiarem sibi elegerat, nec aliam hominibus dederat legem præter leges naturales. Decalogi autem duæ erant tabulæ, quarum prima jus regum continet; nempe primo, ne populus adoret aut serviret diis gentium, his verbis (Exod. xx. 3): *Non habebis deos alienos coram me.* Quibus verbis prohibentur obedire vel honorem dare regi vel rectori alii, quam illi qui per Mosem ad eos locutus est. Secundo, *ne imaginem ejus facerent*, id est, ne sibi personam sui representativam facerent juxta phantasias suas; sed ut Mosi obedirent. Tertio, *ne sumerent nomen Dei in vanum*, id est, ne de rege suo temere loquerentur, neque jus regnandi, aut ea quæ a Mose imperarentur, disputarent. Quarto, unoquoque die septimo a laboribus suis jubentur requiescere, diemque illum in Deo publice honorando collocare. Tabula secunda officia continet civium in concives; ut, honora parentes: ne occidas: non mœchabere: non furabere: judicium falso testimonio non corrumpe: denique, injuriam quamcunque proximo faciendi ne corde quidem consilium sumes. Quæritur jam, quis fuit, qui tabulis hisce vim dedit obligatoriam. Dubium non est, quin leges factæ fuerint ab ipso Deo. Quoniam autem lege obligari potest nemo, qui nescit an a rege lata sit necne: quomodo obligari potuit populus Israeliticus ad præstandam omnibus legibus Mosaicis obedientiam, qui, ne ad montem Sinai accederent et quid Mosi Deus locutus est audirent, prohibiti fuerant? Ad quod respondeo, legum illarum aliquas, nempe, tabulam secundam leges naturales divinas æternas esse, et per se obligare. De tabula prima, difficilis fortasse

fuisset responsio, nisi populus seipsos ad obediendum Mosi obligasset his verbis (Exod. xx. 19): *Loquere tu nobis et audiemus; sed ne loquatur nobis Deus, ne moriamur.* Potestas ergo, per quam Decalogus factus est in legem civitati Israeliticæ, erat penes Mosem, et post illum penes sacerdotem summum, qui erat civitatis summus imperans. Hactenus ergo Scripturæ Sacræ canonizatio ad eum pertinuit, qui summam in civitate potestatem habuit civilem.

CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.

Etiam leges judiciales, id est, leges magistratibus Israelis a Deo præscriptæ, de administratione justitiæ ferendisque inter litigantes sententiis; item lex Levitica, id est, regulæ a Deo præscriptæ de ritibus et ceremoniis cultus divini; traditæ omnes fuerunt a Mose solo; ideoque leges erant, quia obedientiam Mosi promiserant, summam habenti potestatem civilem.

Postquam venerint Israelitæ in campestria Moabitarum e regione Jericuntis, intraturi jam in terram promissam, legibus prioribus addidit etiam alias Moses, quæ vocantur Deuteronomium, id est, leges secundæ; quæ (Deut. xxix. 1) vocantur *verba pacti, quod facere Dominus jussit Mosem cum filiis Israelis, præter pactum quod fecerat cum illis in Horeb.* Cum enim priores illas leges sub initium libri Deuteronomii explicasset, alias illas, quæ incipiunt cap. XII, desinuntque cap. XXVI, superaddidit Moses. Atque hæc est lex illa, quam (Deut. xxvii. 3, 4) populus lapidibus in transitu Jordanis insculpere jussus erat: hæc eadem ab ipso Mose in volumine scripta, sacerdotibus et senioribus Israelis tradita erat (Deut. xxxi. 9) collocanda in arcæ latere: hæc eadem erat, cujus exempla



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

apud se habere jubebantur (Deut. xvii. 18, 19) reges Israelis : hæc denique est, quæ postquam diu perditâ fuisset, reperta tandem in templo erat, regnante Josia, cujus authoritate (2 Reg. xxiii. 3) pro lege Dei denuo recepta est. Sed tum Moses a quo scripta est, et Josias a quo recuperata est, ambo summam habuere potestatem civilem. Hactenus ergo jus scripturas canonizandi, penes eos erat qui summam potestatem civilem habuerunt.

Præter hunc, nullum alium habuere librum legis, ante reditum populi e captivitate. Prophetæ enim, paucis exceptis, in captivitate ipsa vixerunt ; adeoque procul aberat ut prophetiæ eorum pro legibus haberentur, ut etiam ipsi vexarentur, et ad supplicium, partim a falsis prophetis partim a regibus, quærerentur. Etiam liber Legis hic, qui receptus pro lege Dei et confirmatus fuerat a Josia, una cum divinorum operum historia tota, tempore captivitatis cum caperetur Jerusalem, perditus erat ; ut constat (4 Esdr. xiv. 21) : *Lex tua arsa est ; nemo est, qui cognoscit opera quæ fecisti, neque opera quæ facturus es.* Ante captivitatem, a tempore in quo liber Legis amissus est, (quod tempus in Scripturis Sacris non signatur, sed videtur fuisse tempore Rehoboami, quando Shishac rex Ægypti templum spoliavit), usque ad tempus Josiæ, quando recuperatus erat, nullum habuere Judæi verbum Dei scriptum, sed suo arbitrio regnaverunt reges, vel consilio eorum quos habuere pro prophetis.

Scriptura ergo Veteris Testamenti, quam habemus hodie, canonica Judæis non erat, neque lex, antequam renovassent pactum sub Esdra, postquam a captivitate rediissent in Judæam ; ab eo autem tempore, pro lege Judæorum semper habita est ;

etiam conversa in linguam Græcam a septuaginta senioribus Judææ, reposita est in bibliotheca Alexandrina. Erat autem Esdras sacerdos summus, et proinde is qui summam in Judæis habuit potestatem civilem. Itaque Scripturæ nunquam hactenus leges factæ erant, nisi a summo civitatis imperante. De Testamento Novo satis apparet ex antiquis Patribus, qui fuerunt ante tempora imperatoris Constantini Magni, quod a Christianis omnibus pro dictamine Spiritus Sancti, et proinde pro regula fidei receptum erat; tanta erat illis doctorum suorum reverentia. Dubium ergo non est, quin ea, quæ ecclesiis, quas condiderant, scripserat Sanctus Paulus aliusve apostolus vel discipulus Christi, ab illis ecclesiis, hominibusque quos ad Christianismum ipsi converterant, pro vera doctrina Christiana recepta fuerint. Veruntamen eo tempore, quando non potestas et authoritas doctoris, sed audientium fides fecit ut reciperentur, manifestum est Novum Testamentum legem factum esse, non ab ipsis apostolis, sed Scripturam illam legem sibi ipsi factam esse ab unoquoque proselytarum.

Sed non quæritur hoc loco, quid Christianus legem vel canonem sibimet ipsi fecerit; qui eodem jure quo fecerit, rejicere etiam potuit: sed quid ita ipsi lex facta sit, ut illam transgredi sine injuria non potuerit. Testamentum Novum ante Constantinum Magnum, hoc sensu, nemini potuit esse lex; repugnat enim naturæ legis. Lex enim, ut supra sæpe dictum est, mandatum est illius, sive hominis sive cœtus, qui summam habet in civitate authoritatem, legumque ferendarum jus, transgressorumque puniendorum, solus habet. Quando ergo alius quicumque, præter illum, regulas vivendi civi-

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

bus præscribit, regulæ illæ leges non sunt, sed consilium, quale sive bonum sive malum is, cui consilium datur, observare vel negligere potest absque injustitia; et siquidem legibus jam constitutis contrarium sit, sive bonum sive malum sit, observare sine injustitia non potest: observare, inquam, in actionibus et sermonibus sine injustitia non potest, etsi doctoribus privatis credere, et ut doctrina eorum legibus permissa esset sine peccato optare, potest. Fides enim interna per naturam suam invisibilis est, ideoque ab omni jurisdictione humana exempta. Quoniam ergo Servator noster regnum suum in hoc mundo esse negavit, et non ad judicandum, sed ad salvandum mundum venisse se affirmavit, non aliis legibus nos subjecit quam legibus civitatis; nempe, Judæos quidem legibus Moisaicis, ad quas non evertendas, sed ad implendas venisse se dicit (Matth. v. 17); gentes autem alias civitatum suarum legibus civilibus, et genus humanum universum legibus naturalibus. Manifestum ergo est, Christum et apostolos ejus nullam novam legem, quæ nos in hoc mundo obligaret, sed novam tantum doctrinam attulisse, qua ad mundum venturum præpararemur: et proinde Testamentum Novum, in quo doctrina illa continetur, quamdiu non essent principes et legislatores qui observationem ejus imperarent, non erat lex, sed ad perducendos homines ad salutem consilium tutum, quod unusquisque accipere vel rejicere suo periculo potuit sine injustitia.

Porro, Servator noster apostolis et discipulis mandatum dedit, ut prædicarent regnum Dei appropinquare; ut nationes omnes docerent, et credentes baptizarent; ut ubi non reciperentur, pul-

verem ejus civitatis pedibus suis excuterent ; sed non ut ignem ex cœlo ad destructionem eorum postularent ; neque ut eos ad fidem Christi gladio cogèrent. Nihil hic est imperii, sed consilii tantum. Emisit illos Christus sicut oves ad lupos, non ut reges ad subditos. Non habuerunt in mandatis, ut leges ferrent, sed ut legibus obedirent latis, et obedientiam alios docerent. Non potuere ergo apostoli ipsi facere ut doctrina eorum vim haberet legum, sine voluntate eorum qui in civitatibus suis summam habuere potestatem. Testamentum ergo Novum in iis locis tantum lex est, in quibus ita a summa potestate civili facta est. In illis autem reges ipsi eidem legi se submitunt, non autem doctori, vel apostolo a quo conversi erant, sed ipsi Deo, et filio suo Jesu Christo, immediate.

Id quod Testamentum Novum, quo tempore ecclesia a potestate civili non protegebatur, legem videri fecit, erant decreta in suis ipsorum synodis facta. Legimus enim (Act. xv. 28) concilii titulum : *Visum est Spiritui Sancto et nobis, non imponere vobis onus majus quam necessaria hæc, etc* : quo titulo potestas aliqua videtur significari in illos, qui fidem amplexi erant, imponendi onera, id est, ut aliquibus videri potest, obligandi ; unde inferunt, illius concilii acta fuisse leges. Leges tamen non magis sunt quam præcepta hæc ; *pœnitemini ; baptizamini ; custodite mandata ; credite evangelium ; venite ad me ; vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et sequere me ; quæ imperia non sunt, sed hominum ad Christianismum invitationes, sicut illa Isaïæ (lv. 1) : Unusquisque qui sitit, venite ad aquas ; venite et emite vinum et lac sine pecunia. Apostoli enim potestatem*

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. LXII.

De potestate  
ecclesiastica.

majorem non habuere quam ipse Christus, nempe invitandi homines ad regnum Dei, quod non *præsens*, sed futurum esse prædicaverunt ipsi; qui autem regnum non habent præsens, leges ferre non possunt. Præterea si conciliorum tunc temporis acta fuissent leges, obedientiam illis negare peccatum fuisset. Eos autem, qui doctrinam Christi recipere noluerunt, eo nomine peccavisse nusquam legimus, sed hoc tantum, in peccatis suis mortuos fuisse, id est, peccata eorum contra leges, quibus obedire debuerunt, remissa non fuisse, nimirum, peccata eorum contra leges naturæ et contra leges civiles suæ cujusque civitatis retenta fuisse. Constat ergo onera, quæ in fideles imposuisse dicuntur apostoli, non fuisse leges, sed illis, qui salutem quæsiverunt, propositas condiciones, quas accipere vel rejicere suo quisque periculo, sine peccato novo, potuit, quanquam non sine periculo exclusionis, propter peccata eorum præterita, e regno Dei. Itaque de infidelibus dicit Sanctus Johannes (iii. 36), non quod ira Dei *veniet* super eos, sed quod *ira Dei manet super eos*; nec (Joh. iii. 18) quod *damnabuntur*, sed quod jam *condemnati sunt*. Neque intelligi potest fidei fructum esse *peccatorum remissionem*, nisi simul intelligatur damnum ab infidelitate esse *peccatorum retentionem*.

Quorsum autem, quæret forte aliquis, apostoli aliique ecclesiæ pastores convenerunt, determinandi causa quæ doctrina tum fidei tum morum doceretur, si decreta eorum observare teneretur nemo? Ad quod responderi potest, apostolos presbyterosque præsentis in concilio, eo ipso quod præsentis esse voluerunt, doctrinam illam, quæ doceri decernebatur, docere obligatos fuisse, quate-

nus nulla lege civili ad contrarium tenerentur. Neque enim eo fine convenerunt, ut quid reciperetur, sed ut quid doceretur deliberarent. Nam quid reciperetur, nisi potestatem habuissent legislativam, determinare non potuerunt. Verbum quidem Dei pro lege habere obligantur homines universi; ut autem pro verbo Dei reciperent quicquid in Dei nomine ab homine mortali pronuntiaretur, aut quod legibus civilibus, quas custodiendas esse Deus jussit, contrarium doceretur, obligati non erant.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Quoniam autem consiliorum apostolorum acta non erant leges, multo minus pro legibus habenda sunt Conciliorum eorum pastorum acta, quæ postea sine autoritate civili habita fuerunt. Constat ergo Scripturas Sacras, etsi doctrinæ Christianæ regulæ erant perfectissimæ, leges tamen fieri non potuisse sine consensu regum aliorumque summam habentium potestatem civilem.

In quo primum Concilio Scripturæ Sacræ factæ erant canonicæ, non constat. Nam canonum apostolicorum collectio, quæ Clementi attribuitur, episcopo Romano post S. Petrum primo, etiam nunc disputatur: et quanquam libri canonici ibi (Can. lxxxv) numerantur, verba tamen hæc, *sint nobis omnibus clericis et laicis libri venerandi*, etc. distinctionem habent clericorum et laicorum, quæ tam prope ad tempora apostolorum usurpata non videtur. Itaque Concilium, quod Scripturas canonicas primum fecit, Laodicense erat, quod, Canone LIX, librorum aliorum lectionem in ecclesiis prohibet. Atque hæc de canone Scripturarum dicta sufficiant.

Officiorum ecclesiasticorum, tempore apostolo-

VOL. III.

C C

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

rum, alia erant magisterialia, alia ministerialia. Magisteriale munus erat evangelium infidelibus prædicare; sacramenta et omnem cultum divinum administrare; et regulas fidei et morum eos docere, quos ad fidem converterent. Ministeriale munus erat diaconorum, id est, eorum qui ecclesiæ secularia administrabant, quo tempore Christiani a contributionibus fidelium voluntariis, in commune collatis, alebantur. Inter munera magisterialia, primum et maximum erat apostolatus. Apostoli autem primo duodecim erant, omnes ab ipso Christo electi et constituti; quorum officium erat, non solum prædicare, docere, et baptizare, sed etiam resurrectionem Christi, quanquam periculo vitæ, attestari. Testimonium autem hoc apostolatus nota specifica essentialisque erat. Itaque quando in locum Judæ Iscariotæ apostolus eligendus erat, præfatus est Petrus (Act. i. 21, 22): *Oportet ergo eorum virorum, qui nobiscum erant per omne tempus in quo introivit ad nos et exivit Dominus Jesus, a baptismo Johannis usque ad diem in quo assumptus est, aliquem constitui resurrectionis ejus nobiscum testem.* Necessarium ergo apostolo erat, ut Christi resurrectionem testaretur.

Eorum, qui apostoli constituti ab ipso Christo non erant, fuit Matthias. Electus fuit sic: convenierunt in Jerusalem (Act. i. 15) circiter centum et viginti Christiani; atque hi (vers. 23) constituerunt duos, Josephum et Matthiam, electionemque sortibus permiserunt; et sic apostolatum sortitus Matthias, inter apostolos numeratus est. Ex quo constat, electionem apostoli penes ecclesiam fuisse, non autem penes Petrum neque apostolos undecim reliquos.

Post hunc electi sunt in apostolos Paulus et Barnabas, de quorum electione legitur Act. xiii. 1, 2, 3: *Erant autem Antiochiæ in ecclesia propheta et doctores Barnabas, et Simeon cognominatus Niger, et Lucius a Cyrene, et Manahen et Saulus. Precantibus autem illis Dominum, et jejnantibus, dixit Spiritus Sanctus: separate mihi Barnabam et Saulum ad opus ad quod vocavi illos. Cumque jejnassent, et precati essent, et manus illis imposuissent, dimiserunt illos.* Ex quo manifestum est, quanquam a Spiritu Sancto electi erant, vocatos tamen eos fuisse ab ecclesia Antiochena. Munus autem, ad quod vocati erant, fuisse apostolatam, manifestum est ex eo quod vocati sunt ambo apostoli (Act. xiv. 13). Et quod in virtute hujus vocationis fuit quod apostoli erant, Sanctus Paulus manifeste indicat (Rom. i. 1), apostolum se *separatum* vocans ad *Evangelium Dei*, alludensque ad verba Spiritus Sancti dicentis; *separate mihi Barnabam et Saulum*, etc. Quoniam autem apostolo opus erat testem esse resurrectionis Christi, quæret fortasse aliquis quomodo testari id potuit S. Paulus, qui cum Servatore nostro ante mortem ejus nunquam conversatus erat. Cui facile respondetur, Christum ipsum Paulo apparuisse e cælo, postquam assumptus esset, illumque (Act. ix. 15) elegisse, ut nomen ejus ad gentes portaret, et ad reges, et ad filios Israelis. Cum ergo Dominum vidisset resuscitatum, resurrectionis testis erat non inidoneus. Barnabas autem fuerat Christi discipulus.

Episcopus, *inspector*, erat is qui cuicumque negotio erat præpositus, speciatim autem pastor sive custos ovium; et inde metaphoricè vox illa usur-

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

pata est ad significandum regem, aliumve rectorem populi, sive ille legibus sive doctrina regeret. Qui apostolus erat, episcopus erat; itaque apostolatus Judæ vocatus est (Act. i. 20) *episcopatus*. Etiam post constitutionem presbyterorum, hi quoque episcopi vocabantur. Presbyter, quod nomen non solum ætatis sed etiam officii erat, erat Timotheus, idemque episcopus. Et S. Johannes, qui non modo episcopus, sed etiam apostolus erat, presbyterum (2 Epist. 1) se appellat. Constat ergo nomina illa *episcopi, pastoris, presbyteri, doctoris*, nomina fuisse, tempore apostolorum, officii ejusdem. Nam eo tempore non imperio, sed doctrina et suasionem ecclesiam gubernabant. Regnum Dei futurum tunc erat in alio mundo; adeo ut cogere neminem pastores potuere, quia nondum civitas ulla fidem Christianam amplexa esset.

Præter apostolos, pastores, episcopos, presbyteros, et doctores, magisterii nomen nullum erat. Nomina *evangelista et propheta*, non officiorum nomen, sed gratiarum erat, quibus discipuli Christi ecclesiis erant utiles: ut evangelistæ, scribendo Servatoris nostri vitam et actiones, quales erant S. Matthæus et Johannes apostoli, et S. Marcus et Lucas discipuli; et, ut aliqui putaverunt, Thomas et Barnabas, quorum libri in canonem recepti non sunt. Etiam in ecclesiis eo tempore prophetæ erant, quibus Testamentum Vetus interpretandi et quandoque prophetandi gratiam Deus dederat. Neque enim dona hæc, neque donum linguarum, neque ejiciendi dæmonia, neque morbos sanandi, sed vocatio tantum et electio doctorem aut magistrum in ecclesia faciebat.

Sicut ab ecclesia constituebantur apostoli, Mat-

thias, Paulus et Barnabas, nempe Matthias ab ecclesia Hierosolymitana, et Paulus cum Barnaba ab ecclesia Antiochena; ita etiam in aliis civitatibus presbyteri et pastores ab ecclesiis, quæ erant in civitatibus illis, eligebantur. Legimus (Act. xiv. 23) Paulum et Barnabam presbyteros in ecclesiis ordinasse; id quod accipi forte ita potest, ac si presbyteris auctoritatem dedissent ipsi. Intuentibus autem textum Græcum aliter videbitur. Nam electio eorum fiebat per χειροτόνησιν, id est, per manuum elevationem; qui modus etiam tunc in eligendo magistratus civiles in omnibus fere civitatibus eo tempore in usu erat. Presbyteros ergo suos unaquæque eligebat ecclesia. Apostoli conventus Christianorum convocabant, in illis præsidebant, suffragia colligebant, electum pronuntiabant et benedicebant, vel, ut nunc loquuntur, consecrabant, sed non eligebant. Quoniam ergo in omnibus ecclesiis pastores hoc modo eligebantur, ubi legimus (Tit. i. 5) apostolos *constituisse* pastores aliquos, idem significat *constituisse* quod χειροτονῆσαι, vel eligere, per suffragia manibus elevatis data, vel fabis, vel lapillis in urnam coniectis. In urbibus autem, ubi modus electionum alius numquam visus fuerat, electionem aliusmodi cives omnes, sive ethnici sive Christiani, admirati essent. Neque temporibus sequentibus episcopi ipsi aliter electi erant quam ab ecclesiis singularum urbium, donec de electionibus cœptum est pugnari.

Confirmatur idem a diuturna in episcopis ipsius Romæ. eligendis consuetudine. Nam si in ulla civitate episcopus, in aliam sedem migraturus vel moriturus, successorem suum constituendi jus habuisset, multo magis episcopus Romanus illud jus

## CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

habuisset. Successorem tamen suum episcopus Romanus nunquam elegit, sed civitatis Romanæ Christiani; ut manifestum est ex seditione orta in electione Damasi præ Ursino, quæ tanta erat, ut præfectus urbis, cum pacem inter illos conservare conatus frustra esset, exire e civitate coactus est, occisis in illa seditione plusquam centum hominibus in ecclesia ipsa. Et postea, quanquam episcopi Romani eligerentur, primo a clero Romano, deinde a cardinalibus; ab antecessoribus tamen episcopis nunquam electi erant. Quoniam ergo successores suos pontifices Romani eligere non potuerunt, multo minus potuere successores aliorum episcoporum constituere, sine authoritate ab illo derivata, qui in ecclesiam jus habuit imperandi, id est, sine authoritate civili.

*Minister*, Græce διάκονος, illum significat qui res agit hominis alterius; differt autem a servo in hoc, quod servi imperata dominorum facere obligantur ipsa servitutis conditione; ministri autem eo solo obligantur, quod susceperint, neque aliud facere, quam quod susceperunt, obligantur. Itaque et illi, qui verbum Dei prædicant, et illi, qui ecclesiæ secularia administrant, ambo ministri sunt, sed diversarum personarum ministri. Pastores enim qui vocantur (Act. vi. 4) *ministri verbi*, Christi ministri sunt, cujus verbum prædicant: sed diaconus minister est ecclesiæ, et ministerium ejus (Act. vi. 2) est *ministrare mensis*. Itaque de pastore suo nemo, neque ecclesia ipsa, dicere potuit quod minister suus esset; sed de diacono tantum, qui ministrare mensis, vel Christianis, cum viverent in unaquaque civitate de re communi, alimenta distribuere, vel domus Dominicæ vel ecclesiæ possessionum curam

susciperet; hunc ecclesia ministrum appellare suum recte potuit.

Diaconi tamen evangelium prædicare, et doctrinam Christianam propugnare unusquisque secundum gratiam, quam a Deo acceperat, non omisit, ut S. Stephanus; neque baptizare, ut Philippus. Philippus enim ille, qui (Act. viii. 5) evangelium prædicavit in Samaria, idemque (vers. 38) eunuchum baptizavit, non erat Philippus apostolus, sed Philippus diaconus. Quando enim Philippus prædicabat Samariæ, apostoli (vers. 14) Hierosolymis erant; *qui cum audissent Samariam recepisse verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Johannem*, ut manus imponerent illis qui a Philippo baptizati fuerant, et sic acciperent Spiritum Sanctum. Necessarium enim erat ad Spiritus Sancti receptionem, ut baptismus administraretur vel confirmaretur per ministrum verbi, non per ministrum ecclesiæ. Baptismus enim pastoris, temporibus illis, in illos qui vere crediderunt Spiritus Sancti dona conferebat; quæ dona (Marc. xvi. 17, 18) erant hæc: *Per nomen meum dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis; ægrotis manus imponent, et bene se habebunt*. Hæc conferre Philippus non potuit, sed potuere apostoli, et reipsa, ut ex hoc loco apparet, vere credentibus contulerunt; id quod pastores hodierni non faciunt.

Eligebantur ab ecclesia etiam, non ab apostolo, diaconi, ut patet, Act. vi. 2, 3, ubi legimus duodecim apostolos discipulos convocasse jam multiplicatos, et dixisse illis: *Non est æquum nos, derelicto verbo Dei, ministrare mensis: deligite ergo, o fratres, ex vobis viros septem, testimonio ornatos,*

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

CAP. XLII. *plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos huic usui præficiamus.* Unde manifestum est, etsi declarati essent ab apostolis, cœtus tamen illos elegit; quod etiam manifestius fit (vers. 5), ubi dicitur, *placuit autem hic sermo toti præsentì multitudinì, et elegerunt Stephanum, virum plenum fide ac Spiritu Sancto, et Philippum, etc.*

De potestate  
ecclesiastica.

Videamus proximo loco, ecclesiastici unde alebantur. Sub Testamento Veteri sacerdotii munerumque aliorum in ecclesia capax erat sola tribus Levi. Terra Promissa inter cæteras tribus, Levitica exclusa, divisa erat. Quæ tribus duodecim tamen erant, divisa scilicet tribu Joseph in duas tribus Ephraim et Manassen; adeo ut tribus Levi nullam inter fratres sortem habuerint, præterquam, habitandi causa, quasdam urbes cum suburbii earum. Sortem igitur Levitis dedit Deus illam, quæ ipsius Dei erat, nempe ut haberent fructuum omnium partem decimam. Rursus, sacerdotibus in alimentum assignata est illius decimæ decima, una cum oblationibus et sacrificiis. Dixerat enim Deus Aaroni (Num. xviii. 20): *In terra eorum hæreditatem non habebis, neque sortem inter illos; ego sum sors tua, et hæreditas tua, in filiis Israelis.* Deus enim, cum in illos regnaret et tribum Levi ad ministeria publica elegisset, concessit illis in alimentum proventum publicum quem sibi ipsi reservaverat, nempe decimas et oblationes, quas significavit dicendo, *ego sum sors tua et hæreditas tua.* Levitis igitur non improprie attribuebatur nomen *cleri*, quod significat sortem et hæreditatem: non tamen ut essent regni cœlestis hæredes præ cæteris Israelitis; sed quod de hæreditate Dei alebantur. Quoniam ergo eo tempore rex eorum erat Deus,

cujus vicemgerentes erant Moses et sacerdotes summi, suis singuli temporibus, jus decimarum oblationumque habendarum a potestate civili profectum esse, manifestum est.

CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.

Deinde de alimentis Christi apostolorum, hoc tantum legimus, peram habuisse, quam Judas Iscariota portabat; apostolos autem, qui artem habuerunt, illam exercuisse. Etiam Servator noster, cum duodecim apostolos prædicaturos mitteret, comparare aurum et argentum vetuit (Matth. x. 9, 10), eo quod operarius dignus esset alimento suo. Ex quo verisimile est, parandi alimenta viam fuisse illis missioni suæ congruam, nempe, gratis dare, quia gratis acceperant. Sustentabantur enim partim benevolentia fidelium, propterea quod adventum Messiae annuntiarent; partim etiam a contributionibus eorum quos Servator noster a morbis liberaverat; ex quibus nominantur (Luc. viii. 2, 3) *mulieres quædam, quas sanaverat a spiritibus improbis et morbis, nempe Maria quæ vocabatur Magdalene, ex qua septem dæmonia exierant, et Johanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei ex iis quæ sibi suppetebant.*

Post Servatoris ascensum, Christiani in unaquaque civitate de pecuniis alebantur communibus, ex venditione agrorum suorum rerumque aliarum confectis, collatisque ad pedes apostolorum; voluntarie, non ex debito. Dixit enim Ananiæ Petrus (Act. v. 4): *Nonne, si servasses agrum tuum, manebat tibi, et venditus nonne in tua erat potestate?* Constat autem inde Ananiæ, ut agrum suum aut pecuniam retineret, necesse non fuisse ut mentiretur; ut qui ad contributionem nullam tenere-

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

tur. Nec apostolorum tantum tempore, sed etiam postea, usque ad tempora imperatorum Christianorum, episcopi pastoresque alimenta sua habuerunt a contributionibus fidelium voluntariis. De decimis autem mentio hactenus nulla. Et quanquam Constantini filiorumque ejus temporibus fidelium erga pastores suos benevolentia tanta esset, ut Ammianus Marcellinus (Lib. xxvii. 3) seditionem Christianorum circa electionem Damasi describens, dignum esse dixerit episcopatum illum, de quo contenderetur; propterea quod episcopi eo tempore per liberalitatem sui quisque gregis, præcipue per benignitatem matronarum, vixerint splendide, curribus circumferrentur, et sumptuose cœnarent et amicirentur; de decimis tamen contributis nusquam legitur.

Quæret hic fortasse aliquis, an pastores vivere tunc ex contributionibus et eleemosynis voluntariis obligarentur; *quis enim*, dicit Sanctus Paulus (1 Cor. ix. 7), *militat propriis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Aut quis pascit gregem, et de lacte gregis non edit?* Et rursus (1 Cor. ix. 13, 14): *An nescitis eos, qui sacris operantur, ea, quæ ex sacrario sunt, edere? Et qui altari assident, cum altari participare? Ita etiam Dominus constituit iis, qui evangelium annuntiant, ut ex evangelio vivant.* Ex quo quidem loco, pastores ecclesiæ a gregibus suis alendos esse inferri recte potest; non autem ut quantitatem aut genus alimentorum ipsi definirent, aut suo arbitrio quicquam sumerent. Necessarium ergo est, ut aut a singulorum contributionibus, aut ab ecclesia ut persona una, nutrentur. Ab ecclesia fieri hoc non potuit, quia acta eorum leges non erant. Sequitur ergo pastorum alimenta,

ante quam imperatores summique imperantes de alimentis eorum leges aliquas tulissent, alia non fuisse quam fidelium contributiones voluntarias. Qui altari operam dederunt, de oblatiis vixerunt sub Testamento Veteri: ita etiam ministris evangelii licitum est, quod ab eorum gregibus oblatum est accipere; sed nihil, nisi per actionem civilem, exigere potuerunt. Ad quod tribunal, quæ nulla præter civilia erant, peterent? Constat ergo alimenta pastoribus certa assignari potuisse nulla, nisi per ecclesiam ut unam personam; et tunc solum, quando ecclesiæ decreta, non tantum canones, sed etiam leges essent. Leges autem fieri nullæ potuerunt, nisi ab imperatoribus, regibus, aliisque summam habentibus potestatem civilem. Lex Mosaica de decimis, ad ministros evangelii applicari non potest; quia Moses et summi sacerdotes, sub Deo summam habuere potestatem civilem. Regnabat enim in Judæis Deus; sed in Christianis regnaturus est; regnaturus, inquam, ex pacto; nam, per naturam, nunc regnat æque in totum humanum genus.

Hactenus ostensum est, pastores quid sint; et quæ habeant mandata a Christo Servatore, nempe prædicare, docere, baptizare, et in ecclesiis præsidere; censura ecclesiastica, in locis ubi fides Christiana prohibetur, quam vim habeat, nempe ut congressum et convictum excommunicatorum fugiant, et in locis ubi fides Christiana lege armatur civitatis, ut excommunicatum fugent; etiam pastores et ministri, a quibus eligerentur, nempe ab ecclesiis; quis consecraverit eos, nempe ecclesiæ antistes; unde alerentur, nempe a suis ipsorum possessionibus, labore suo, contributionibusque fidelium volun-

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

tariis. Proximo autem loco considerabimus, quodnam in ecclesia officium habeant illi, qui summam habent potestatem civilem, iidemque fidem Christianam amplexi sunt.

Imprimis, meminisse oportet demonstratum supra esse, jus judicandi quæ doctrinæ conservandæ paci utiles sint et docendæ publice, inseparabiliter summæ potestati civili annexum esse. Manifestum enim est, etiam tardissimis ingeniis, actiones hominum ab opinionibus nasci, quas habent de bono et malo ab actionibus ipsis sibi redundaturo; et per consequens, eos, qui obedientiam potestati civili præstare damnosum sibi futurum credunt, ad leges violandas facile impelli, ad status civilis eversionem, et belli civilis renovationem; cujus fugiendi causa, civitates omnes institutæ sunt. Itaque in civitatibus etiam ethnicis, pastores passim vocati sunt, qui summam in illis habuere potestatem: populum enim docere civis nullus potuit, nisi per illorum auctoritatem.

Quod jus hoc regum ethnicorum, simul ac converterentur reges illi ad fidem Christi, sublatum esset, non potest credi. Christus enim spoliari imperio reges eo nomine non voluit, quod in ipsum crederent: neque ut cuiquam alii subjicerentur: neque ut potestate pacem inter cives suos conservandi, et contra hostes defendendi, privarentur. Sunt ergo reges Christiani, etiam nunc, subditorum suorum pastores supremi, et jus habent pastores sub se constituendi, quos ipsi idoneos ad populum instruendum judicabunt.

Præterea, etsi jus pastores eligendi penes ecclesiam esset, sicut erat tempore apostolorum: sic quoque jus illud penes regem esset, qui personam

civitatis gerit, id est, personam ecclesiæ, et proinde sine illo ecclesia muta esset. Quando autem cœtus aliquis in civitate Christiana pastorem suum eligit, is eligit, qui summam habet in civitate potestatem; eodem plane modo quo, quando oppidi alicujus populus prætorem sibi eligunt, eligit is, qui summam habet potestatem; omnis enim actio illius est, sine cujus consensu valida non est. Itaque quæcunque ex historiis, de pastoribus a populo vel a clero electis, exempla adducuntur, pro præjudicio contra jus ejus, qui civitatem repræsentat, haberi non possunt: quia per illius auctoritatem eligebantur.

Quoniam igitur in omni civitate Christiana, is, qui summe imperat, pastor etiam summus est, cæterique pastores illius auctoritate fiunt; sequitur pastores cæteros illius ministros tantum esse, non aliter quam qui urbibus, provinciis, vel oppidis præficiuntur; non quia subditi illius sunt, qui docent, sed qui docentur. Fieri potest, ut rex aliquis subditorum suorum pastorem constituat regem alium; ut multi reges Christiani pastorem fecerunt subditorum suorum Papam Romanum; non tamen pastorem suum illum facit, neque subditorum suorum summum; nisi potestate civili seipsum spoliare vellet. In qua civitate igitur pastores constituit persona externa, non id facit jure suo, sed jure ejus qui civitati illi imperat. Admittuntur autem tales quasi ludimagistri in civitate aliena, cujus rex est paterfamilias, ludimagistros autem filiis suis, ab externo homine commendatos, recipere quidem potest, sed non imperatos; præsertim si doctrinas, quas docuerint, non ad suum, sed ad illorum emolumentum tendere perspexerit.

Si quis ergo pastorem prædicantem vel baptiz-

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

antem videns, interrogaret, sicut Servatorem nostrum interrogaverunt sacerdotes et seniores (Matth. xxi. 23), *Qua auctoritate facis ista? et quis tibi dedit istam auctoritatem?* respondere aliter non potest, nisi quod facit ista auctoritate civitatis, ab eo data, qui civitatis est persona. Pastores omnes, præter supremum, *jure civili* ista faciunt; sed rex, et quicumque summam habet potestatem, eadem faciunt auctoritate Dei, sive, ut loquuntur, *jure divino*. Regum ergo et summe imperantium solum est in titulis habere, *Dei gratia rex etc.* Episcoporum est, *per gratiam regis episcopus etc.* Nam *divina providentia* et *Dei gratia* idem significant.

Atqui, si unusquisque rex Christianus subditorum suorum summus quoque pastor sit, etiam non solum prædicandi, quod forte non negabitur, sed etiam baptizandi, sacramentum cœnæ Dominicæ administrandi, et templa sacerdotesque consecrandi, jus habere videri potest; quod non facile concedetur. Neque enim id facere solent; neque sine impositione manuum episcopi vel presbyteri fieri consuevit. Ut probemus ergo reges Christianos ministeriis illis uti posse, ratio reddenda est, tum quare id non faciant, et quomodo sine ceremonia illa usitata impositionis manuum id, si voluerint, facere jure possint.

Si quis rex scientiæ alicujus humanæ peritus esset, quin docere eam publice eodem jure posset, quo eam docent qui ab illo jus accipiunt, dubium nullum est. Quoniam autem totius civitatis in illum incumbit cura, ut ipse in res illas momenti minoris tempus suum contereret, incommodum publicum esset. Potest etiam rex, si voluerit, lites civiles

publice cognoscere et decidere, non minore jure, quam qui id per ipsius faciunt auctoritatem; nisi quod cura reipublicæ cogeret gubernaculo indesinenter illum assidere, cura rerum exiguarum aliis commissa. Similiter Servator noster, qui certe baptizare potuit, neminem baptizavit (Joh. iv. 2); sed apostoli ejus et discipuli illius auctoritate baptizarunt. Ita etiam S. Paulum in diversis et multum dissitis locis prædicandi necessitas a baptizatiōe frequenti excusavit. Cura enim major, nempe ecclesiæ gubernatio, a curis minoribus vacationem postulat. Causa ergo reddita est, quamobrem baptizare non soleant reges Christiani, nimirum eadem, propter quam hodie paucos baptizant episcopi, et Papa pauciores.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

De manuum impositione, quatenus ea regibus, ut baptizent consecrentque, necessaria sit, sic considerabimus.

Ceremonia antiquissima apud Judæos erat, tum publice tum privatim, impositio manuum; per quam designabatur ostendebaturque persona, vel alia res quæcunque, inter precandum, benedicendum, sacrificandum, condemnandum vel alloquendum intelligenda. Ita (Gen. xlviii. 14) Jacob benedixit filiis Joseph, *extendens dextram suam ut imponeret capiti Ephraimi*, (quamvis esset minor), *et sinistram suam capiti Manassis*. Atque hoc sciens fecit, ut benedictionem majorem designare se minori, astantibus ostenderet. Ita etiam Aaronem jubet Deus, (Exod. xxix. 10), *manus suas imponere capiti juveni*; et rursus (vers. 15), *manum imponere capiti arietis*. Etiam Moses cum ducem Israelitarum constitueret, (Num. xxvii. 23), *imponens manus suas illi, mandatis instruxit*; populo ostendens, quis es-

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

set cui in bello obedire debuerunt. Item in consecratione Levitarum (Num. viii. 9, 10): *Admovebis Levitas coram Jehovah, et filii Israelis manus suas super ipsos Levitas imponent*; et in condemnatione blasphemi (Leviticus xxiv. 14): *Educito blasphemum istum extra castra, ut quicumque audiverunt illum manus suas super caput ejus ponant; deinde lapidet eum totus cœtus.* Quare autem manus illi imponere soli jubebantur, qui illum audierant, ac non potius sacerdos, vel Levita, vel justitiæ minister aliquis, nisi quod illorum nemo congregationi designare, vel indicare, potuit quis fuerit qui blasphemaverat, et commuerat mori? Hominem autem vel rem aliam quamcunque per manum ad oculos ostendere, errori minus obnoxium est, quam ad aures nomine designare.

In tantum autem placuit eo tempore ceremonia hæc, ut in benedicenda tota simul congregatione, quia per manuum impositionem fieri non potuit, manus tamen versus populum in benedicendo elevarunt, ut legere est Levit. ix. 22.

Eadem ceremonia usus etiam est Christus, manus in illos imponens quos sanabat, aut quibus benedicebat. Juxta ritum hunc apostoli et presbyteri, ipsumque presbyterium, in illos, quos pastores constituiebant, manus imposuerunt, et pro illis precati sunt, ut reciperent Spiritum Sanctum. Etiam eidem pastori manus impositæ fuere aliquando sæpius, nempe, cum ad ministerium novum mitteretur. Finis autem impositionis manuum semper idem fuit, personæ ad munus pastorale electæ designatio exacta et religiosa. Apostoli (Act. vi. 6) manus imposuerunt septem diaconis, non ut re-

ciperent Spiritum Sanctum; nam Spiritu Sancto pleni erant antequam eligerentur, ut constat ex vers. 3; sed ut ad munus diaconorum designarentur.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclēsiastica.

Qui manus imponebant, aut episcopi, aut presbyteri erant; diaconi munus illud non fuit. Quos Philippus diaconus Samariæ converterat, in illos Petrus et Joannes apostoli manus imposuerunt, (Act. viii. 17), *ut acciperent Spiritum Sanctum*. Etiam Timotheus presbyter manus imposuit; illum enim admonet Sanctus Paulus (1 Tim. v. 22), *ne cuiquam subito manus imponeret*. In Timotheum manus imposuit (1 Tim. iv. 14) presbyterium ipsum. Quomodo autem presbyterium manus imposuit? Quando presbyterium id facit, intelligendum est, per manus antistitis, sive presbyterii præsidis, factum esse; is autem videtur fuisse ipse Paulus, qui (2 Tim. i. 6) jubet illum exuscitare donum Dei quod in eo erat per impositionem manuum suarum; ubi obiter notandum est, per donum Dei non intelligi *Spiritum Sanctum*, tertiam in Trinitate personam, sed in Timotheum divina dona collata. S. Paulo manus impositas bis fuisse legimus: semel Damasci (Act. ix. 17, 18) per Ananiam, cum baptizaretur: et iterum Antiochiæ (Act. xiii. 3), cum mitteretur prædicatum. Usus ergo hujus in pastoribus ordinandis ceremoniæ is erat, ut personam ejus, cui potestatem talem concesserunt, designarent.

Homini ergo, qui docendi et baptizandi potestatem ante habuisset quam manus illi imponerentur, impositio manuum nihil contribuere potuit, nisi ut fidem doceret Christianam. Illi vero, qui antequam Christiani fierent summam habuerunt potestatem in civitatibus suis, potestatem novam ab impositione manuum nullam acceperunt. Etiam sub Tes-

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

tamento Veteri, etsi, dum potestas summa in sacerdote erat, jus consecrandi ille solus haberet; aliter tamen erat, postquam populus sub regibus esse cœpissent. Nam (1 Reg. viii.) populo benedixit, templum consecravit, et publicas preces pronuntiavit Salomon. Constat ergo, habuisse illum non solum regendi ecclesiam, sed etiam functiones omnes ecclesiasticas exercendi potestatem plenam.

Sed quid, inquiet aliquis, si potestas summa sit penes feminam, habetne in ecclesiis prædicandi et sacramenta administrandi potestatem femina? Scio feminis in ecclesia prohibitum esse loqui. Id vero non impedit, quin femina, quæ summa potestate prædita est constituere viros possit, qui in ecclesiis et loqui et cætera administrare omnia autoritate civitatis, id est sua, possint. Autoritas enim masculinum et femininum non recipit. Feminæ igitur, etsi officia omnia exercere non possunt, illos tamen, qui ea exerceant, possunt constituere. Regina Elizabetha anno primo regni sui, cum suprematum Ecclesiæ Anglicanæ sibi vindicasset, legem tulit ut ministri omnes ecclesiarum, si beneficia sua retinere vellent, suprematum ejus ecclesiasticum cum juramento agnoscerent. Juraverunt ergo multi: multi etiam aliquamdiu recusaverunt ob hoc tantum, quod videbatur illis, si jurassent, fore ut regina per illos videretur posse sacramenta in ecclesia administrare, et functiones cæteras pastorales ipsa exercere. Postquam autem regina scripto publico promiserat se id non facturam esse, tum demum juraverunt. Quo scrupulo manifestum erat, ministros illos in opinione illa omnes fuisse, autoritatem quidem functiones pastorales exercendi cum suprematu ecclesiæ conjunctam semper esse, exercitium autem solis viris convenire. Regina ergo non modo

ab exercitio talium functionum se abstinuit, sed etiam rerum ecclesiasticarum curam diplomate suo episcoporum convocationi una cum paucis consiliariis suis totam commisit.

CAP. XLII.

De potestate ecclesiastica.

Ab hac juris civilis et ecclesiastici consolidatione potestatem habent reges Christiani in subditos suos, tam in rebus ad religionem quam ad politiam pertinentibus, quantam homo homini super seipsum dare potest. Potest ergo is, sive homo sive cœtus, qui summam habet potestatem, rerum ecclesiasticarum curæ præficere in dominiis suis, si voluerit, ut in plurimis locis hodie fieri cernimus, hominem externum. Sed is qui sic præficitur, *jure civili*, non *jure divino*, officio suo fungitur; et proinde, quoties bono publico expedibit, eodem jure, quo præfectus erat, deponi rursus potest. Potest etiam, qui summam habet potestatem, religionis procuracionem uni ex civibus vel civium cœtui committere, si voluerit, potestatemque illi dare; vel titulis pastores, quibus vult, ornare, et circa eorum mercedem et alimenta leges constituere quas ipsi videbitur; modo quod facit, ex sincera conscientia, de qua judicat solus Deus, proficiscatur. Ejusdem etiam est, Scripturarum Sacrarum interpretes constituere, ut cujus autoritate fiunt leges. Ejusdem etiam est, excommunicationibus vim præstare per leges suas pœnales; quibus libertini obstinati humiliari, et ad unionem cum ecclesia reduci possint. Potestatem denique in rebus omnibus, tum civilibus, tum ecclesiasticis, quatenus ad actiones et verba attinet, summam habet. Actiones enim et verba tantum cognosci, et ab hominibus accusari possunt. Eorum autem, quæ accusari ab homine non possunt, judex omnino præter Deum nullus est.



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Quanquam quæ hactenus dicta sunt, satis perspicua videantur, et potestati ecclesiasticæ regibus Christianis asserendæ sufficiunt; quia tamen potestatem illam in omnibus civitatibus pontifices Romani sibi arrogant, et Cardinalis Bellarminus in controversia *de Summo Pontifice*, jus pontificium, quantum possibile est, propugnavit; fundamenta et argumentorum ejus robur breviter examinare necessarium esse duxi.

Librorum quinque, quos de hac re scripsit, primus tres continet quæstiones: unam, specierum regiminis trium, *monarchiæ, aristocratiae, democratiae*, quænam sit optima. Concludit autem nullam harum optimam esse, sed quartam, ab his mixtam. Secundam, quænam harum regendæ ecclesiæ sit optima; et sententiam fert pro mixta, sed quæ magis participaret de monarchia. Tertiam, utrum in hac monarchia mixta, monarchæ locum haberet Sanctus Petrus. Quod ad primam conclusionem attinet, satis (cap. XVIII. supra) demonstratum est, quod in omni forma civitatis, cui obedire homines obligari possunt, imperium summum simplex et absolutum, non mixtum sit. In monarchia enim unus homo totius civitatis potestatem habet, et proinde quamcunque alius potestatem adeptus sit, eam adeptus est jure illius, et quamdiu illi videbitur possidebit, et in illius nomine potestate sua uti debet. Etiam in aristocratia et democratia unicum esse cœtum supremum, eumque eandem habere potestatem quam habet in monarchia monarcha; et proinde, non mixtum imperium, sed absolutum. Præterea manifestum est, si monarchia aliqua mixta dici posset, etiam monarcha aliquis dici posset mixtus. Hoc autem absurdum est. De tribus autem

speciebus simplicibus antedictis, quænam sit optima, in eo loco, in quo earum una constituta jam sit, disputare nefas est; propterea quod ea, quæ constituta est, cæteris omnibus anteferri, defendi, et optima appellari debet; quia is civis, qui aliquid faceret quod ad subversionem ejus tenderet, tum leges naturæ, tum leges divinas positivas violaret. Præterea, ad potestatem pastoris, imperium non habentis, quæ forma civitatis optima sit, non pertinet inquirere; cum vocentur pastores, non ut homines regerent imperio, sed doctrina et argumentis. Monarchia enim, aristocratia, et democratia, imperantium, non pastorum species denotant; vel tres dominos, non tres ludimagistros.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Secunda ergo conclusio, de optima specie regiminis ecclesiæ, ad quæstionem de potestate pontificis Romani extra dominium ejus temporale, nihil omnino attinet. In dominiis enim civitatum aliarum, mere pastoritium est.

Ad tertiam conclusionem probandam, nempe Sanctum Petrum ecclesiæ fuisse monarcham, adducit imprimis locum S. Matth. (xvi. 18, 19): *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo meam ecclesiam: et portæ inferorum non superabunt eam: et tibi dabo claves regni cælorum: et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cælis: et quicquid solveris in terra, erit solutum in cælis.* Qui locus recte intellectus, nihil aliud probat, nisi ecclesiam Christi pro fundamento unicum habere articulum fidei, quem Sanctus Petrus nomine apostolorum hic professus est, nempe *Jesum esse Christum*; quæ professio Servatori nostro ea verba dicendi occasionem præbuit. Quod ut clarius intelligatur, sciendum est, Servatorem nostrum per seip-

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

sum, per Johannem Baptistam, et per apostolos, nihil aliud de fide prædicasse præterquam quod ipse esset Christus. Johannes (Matth. iii. 2) hoc solum prædicavit, *regnum Dei appropinquat*. Idem Servator noster prædicavit ipse, (Matth. iv. 17); et duodecim apostolis in mandatis dedit Servator noster, (Matth. x. 7), ut idem prædicarent. Articulus ille fidei Christianæ fundamentalis erat. Postquam igitur apostoli a prædicatione articuli hujus ad Christum reversi essent, interrogavit illos Christus cunctos simul, non Petrum solum (Matth. xvi. 13): *Quemnam esse me dicunt homines? Filium hominis?* Illi vero dixerunt (vers. 14.): *Alii quidem Johannem Baptistam, alii vero Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis*. Tunc autem (vers. 15) interrogavit illos simul omnes, non Petrum solum: *Vos autem quem me dicitis esse?* Itaque (vers. 16) Sanctus Petrus pro omnibus respondit: *Tu es Christus, filius Dei viventis*: qui articulus, ut dixi, fidei totius ecclesiæ fundamentum est. Atque hinc occasionem cœpit dicendi: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo meam ecclesiam etc.* Manifestum ergo est, petram ecclesiæ fundamentalem aliam intellectam non esse eoloco, præter fidei articulum illum fundamentalem. Sed quare, dicit aliquis, interponit Christus verba illa, *Tu es Petrus?* Considerandum ergo est apostolum cognominatum fuisse a Christo Cepham, id est, Græce *πετραν* vel *πετρον*, Latine *lapidem*. Postquam igitur articulum hunc Petrus confessus esset, Servator noster, ad nomen ejus alludens, dixit, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo etc*: tanquam diceret articulum illum, *Jesum esse Christum*, fidei, per quam ecclesia erat Christiana, essentialem

sive fundamentalem esse. Quod si Petrum tunc ecclesie regem constituere voluisset, quam facile fuisset verbis disertis id dixisse.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Proximis autem verbis, *dabo tibi claves cœlorum etc.*, nil amplius Petro quam cæteris discipulis datum est (Matth. xviii. 18) : *quicquid ligaveritis in terra, ligabitur in cœlo, et quicquid solveritis in terra, solvetur in cœlo.* Sed utcumque locum hunc interpretetur, dubium nullum est, quin potestas hoc loco data pertineat ad eos omnes, qui summam in civitatibus suis potestatem habent, modo Christiani sint. Adeo ut Sanctus Petrus, vel etiam Servator noster ipse, si aliquem eorum ad fidem Christianam convertisset, quia tamen regnum Christi non est hujus mundi, convertendi subditos proprios illi soli reliquisset; alioqui regno illum privasset, cui docendi jus adhæret inseparabiliter. Hæc ergo sufficiant ad refutationem libri hujus primi, in quo probare conatus est monarcham ecclesie universalis, id est, Christianorum, fuisse Sanctum Petrum.

Liber secundus duas habet conclusiones: alteram, Sanctum Petrum Romæ fuisse episcopum, atque ibi mortuum esse: alteram, successores illius esse pontifices Romanos. Quarum utraque quasi dubia hodie disputatur. Sed si utramque veram esse concesserimus; si tamen per *episcopum Romanum monarcham ecclesie*, sive pastorem omnium supremum intelligat, non Sylvester, sed Constantinus Magnus monarcha ille erat; et ut Constantinus, ita etiam imperatores Christiani omnes imperii Romani episcopi jure erant; Romani inquam imperii, non totius orbis Christiani. Erant enim temporibus illis gentes Christianæ nonnullæ, quæ imperio

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Romano non continebantur. Atque hoc responsum esto libro secundo.

In libro tertio quæstionem tractat, an Papa sit Antichristus. Quod papa sit Antichristus, equidem probatum nusquam vidi. Manifestum autem est, prophetas Veteris Testamenti prædixisse, Judæosque Messiam, id est Christum, venturum esse ut regnum Dei, quod rejectum fuerat, restitueret, expectasse. Expectatio autem illa imposturis ambitiosorum hominum, qui regnare conarentur, quique populum per miracula falsa, per vitam hypocriticam, vel per orationes et doctrinas blandas, decipiendi artem calluerunt, eos obnoxios reddidit. Propter hanc causam Servator noster et apostoli populum monuerunt, ne prophetis et Christis falsis temere crederent. Falsus autem Christus intelligebatur is, qui se Christum esse, cum non esset, profitebatur; et vulgo appellabantur tales *Antichristi*, ea significatione, qua in schismatibus, alter de papatu contendentium, vocari solet Antipapa. Antichristus autem duas habet notas essentielles; alteram, quod *Jesum esse Christum* neget; alteram, quod *seipsum Christum esse* dicat. Nota prima est hæc (1 Joh. iv. 3): *Quicumque spiritus non profitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est; et Antichristi est.* Altera habetur in verbis Servatoris nostri (Matth. xxiv. 5): *Multi venient sub nomine meo dicentes, ego sum Christus; et multos seducent*: et alio loco (Marc. xiii. 21): *Si quis vobis dicat, ecce hic est Christus, illic est Christus, ne credatis.* Antichristus ergo erit Christus falsus, id est, aliquis qui se Christum esse profitebitur, nec est. Ex duabus his notis, nempe *Jesum esse Christum negare* et *seipsum esse*

*Christum affirmare*, sequitur, Antichristum debere esse veri Christi hostem. Ex multis autem Antichristis, unus præcipuus est ὁ Αντιχριστος. Jam, cum pontifex Romanus neque *Christum se esse* dicat, neque *Jesum esse Christum* neget, quo sensu Antichristus dici possit non intelligo. Nam Antichristus non est qui Christi vicarium, sed ipsum Christum se esse dicit. Temporis etiam, quando Antichristus hic præcipuus venturus est, notam aliquam, etsi non valde perspicuam, habemus, nempe (Matth. xxiv. 15-22): *cum videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est per Danielem prophetam, positam in loco sancto: et, erit tunc afflictio magna, qualis facta non fuit a principio mundi ad hoc usque tempus, neque unquam fiet; et nisi decurtati fuissent dies illi, periret omnis caro.* Sed afflictio illa nondum venit. Sequutura enim statim est obscuratio solis (vers. 29, 30): *Et stellæ cadent, et potestates cælorum concutientur; et tunc apparebit signum Filii hominis in cælo, etc; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia et gloria multa.* Nondum ergo venit ille Antichristus; pontifices autem multi et venerunt et abierunt. Potestatem quidem in dominiis alienis legislativam sibi assumunt, et regnum quoddam usurpant; sed in hoc mundo, nec ut *Christus*, sed ut *pro Christo* usurpant; id quod nihil habet in se de Antichristo.

In libro quarto, ut probet pontificem Romanum in controversiis omnibus tum fidei tum morum supremum esse judicem, quod tantundem est ac si illum Christianorum omnium monarcham absolutissimum esse dixisset, tres adducit propositiones. Primam, judicia ejus infallibilia esse: secundam,

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

quod in Christianis dominiis potestatem habet leges condendi, illosque puniendi qui illas transgredientur: tertiam, Servatorem nostrum jurisdictionem ecclesiasticam omnem in pontificem Romanum contulisse.

Pro judiciorum papalium infallibilitate, multa adducit Scripturæ loca: primum, Luc. xxii. 31, 32: *Simon, Simon, ecce, Satanas petit vos, ut ventilet sicut triticum; sed ego precatus sum pro te, ne deficiat fides tua: tu igitur, aliquando conversus, stabili fratres.* Ex quo loco Bellarminus concludit, Christum Simoni Petro duo concessisse privilegia; unum, quod nec ipse nec successores ejus quicquam, vel in fide vel in moribus falsum, aut alicujus papæ definitioni contrarium, definirent. Sed locus ille totus attentius considerandus est, qui, ut mihi videtur, contrarium probat ejus quod probatum ille vellet. Sacerdotes et scribæ Servatoris nostri in festo Paschæ occidendi consilium inierant, quem Judas etiam jam illis prodere deliberarat. Venit autem ad festum Christus, et cum Pascha una cum Apostolis celebraret, dixit illis festum illud se iterum celebraturum non esse, antequam venisset regnum Dei; dixit etiam ut ab uno eorum proderetur. Cum igitur apostoli Christum ante Pascha proximum regnaturum esse crederent, inter se *quis esset tunc maximus in illo regno*, (vers. 24) contendeant. Quapropter Servator noster illis dixit (vers. 25-30): “reges quidem ethnicos dominium exercere in subditos suos, et benefactores appellari; vos autem non sic, sed unus vestrum alteri debet ministrare. Regnum quidem vobis dabo, sed quale mihi dedit Pater meus, sed non habendum ante adventum meum; tum demum comedetis et

bibetis ad mensam meam, et sedebitis super thronos, judicantes tribus Israelis." Regnum autem hoc sanguine Christi et martyrum ejus redimendum erat. Tum Christus ad S. Petrum conversus, verba illa supra citata pronuntiavit, *Simon, Simon, etc*; quibus significabat Satanam apostolis præsentis dominationis, quo fidem eorum de regno venturo debilitaret, spem illis suggestisse; precatum autem esse se pro Petro, ne illius fides deficeret; illumque, qui sciret regnum Dei non esse ex hoc mundo, ut fratres suos in eadem fide confirmaret jussisse. Atque eo etiam pertinet responsum Petri (vers. 33): *Domine, paratus sum tecum ire in carcerem et ad mortem*. Manifestum ergo ex hoc loco est, non solum S. Petro nullam datam esse, sed etiam in mandatis habuisse, ut cæteros apostolos doceret, jurisdictionem illis debitam non esse. Neque pro S. Petri, in sententia ferenda de articulis fidei, infallibilitate operatur quicquam adductus textus; multo minus pro infallibilitate successorum ejus, sed potius contra, propterea quod dicitur in plurali "cribrare petit vos," sed singulariter "precatus sum pro te."

Locus secundus est Matth. xvi. 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo meam ecclesiam: et portæ inferorum non prævalebunt contra eam*. Unde amplius inferri nihil potest, ut superius ostensum est, quam quod contra Petri confessionem illam, *Jesus est Christus filius Dei*, portæ inferorum non prævalebunt.

Textus tertius est ex Joh. xxi. 16, 17: *Pasce oves meas*. Hoc autem non imperandi, sed docendi mandatum est; idque tamdiu tantum, quamdiu rex Christianus non esset, qui potestatem illam potestati



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

civili adjunctam haberet. Sicut enim ab Abrahamo, non a mercenario poscit Deus rationem administrationis dominii sui paterni et despotici, ita etiam a regibus et summis imperantibus idem rationem administrationis civitatum suarum exiget, non a mercenariis, sed ab ipsis.

Locus quartus est Exod. xxviii. 30: *Pones in sacro illo pectorali juris Urim et Thummim, quæ sint supra cor Aaronis*: quem locum a Septuaginta redditum esse dicit per *ἀήλωσιν καὶ ἀλήθειαν*, id est, *evidentiam et veritatem*; inde autem concludit sacerdoti summo datam esse lucem et veritatem. Quicquid autem significant Urim et Thummim, manifestum tamen est ex eo textu, data ea esse sacerdoti summo, id est, illi qui summam in civitate Israelitarum habuit potestatem. Militat ergo textus hic summo imperanti civili contra suprematum ecclesiasticum pontificis Romani.

Ut probet judicia pontificis circa mores infallibilia esse, locum citat Joh. xvi. 13: *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, dux viæ vobis erit in omnem veritatem*. Cum judicia omnia, tum fidei tum morum, regibus sustulerit, quid habent omnino quod faciant reges? Quas leges ferent, cum lex nulla sit quæ non sit aut regula morum, ut ne quis sit homicida, vel fur, vel mœchus, vel mendax, vel avarus, et similia; aut regula fidei et cultus divini. Sed verba textus consideremus: *Spiritus veritatis dux vobis erit in omnem veritatem*; an recte infertur inde solius pontificis esse judicare de moribus civium in civitate aliena. Quid habent commune *veritas* et *mores*. Veritas verborum est tantum; mores autem hominum sunt sub legibus viventium. Mores doceri quidem pos-

sunt a summo pontifice ; sed an boni, an mali sint, nisi in suo ipsius dominio, judicare non debet. Etiam si verum esset, non posse omnino errare Papam, id tamen jus judicandi in civitatibus alienis nullum contributoret. Deinde a ratione naturali pro infallibilitate Papæ arguit sic : Si Papa in rebus ad salutem necessariis errare posset, tunc ad salutem ecclesiæ non satis a Christo provisum est ; propterea quod doctrinam Papæ sequi nobis imperavit. Ubi autem Christus id jusserit, aut omnino de Papa locutus sit, non ostendit. Etiam concessio, Papæ datum esse quicquid S. Petro datum est ; quia tamen in Scriptura Sacra nusquam jubemur obedire Petro, injustus esset qui, si facere aliquid Petrus juberet quod legibus patriis contrarium esset, illi obediret.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Postremo, Papam potestatem habere summam per totum orbem Christianum in rebus civilibus, neque Papa, neque ecclesia definivit. Non ergo obligantur jurisdictionem ejus in rebus moralibus agnoscere omnes Christiani. Imperium enim civile summum, et suprema de controversiis moralibus judicatio, eadem est res : imo, reges non modo quid sit justum et injustum in actionibus definiunt, sed etiam justitiam ipsam per leges suas faciunt ; justitia autem et injustitia ad moralia pertinent. Neque justum aut injustum in moribus quicquam est, nisi id quod ita factum est per leges civiles.

Ut Papam potestatem habere in civitatibus alienis legislativam probet, adducit locum Deut. xvii. 12 : *Vir autem ille, qui fecit superbe, ut non auscultet sacerdoti constanter ministranti Jehova Deo tuo, aut judici ; utique morietur vir ille, et tolles malum illud ex Israele : oblitus, quod summus sacerdos*

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

summam tunc haberet potestatem civilem, iudicesque sub se constitueret. Nihil aliud ergo probant verba illa, nisi quod vir ille, qui summo imperanti civili obedire recusaverit, morietur, etc. Id quod conclusioni Bellarmini directe contrarium est.

Secundo, adducit textum Matth. xvi. 19: *Quicquid ligaveris in terra, etc*; et ita interpretatur, ac si potestas illa ligandi esset potestas legislativa; quam potestatem locus hic attribuit potestati civili. Scribæ enim et Pharisei sedebant tunc, non Petrus, in cathedra Mosis, et propterea *ligare* idem erat quod legem condere.

Locus tertius est Joh. xxi. 17: *Pasce oves meas*, id quod non est legibus cogere, sed docere.

Locus quartus est Joh. xx. 21; qui locus probat contrarium. Verba enim sunt: *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos*. Christum autem misit Deus, ut morte sua credentes in illum redimeret; et ut per prædicationem ipsius et apostolorum suorum ad regnum suum futurum in mundo venturo illos præpararet. Cum ergo Deus Pater filium suum leges in hoc mundo laturum non miserit, multo minus potestatem illam dedit Sancto Petro. Locus ergo hic suprematum ecclesiasticum et imperium civile conjungit, contra id quod ex eo Bellarminus inferre voluit.

Locus quintus est Act. xv. 28, 29: *Visum est Spiritui Sancto et nobis, ne quod amplius imponeremus onus præter necessaria ista; ut abstineatis ab iis quæ sunt immolata simulacris, et sanguine, et suffocato, et fornicatione*. Ubi per *onus imponere* intelligit potestatem legislativam. Sed locum hunc Bellarminus, etsi Latine scribere satis sciret, non satis intellexit, vel si intellexit, verbis illis ad potes-

tatem pontificiam sciens abusus est. Quod lege imponitur, si quidem grave sit, vocari etiam onus potest per metaphoram. Etiam quod a medico imponitur ægrotanti bibendum pharmacum, si grave sit, etiam onus appellari potest. Quod lex imponit, ad bonum imperantis, id est, ad bonum publicum imponitur; ideoque is, cui imponitur onus illud, perferre quatenus potest, obligatur. Sed quod a medico imponitur, ad bonum solius ægrotantis imponitur, neque aliud est quam convalescentiæ adispicendæ apposita conditio, quæ si duriuscula sit, appellatur onus. Et sicut præcepta medicorum, ita quoque præcepta pastorum sine autoritate civili leges non sunt, sed consilia; quæ sequi vel negligere suo cujusque periculo permissum est. Tale autem erat onus, de quo in hoc textu sermo est, nempe, quod gentibus conversis ab esu eorum animalium quæ simulachris immolata erant, et ab esu suffocati et sanguinis abstinendum erat. Sed si prohibeatur esus sanguinis, et prohibitio illa sit lex quam obligamur omnes Christiani custodire; quare hodie Christiani ubique, etiam in Roma ipsa, sanguinem vulgo comedunt? Apostolorum ergo acta concilii leges esse, ex hoc textu Bellarminus non probavit.

Locus sextus est Rom. xiii. 1: *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto: non enim est potestas nisi a Deo*: id quod intelligendum esse vult, non solum de principibus secularibus, sed etiam de ecclesiasticis. Ad quod pro responso, id quod sæpe ante dictum est referam, nimirum principes ecclesiasticos præter principes civitatum nullos esse, nec fuisse unquam. Nam si apostolus voluisset subditos nos, non solum princi-

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

pibus nostris esse, sed etiam Papæ, qui est princeps externus, imposuisset nobis onus non solum grave, sed etiam quod Christus ipse (Matth. vi. 24) pronuntiavit esse impossibile, nempe *duobus dominis simul servire*. Quanquam autem Sanctus Paulus alicubi (2 Cor. xiii. 10) dicat: "*Scribo hæc absens, ne præsens uterer acrimonia, juxta potestatem quam mihi Christus dedit;*" non tamen intellexit Sanctus Paulus potestatem sibi datam esse occidendi quenquam, aut incarcerandi, aut mittendi in exilium, aut flagellandi, aut pecunia mulctandi; sed tantum excommunicandi, id est, sine potestate civili excommunicatum fugiendi; id quod sæpenumero excommunicanti quam excommunicato gravius est.

Septimus locus 1 Cor. iv. 21: *Quid vultis? Cum virga veniam ad vos, an cum charitate et spiritu lenitatis?* Hic rursus loquitur Sanctus Paulus non de punitione, sed de censura ecclesiastica, quæ sua natura pœna non est, sed pœnæ in seculo venturo denuntiatio. Nondum ergo potestatem episcopi Romani probavit esse legislativam.

Locus octavus est 1 Tim. iii. 2: *oportet autem episcopum unius uxoris virum esse*: quam dicit esse legem. Credideram quidem, legislativam in ecclesia potestatem soli ecclesiæ monarchæ, Sancto Petro, concessam esse. Contrarium autem apparet ex hoc textu, cum Paulus etiam potestatem eandem habuerit. Dicent forte, Paulo a Petro præceptum hoc datum esse. Neque tamen sic lex erit; cum Timotheus neque Petri neque Pauli subditus esset, sed discipulus.

Textus nonus est 1 Tim. v. 19: *Adversus presbyterum accusationem ne recipito, nisi sub duobus aut tribus testibus*. Respondeo, ut sæpe ante,

præceptum hoc, consilium quidem sanum esse, sed legem non esse. CAP. XLII.

—  
De potestate  
ecclesiastica.

Locus decimus est Luc. x. 16 : *Qui vos audit, me audit ; et qui vos aspernatur, me aspernatur.* Dubium quidem non est, quin Christum aspernetur quicumque aspernatur eos quos Christus misit. Sed a Christo missi qui sunt, præter eos, qui pastores constituti sunt per auctoritatem legitimam? Et quis est, qui legitime ordinatus est, nisi a pastore suo supremo? Quis denique in civitate Christiana pastor rite ordinatus est, nisi a potestate civitatis summa? Inferri ergo ex hoc textu potest, illum, qui regem suum Christianum audit, audire Christum ; illumque, qui doctrinam regis sui legibus confirmatam aspernatur, ipsum Christum aspernari. Imo, rex Christianus, quatenus pastor tantum est et doctor civium, non facit ut doctrinæ ejus leges sint. Leges obligant ; ad credendum vero nemo obligari potest, sed ad actiones tantum et verba, si opus sit. Ex quo sequitur rursus, leges, quas fecerit rex in sua civitate ecclesiasticas, easdem esse leges civiles.

Locus undecimus est textus, in quocunque apostolus pro *consilio* verbo utitur aliquo, quod consilio cum imperio sit commune ; ut in quo obedientiam vocat consilium alicujus sequi, ut 1 Cor. xi. 2 : *Laudo vero vos, fratres, quod omnia meministis, et sicut tradidi vobis, traditiones retinetis.* Quod ut significet traditiones Pauli leges fuisse, aut aliud præter consilium, longe abest ; et ut locus ille, 1 Thess. iv. 2 : *Nostis enim, quæ mandata dederimus vobis :* ubi vox Græca significat traditiones ; quæ non leges, sed consilia sunt : et locus 2 Thess. iii. 14, 15 : *Quod si quis non auscultet*

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

*nostro per epistolam sermoni, hunc notate: et ne commercium habete cum eo, ut erubescat: neque ut inimicum ducite, sed admonete ut fratrem; ubi a voce ὑπακούει probatum vellet Thessalonicensibus epistolam hanc fuisse legem. Imperatorum sane epistolæ leges erant. Si ergo lex etiam esset epistola S. Pauli, obligaremur obedire duobus dominis. Sed vox illa Græca significat, non modo imperata facere illius qui potestatem habet puniendi si non faciamus, sed etiam consilium sequi illius qui nobis ad bonum nostrum recte consultit. Paulus ergo illum, qui non auscultaverit, pro inimico haberi prohibet, sed admoneri tantum ut fratrem jubet; id est, verberari, incarcerari, mulctari, quod legislatoribus licitum est, prohibet. Ex quo manifestum est, id quod Christianos metuere pastores suos fecit, non apostoli imperium, sed existimationem ejus fuisse.*

Locus ultimus est Heb. xiii. 17: *Obedite ductoribus vestris, et obsecundate; excubant enim ipsi pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri.* Atque hoc rursus loco, obedire idem est quod consilium sequi. Ratio enim quare pastoribus nostris obediendum sit, non ducitur a voluntate et imperio pastorum, sed a beneficio quod ipsi inde accepturi sumus, nempe ab animarum nostrarum salute. Præterea, qui legibus obedire obligantur, leges ipsas examinare non debent; sed S. Johannes, (1 Epist. iv. 1,) *ne credatis, inquit, omni spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sint: nam multi pseudoprophetae venerunt in mundum.* Constat ergo, pastorum suorum doctrinas posse a Christianis hominibus disputari: sed leges eorum, qui potestatem civilem summam habent, disputari sine peccato a subditis suis non posse. Alioqui enim civi-

tatum omnium institutiones frustra essent, et proinde pax et justitia cessarent, contra leges omnium humanas tum divinas. Nihil ergo ex citatis locis, neque ex ullis scripturæ aliis, probari potest, pontificum Romanorum decreta, extra dominia sua temporalia, esse leges.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Conclusio ejus ultima, nempe, *Servatorem nostrum jurisdictionem ecclesiasticam nemini commisisse immediate, præterquam Papæ*, ad quæstionem de suprematu ecclesiastico inter Papam et reges Christianos non pertinet, sed tantum ad quæstionem inter Papam et episcopos cæteros. Dicit autem, primo, jurisdictionem episcoporum esse, saltem universaliter, *de jure divino*, id est, jure derivato a Deo ipso. Ad quod probandum adducit S. Paulum, dicentem (Ephes. iv. 11): *Is igitur dedit alios quidem apostolos, alios vero prophetas, alios autem evangelistas, alios autem pastores et doctores*; infertque inde, episcopos omnes jurisdictiones suas habere a jure Dei; idque non *immediate*, sed *per derivationem* a jure divino quod habet Papa. Concesso autem hoc, jurisdictio quænam alia, etsi mere civilis, legitima existit in civitate Christiana, quæ non sit etiam *de jure divino*? Habent enim potestatem suam civilem Christiani reges, non minus immediate a Deo, quam Papa jurisdictionem suam ecclesiasticam ab eodem Deo habere profitetur. Itaque id, quod ministri per auctoritatem ejus faciunt, non minus *jure divino immediato* faciunt, quam quod faciunt per ordinationem papalem episcopi cæteri. Potestas enim legitima omnis a Deo est; in supremo quidem imperante, immediate; in illis autem qui jurisdictionem suam a rege agnoscunt, mediate. Conce-



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

dendum ergo est, aut ministrum quemlibet exiguum in civitate jurisdictionem suam jure divino exercere, vel episcopis, ut jurisdictiones suas ita teneant, Papa excepto, concedendum non est.

Sed disputatio, an jurisdictionem talem dederit Christus soli Papæ, an cæteris etiam episcopis, extra dominium Papæ temporale tota contentio est de lana caprina; neque enim ille, nec hi jurisdictionem omnino ullam habent. Jurisdictio enim nihil aliud est præter potestatem legitimam, lites inter civem et civem cognoscendi et decidendi; et ad neminem pertinere potest præter illum, qui potestatem habet justis et injustis regulas præscribendi, id est, leges condendi, et eos, qui sententiæ ejus stare recusaverint, vel judicium quos ille constituerit, gladio publico cogendi; quam potestatem habet nemo præter civitatem, id est, præter eum qui civitatis personam gerit.

Quando ergo adducit Bellarminus, (ex Luc. vi. 13), Servatorem nostrum convocasse discipulos suos, et ex illis duodecim apostolos nominasse, probat quidem potestatem illis dedisse Christum prædicandi, non autem lites inter concives determinandi. Potestatem enim illam ipse Christus recusavit, cum diceret (Luc. xii. 14): *Quis me judicem aut divisorem inter vos constituit?* Et alio loco (Joh. xviii. 36): *Regnum meum non est hujus mundi.* Atqui potestatem cognoscendi et decidendi inter cives controversias, omnino nullam habet. Quod tamen non impedit quin Servator noster potestatem illis prædicandi, et baptizandi, in loco quocunque concedere potuerit, ubi sine transgressione legum civilium id fieri potuerit. Nam legibus civilibus tum apostoli, tum Christus ipse, obediendum esse passim docuerunt.

Argumenta autem, quibus probare conatur jurisdictionem suam accipere episcopos a pontifice Romano, cum pontifex ipse in dominiis alienis jurisdictionem nullam habeat, omnia frustranea sunt. Veruntamen, quia probant jurisdictionem episcoporum derivari a potestate summa civili, digna puto ut ea recitem. Primum est a Num. xi. 16, 17: ubi Moses, cum administrationi reipublicæ Israeliticæ non sufficeret, jussus est a Deo eligere sibi septuaginta viros ex senioribus Israelis, ut Deus partem spiritus Mosis illis daret. Intelligitur autem inde, non spiritum Mosis a Deo debilitatum fuisse; sic enim Deus illum non omnino sublevasset; sed quod Deus auctoritatem illorum ab auctoritate Mosis derivatam esse ostenderet, quemadmodum Bellarminus ipse recte et ingenue locum hunc interpretatur. Quoniam ergo potestatem civilem in Israelitis integram tunc habebat Moses, habebant etiam auctoritatem suam septuaginta viri a summa potestate civili. Locus ergo ille probat, in omni civitate Christiana jurisdictionem episcoporum dependere a summa potestate civili, quemadmodum a potestate Papæ in dominio suo temporali.

Argumentum secundum sumitur a natura monarchiæ. In monarchia autem auctoritas omnis originaliter in uno tantum homine est; in cæteris, per derivationem ab illo. Sed regimen ecclesiæ monarchicum esse assumit, et inde infert episcopos alios jurisdictionem suam accipere ab episcopo Romano. Sed ecclesiæ rector sive monarcha sit, sive, ut ante dixit, partim monarcha, sive monarcha mixtus, argumentum ipsum pro regibus militat. Sunt enim illi subditorum suorum, id est, ecclesiarum quæ in suis ipsorum dominiis existunt, (ecclesia enim, et populus Christianus, eadem res est),

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

monarchæ pleni et integri. Neque in civitate non Romana quicquam est potestatis concessum homini externo, neque archicum neque craticum; sed tantum didacticum. Obedientiam enim non coactam, sed voluntariam accipit Deus.

Tertium est sumptum ex Cypriano, qui sedem S. Petri *caput, fontem, radicem, et solem* appellat, unde episcoporum authoritas derivatur. Videtur Bellarminus quæstiones juris testibus determinari non debere iguorasse. Leges naturæ (quæ juris et injuriæ distinguendæ principia meliora sunt, quam doctorum verba) *caput, fontem, radicem, et solem*, unde jurisdictio omnis derivatur, in iis qui summam in civitatibus suis habent potestatem collocant; et proinde jurisdictio episcopalis derivatur omnis a potestate civili.

Argumentum quartum ab inæqualitate sumit jurisdictionum. Inquit enim, si jurisdictionem episcopis aliis Deus dedisset immediate, dedisset etiam jurisdictionem æqualem; videmus autem, alios oppidi unius tantum, alios oppidorum centum, alios integrarum provinciarum episcopos esse; quas differentias non determinat verbum Dei. Non sunt ergo jurisdictiones eorum a Deo datæ immediate. Argumentum hoc validius fuisset, si probatum fuisset ante, jurisdictionem in Christianos omnes universalem habuisse episcopum Romanum. Sed neque probatum est ante, neque post probari poterit. Cognitum enim est jurisdictionem amplam illam, quam habuere pontifices Romani, datam illis fuisse ab illo qui vere habuit, nempe a Romano imperatore, qui sedem imperii et religionis principalem eandem esse voluit. Habent ergo episcopi singuli jurisdictionem suam ab authoritate illius,

in cujus dominio illam exercent : et proinde ipsum Papam auctoritatem suam, extra dominia sua temporalia, debere illis, qui sunt civitatum, ubi illam exercet, summi imperantes.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Argumentum quintum tale est ; *si jurisdictionem suam episcopi a Deo haberent immediate, neminem ex episcopis illis episcopatu suo deprivare posset ; nihil enim facere potest contra ordinationem divinam ;* et consequentia quidem bona est ; *sed Papa, inquit, hoc facere potest, et fecit sæpe.* Conceditur etiam hoc, subaudito, quod ita fecerit in suo ipsius dominio, vel etiam in alieno si consentiat dominus loci. Sed ut hoc facere possit universaliter, et jure ipsius episcopatus Romani, concedendum non est. Potestas enim illa ad potestatem pertinet civitatum singularium, et summæ potestati civili essentialis est. Ante regnum Saulis in Israele, cum summa potestas civilis in summo sacerdote resideret, ille solus sacerdotem potuit deponere. Rursus, cum potestas illa esset in regibus Israelis, sacerdotem deponere potuit rex, et sacerdotem summum Abiatharum deposuit rex Solomon, (nec ob eam rem a Deo reprehensum esse legimus) et in ejus locum constituit Zadochum. Episcopus ergo ordinandi et deprivandi, prout ad salutem populi visum erit, in suis dominiis, potestas solorum regum est.

Argumentum sextum est ; si jurisdictionem suam *jure divino immediato* habeant episcopi, debent id probare ex verbo Dei ; sed hoc non possunt. Argumentum quidem bonum est, nec quicquam dicam in contrarium. Sed argumentum idem similiter probat, Papæ ipsi in dominio alieno jurisdictionem nullam esse ; neque enim id probare ex verbo Dei possunt pontificii.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Postremo testimonium adducit duorum Paparum Innocentii et Leonis; neque dubito quin potuerit, eodem jure, testimonia adduxisse Paparum fere omnium post S. Petrum. Quis enim, cum potestatis cupido humano generi tam firmiter infixam sit a natura, non ad idem testandum adduceretur? Sed tamen in propria causa testaretur; et proinde testimonium ejus bonum non esset.

Liber quintus quatuor habet conclusiones: primam, *Papam non esse dominum totius orbis*: secundam, *Papam non esse dominum totius orbis Christiani*: tertiam, *Papam in dominiis alienis jurisdictionem temporalem nullam habere directe*. Tria hæc facile conceduntur. Quarta est, *Papam in dominiis alienis potestatem habere temporalem summam indirecte*; quæ negatur; nisi per *indirecte* intelligat potestatem illam viis indirectis acquisitam esse; tunc enim id quoque concedi potest. Sed, ut ego sententiam ejus intelligo, potestatem illam pontificis Romani esse dicit, jure quodam, quod authoritati ejus pastorali per consequentiam necessariam adhæret; quia potestatem pastorem, quam spiritualem vocat, exercere sine illa non potest. Per hanc autem authoritatem consequitivam, pontifici Romano regna mutandi, modo in unum, modo in alium transferendi, prout ad salutem animarum ipsi conducere videbitur, jus attribuit.

Antequam argumenta ejus considerem, abs re non erit, si breviter ostendero, conclusionis hujus momentum, quantum a regibus, et ab iis qui summam habent potestatem civilem, pensitari debeat, et ut cogitent, an subditorum suorum bono, cujus rationem redituri sunt, utile sit; et an tuto concedi possit.

Quando Papam in dominio alieno potestatem summam directe habere negat; ita intelligendum est, ac si diceret, potestatem illam non venire ad pontificem Romanum ea via qua reges potestatem suam obtinuerunt, nimirum ab eorum, qui regendi sunt, submissione originali. Potestatem tamen eandem via alia sibi vindicat, etiam sine consensu populi, nempe ut dono Dei factam suam in assumptione sua ad papatum. Quacunque tamen via illam habuerit, eadem tamen semper est potestas; et per eam, si concedatur, principes et civitates dominio suo spoliare jure potest, quoties saluti animarum videbitur conducere, id est, quoties vult: nam judicandi utrum ad salutem animarum conducatur necne, solum se judicem esse postulat. Doctrinam autem hanc, non solum in libro hoc Bellarminus sustinet, doctoresque alii multi in scriptis et concionibus suis docuerunt, sed etiam concilia aliqua decreverunt, atque etiam aliquando, data occasione, in praxin intulere. Concilium enim Lateranense, habitum sub Papa Innocentio tertio, (cap. iii. *de hæreticis*), hunc habet canonem: *si rex, a Papa admonitus, regnum suum ab hæreticis non purget, et ob eam rem excommunicatus intra spatium anni non satisfaciat, subditi ejus ab obedientia absolvantur.* Et doctrina hæc facto, tum ante tum post decretum hoc, confirmata est; ut, cum Chilpericus rex Galliarum, multo ante Concilium hoc, depositus esset a Papa Zacharia; et cum imperium Romanum translatum esset in Carolum Magnum; et cum opprimeretur in Anglia Johannes rex per instigationem Papæ circa tempora illius Concilii; et postea cum regnum Navarræ translatum esset in regem Hispaniarum; et nuper, in conspiratione cum

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

proceribus Galliae contra regem eorum Henricum tertium. Paucos puto esse principes, qui injusta et incommoda hæc esse non sentiant; sed illud non sufficit. Debent enim decernere tandem an reges, an subditi esse velint. Pluribus dominis servire populus non potest. Sublevandum ergo est a regibus suis, imperium in manibus propriis integrum retinentibus, vel in manus Papæ integrum tradentibus; ut illi, qui obedire parati sunt, in obedientia sua protegantur. Distinctio enim imperii *temporalis* et *spiritualis*, verba mera sunt, et dividitur imperium non minus periculose per admissionem potestatis alterius *indirectæ*, quam *directæ*.

Sed veniamus jam ad argumenta Bellarmini. Quorum primum est; *potestas civilis subjicitur potestati spirituali: ergo is qui supremam potestatem habet spiritualem, jus habet imperandi in principes temporales, et disponendi de eorum temporalibus in ordine ad spiritualia*. Quod ad distinctionem attinet temporalium et spiritualium, videamus in quo sensu fieri possit, ut dici possit sine absurditate, potestatem temporalem potestati spirituali subjectam esse. Cum dicimus enim potestatem potestati subditam esse, intelligendum est, aut illum, qui unam habet, illi, qui habet alteram, subditum esse, vel potestatem unam esse ad alteram ut medium ad finem. Intelligere enim non possumus, potestatem unam, sive jus unum in potestatem aliam, id est, jus aliud, potestatem vel jus habere imperandi. Nam *subjectio, imperium, jus*, et *potestas* accidentia sunt non potestatum, sed personarum. Potestas quidem una alteri subordinata esse potest, quemadmodum ars faciendi ephippia arti equitandi subordinata esse potest. Etsi

ergo concedatur potestatem civilem subordinatam esse potestati papali, tanquam medium ad felicitatem spirituales; non tamen sequitur, si potestas civilis sit in rege, et potestas spiritualis in Papa, ideo obligari regem obedire Papæ, magis quam unusquisque, qui artem habet faciendi ephippia, obligatur obedire omni equiti. Sicut ergo a subordinatione artium inferri non potest subjectio artificum; ita neque a subordinatione regiminum inferri potest subjectio regentium. Quando ergo potestatem civilem spirituali dicit esse subditam, intelligit ipsum civitatis imperatorem subditum esse imperatori spirituali. Argumentum itaque hujusmodi est: *qui habet potestatem summam civilem, subditus est illius qui habet potestatem summam spirituales; ergo princeps spiritualis jus habet imperandi in principes temporales.* In quo argumento assumit reges Papæ esse subditos, id quod debuit demonstrasse; de consequentia enim, quin bona sit, nulla est controversia. Deinde procedit argumentum suum confirmans hoc modo: *Reges et Papæ, clerus et populus, unam faciunt civitatem, id est, unam ecclesiam: in omnibus autem corporibus, membra a se mutuo dependent: sed spiritualia non dependent a temporalibus: ergo temporalia dependent a spiritualibus: et per consequens illis sunt subjecta.* In qua ratiocinatione duo sunt errores satis crassi: alter quod dicit, reges, papas, clerum omnesque alios Christianos, unam constituere rempublicam. Manifestum enim est, rempublicam unam esse Galliam, alteram esse Hispaniam, et aliam esse Venetias, etc. Hæ autem componuntur ex hominibus Christianis, et sunt per consequens totidem ecclesiæ: et summi imperan-

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.



## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

tes earum diversæ sunt personæ, qui loqui, agere, consulere, etc, possunt, sicut homines singulares; id quod ecclesia universalis facere non potest, quia personam representativam in terra nullam habet; nam si haberet, dubium nullum esset, quin illa potestatem haberet per totum orbem Christianum summam, tum spiritualem tum temporalem. Papa autem, ut sit persona hæc, tribus caret rebus, quas illi Servator noster non dedit, nempe *jus imperandi*, *jus judicandi*, et *jus puniendi*. Etiam dato, quod Papa solus esset Christi in terra vicarius, non tamen vicariatum illum exequi jure posset, antequam Servator noster in die ultimo regnaturus venerit. Etiam tunc non Papa, sed ipse S. Petrus cum cæteris apostolis mundum judicaturus est.

Argumenti hujus error alter est, quod dicat membra reipublicæ, sicut corporis naturalis, unum ab altero dependere. Quod quidem inter se cohæreant, non negabitur. Sed dependent ab eo solo qui summam habet potestatem, id est, ab anima reipublicæ, qua deficiente deficiunt, ita ut ne unus quidem homo cum altero cohæreat propter defectum summi imperantis, a quo cuncti simul dependerent; non aliter quam membra corporis naturalis resolvuntur in terram, defectu animæ quæ illa contineret. In hac ergo similitudine nihil est unde inferretur populi dependentia a clero, vel ministrorum temporalium a spiritualibus, sed amborum a summo imperante: qui quidem leges, quas facit, ad salutem animarum debet dirigere; sed non ideo, cuiquam subditus est præterquam ipsi Deo. Evanescit ergo parallogismus hic Bellarmini, elaboratus ad decipiendum illos, qui distinguere nesciunt inter subordinationem artium ad finem, et subjec-

tionem personarum in administratione mediorum. Unicuique enim fini media determinantur vel per naturam, vel per Deum ipsum supernaturaliter : sed potestas cogendi homines mediis certis uti, in omni gente per leges naturæ est in summo imperante civili.

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Argumentum ejus secundum est; *respublica omnis omni non sibi subditæ imperare potest, et cogere eam administrationem publicam mutare, et quod majus est, principem deponere, et in illius locum alium constituere, si contra injurias, quas parat sibi facere, alio modo seipsam defendere non possit : multo magis respublica spiritualis temporali imperare potest, administrationem publicam mutare, principes deponere, alios instituere, quoties bonum spirituale aliter tueri nequit.*

Quod civitas hæc omnia facere possit, ut se defendat ab injuriis, negari non potest, et a me supra demonstratum est. Verum quoque est, si qua esset in hoc mundo civitas spiritualis, distincta ab omni civitate temporali, principem civitatis illius potestatem habiturum, si aliter se reparare aut tutari non posset, bellum in illos, qui injuriam facerent nec repararent, inferendi, id est, deponendi, occidendi, subjugandi, aliudve hostile faciendi. Sed per eandem rationem, non minus principi temporali licitum erit, acceptis aut expectatis injuriis similibus, bellum inferre in illum qui habet suprematum spiritualem. Sed hoc amplius, puto, est, quam quod ab argumento suo illatum voluit Cardinalis.

Cæterum civitas spiritualis in hoc mundo nulla est; cum res eadem sit cum regno Christi, quod adhuc venturum est, nempe, quo tempore resurgent mortui; et qui crediderunt in Christo, quanquam

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

mortui sunt quoad corpora naturalia, resurgent corpora spiritualia, et Servator noster, victis adversariis, civitatem constituet spiritualem et æternam. Interea autem, quia homines in hoc mundo non habebunt corpora spiritualia, nulla esse potest civitas spiritualis civium existentium in carne.

*Tertium argumentum est, regem infidelem vel hæreticum Christianis, si modo illos conetur a fide abducere, tolerare licitum non est: judicare autem utrum rex subditos suos ad hæresin adducere conetur necne, pertinet ad Papam: jus ergo habet Papa utrum princeps deponendus, an retinendus sit, judicandi.*

Respondeo utrumque esse falsum; nempe primum, Christiano regem suum in quocunque casu non esse tolerandum; nam legibus divinis, tum naturalibus tum positivis, contrarium est: et secundum, nempe judicem hæresium quemquam alium esse præter eum qui summam habet potestatem civilem. Hæresis enim alia res non est præter opinionem privatam, contra leges civitatis obstinate propugnatam. Impossibile ergo est, opinionem ullam hæreticam esse, quam publice doceri jubent vel permittunt leges civitatis.

Ut autem regem infidelem vel hæreticum tolerare Christianis illicitum esse probet, locum citat (ex Deut. xvii. 15), ubi Deus Judæos prohibuit, ne regem electuri imperium extraneo darent: atque inde infert, Christiano non licere regem sibi eligere non Christianum. Sane Christianus, id est, is qui Servatorem nostrum agnoscere et illi servire se semel obligavit, si regem eligeret, quem certo sciret conaturum esse a fide illum abducere, Deum nimium tentaturus esset. Sed idem, inquit, peri-

culum est, eligere in regem hominem non Christianum, quod electum deponere. Ad quod respondeo, quæstionem hic non esse de non deponendi periculo, sed de deponendi jure. Christiano, regem eligere non Christianum, potest fortasse aliquando peccatum esse; sed electum deponere, cum sit contra fidem datam, injustum semper est. Neque doctrinam hujusmodi pro Christiana habitam esse legimus tempore apostolorum, neque temporibus imperatorum Romanorum, antequam potestas Papæ culminaret. Sed ad hoc responsum est a Bellarmino, Christianos veteres ob eam tantum causam non deposuisse Neronem, neque Diocletianum, neque Julianum, neque Valentem Arrianum, quod viribus carerent. Ita forte est. Sed ad deponendum Cæsarem, vel saltem Pilatum, qui Christum sine causa Judæis crucifigendum tradidit, viribusne caruit Christus? Vel si apostoli ad deponendum Neronem viribus caruere, ideone necessarium illis erat, in epistolis ad proselytas, illos docere potestatibus, nempe Neroni et aliis regibus, obedientiam esse debitam, idque non propter metum tantum, sed etiam propter conscientiam? Apostolosne docuisse dicemus contra conscientias suas, quia carebant viribus? Non ergo, quia caruerunt viribus, principes suos ethnicos vel Christianos, doctrinam aliquam erroneam doceri passos, tolerarunt, sed quia peccatum fuisset si non tolerassent. Quod autem pro potestate Papæ temporali citat etiam S. Paulum (1 Cor. 6), iudices commendantem sub principibus ethnicis alios quam ipsi constituerant; non est verum. Nam (vers. 5) S. Paulus Corinthios admonet tantum, ad componendas eorum lites arbitros ex fratribus sumere, potius quam

CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

coram iudicibus ethnicis litigare, id quod sanum et charitatis plenum est præceptum, et in optimis civitatibus Christianis imitatione dignum. De periculo autem ne religio inde corrumperetur, non erat subditi iudicare; vel si iudicare illius sit, etiam in dominio Papæ ipsius temporali, de doctrina Papæ jure iudicabunt illius subditi.

Argumentum quartum a regum sumitur baptizatiōne, in qua scepra sua, ut dicit Bellarminus, submitunt Christo; promittuntque custodire et tueri fidem Christianam. Et recte quidem hoc. Reges enim Christiani ipsi, Christi sunt subditi. Quod tamen non impedit, quin pontificibus Romanis sint æquales.

Argumentum quintum sumitur ab eo quod dixit Christus, *pasce oves meas*; quibus verbis pontifici Romano potestatem omnem datam esse dicit, pastoris necessariam; qualis est potestas abigendi lupos, id est, hæreticos; et potestas clausos tenendi arietes furentes, qui gregem cornibus petere consueverunt, id est malos, licet Christianos, reges; et potestas præbendi gregi alimentum suum debitum. Atque has potestates S. Petro a Christo datas esse dicit. Respondeo potestatem hanc de alimentis, nihil aliud esse præter potestatem prædicandi. Pro prima, de abigendis hæreticis, citat Matt. vii. 15: *Cavete vobis a pseudopropheta, qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces*. Sed hæretici pseudopropheta non sunt; neque apostoli hæreticos, quanquam lupi essent, jubentur interficere, vel si iidem reges fuerint, deponere; sed cavere, fugere, et evitare. Neque S. Petro neque apostolis a Christo hæc dicta sunt, sed multitudini Judæorum, qui eum sequuti sunt

in montem, homines magna ex parte nondum conversi ad fidem. Quod autem attinet ad potestatem arietes furentes coercendi et a grege reliquo separandi, Servator noster potestatem illam in hoc mundo ipse recusavit, triticum et zizania simul jubens crescere usque ad diem judicii; multo minus potestatem tantam dedit S. Petro, aut S. Petrus successoribus suis. Tum ille, tum pastores cæteri jubebantur Christianos illos, qui ecclesiam audire nolunt, tanquam ethnicos et publicanos ducere. Cum ergo Papæ in ethnicos potestas nulla sit, in eos etiam qui pro ethnicis haberi debent, nulla est.

CAP. XLII

De potestate  
ecclesiastica

Præterea, ab ipsa potestate prædicandi potestatem in reges coercivam concludit Bellarminus. *Pastoris*, inquit, *est gregem pascere*: potest ergo Papa, ut officium suum faciant, reges cogere. Unde sequitur Papam, quatenus hominum Christianorum pastor est, regum esse regem. Quod an concedendum sit, reges ipsi viderint.

Sextum et ultimum argumentum ab exemplis sumitur. Sed exempla nihil probant. Secundo, exempla, quæ ille adducit, speciem juris nullam habent. Id quod fecit Jehoiadas, qui Athaliam interfecit (2 Reg. xi. 15, 16), aut factum est auctoritate regis Joaz, aut summi sacerdotis ingens crimen erat. Nam sacerdos summus eo tempore regi erat subditus. Quod Ambrosius imperatorem Theodosium excommunicaverit, crimen erat læsæ majestatis. Quod ad judicia attinet Gregorii I, Gregorii II, Zachariæ, et Leonis III, in suis ipsorum causis nihil valent; et facta, quæ huic doctrinæ conformia perpetrata sunt, præcipue vero factum Zachariæ, criminum, quæ cadere possunt in naturam humanam, maxima fuerunt.

## CAP. XLII.

De potestate  
ecclesiastica.

Hactenus de potestate ecclesiastica; ubi brevior fuisset, argumentisque Bellarmini pepercissem, nisi fuissent Bellarmini, id est, pontificatus Romani contra reges Christianos pugilis.

---



---

 CAPUT XLIII.

DE HIS, QUÆ AD RECEPTIONEM IN REGNUM CÆLORUM  
SUNT NECESSARIA.

SEDITIONUM et belli civilis in rebus publicis Christianis prætextus frequentissimus jamdudum fuit, difficultas, nondum satis sublata, Deo et homini simul obediendi, quando pugnare inter se videntur eorum imperata. Non quod sit, qui nescit Deo obediendum potius esse quam homini cuicumque; sed quod nesciant aliquando, an id, quod in Dei nomine imperatum est ab homine, sit revera imperatum a Deo, an qui imperat, ad proprium emolumentum nomine Dei abutatur. Sicut enim olim in ecclesia Judæorum multi surrexere pseudoprophetæ, qui populi favorem somniis et visionibus fictis captaverunt; ita etiam in ecclesia Christi, falsi quidam per omnia tempora extitere doctores, qui existimationem apud populum per doctrinas falsas et fantasticas obtinere studuerunt, eo fine, ut cum lucro proprio eos regerent.

Verum illis, qui distinguere possunt inter ea quæ ad receptionem in regnum Dei necessaria sunt, et quæ necessaria non sunt, difficultas hæc simul obediendi Deo et summæ potestati civili, nulla est. Siquidem enim, quod imperatur a summo imperante civili tale sit, ut obediri possit sine jactura vitæ æternæ; tunc non obedire injustum est; et locum habet præceptum apostoli (Col. iii. 22): *Servi, obedite dominis vestris in omnibus*; et (Col. iii.

20) : *Filii, obedite parentibus vestris in omnibus* ; CAP. XLIII. et locum habet præceptum Servatoris nostri (Matth. xxiii. 2, 3) : *Scribæ et Pharisei sedent in cathedra Mosis ; omnia ergo quæ dicent, observate et facite*. Sin quod imperatur tale sit, ut sine damnatione ad mortem æternam obedire non possimus, tunc obedire furor esset. Consilium ergo Servatoris nostri locum habet (Matth. x. 28) : *Ne timete eos, qui occidunt corpus, sed animam occidere non possunt*. Quicumque ergo tum pœnas hujus mundi propter violationem legum civilium, tum pœnas mundi venturi propter contumaciam erga Deum debitas, effugere cupiunt, opus habent ut distinguere quæ sint necessaria, et quæ non sint necessaria ad introitum in regnum cœlorum, doceantur.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cœlorum sunt necessaria.

Quæ ad salutem æternam necessaria sunt, duabus virtutibus continentur, *fide* in Christum, et *obedientia* legibus præstita. Posterior harum, si perfecta esset, sola sufficeret. Cæterum quoniam rei sumus omnes contumaciæ in Deum, non solum originaliter ab Adamo, sed etiam actu propter transgressiones proprias, opus nunc habemus, non solum ut pro reliquo tempore *obedientes* simus, sed etiam ut peccata præterita nobis *remittantur*. Quod autem ad salutem nihil aliud necessarium sit, ex eo perspicuum est, quod regnum Dei nemini clausum sit præterquam legum transgressoribus ; neque illis, si resipiscant, et Christianæ fidei articulos ad salutem necessarios omnes credant.

Quod ad obedientiam attinet, amplius a Deo, qui voluntatem pro opere accipere promisit, non postulatur, quam obediendi conatus serius. Et propterea, obedientia sæpenumero sub nomine *charitatis* et *dilectionis* commendatur : significat enim



## CAP. XLIII.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cœlorum sunt necessaria.

obediendi voluntatem : et Servator noster dilectionem Dei et proximi, totius legis impletionem vocat. Aliquando etiam pro *obedientia*, *justitia* ponitur : justitia enim voluntas est suum cuique tribuendi, id est, obediendi legibus. Sæpe etiam pro *obedientia*, ponitur *resipiscentia*, sive *pœnitentia* ; quæ significat aversionem a peccato, id est, voluntatem ad obedientiam revertendi. Quicumque ergo sincere et toto corde mandata Dei implere cupit, item quemcunque peccatorum vere pœnitet, et quicumque Deum toto corde diligit, et proximum sicut seipsum, omnem habet obedientiam saluti æternæ necessariam. Nam si postularet Deus innocentiam, servari nemo posset. Accipit Deus justitiam hominis, id est, voluntatem Deo subactam ; non exigit innocentiam ipsam ultra conatum nostrum.

Sed quænam sunt mandata illa Dei, quibus obedire necessarium est ? Leges Mosaicæ suntne omnes leges Dei ? Si sint, cur non docemur Christiani illis obedire ? Si non sint, quænam aliæ sunt præter leges naturæ ? Nam Servator noster non nobis novas tulit leges, sed custodire docuit quas habuimus, id est, leges naturales et civiles. Lex autem Dei, quæ jubet obedientiam legibus civilibus, jubet per consequens obedientiam præstandam esse præceptis omnibus Scripturæ Sacræ ; quæ Scripturæ Sacræ, ut capite præcedente ostensum est, ibi tantum leges sunt, ubi a potestate civili in leges sunt receptæ. In locis aliis consilia sunt, quæ suo quisque periculo sine injustitia sequi vel non sequi potest.

Cum explicatum jam sit, quænam obedientia ea sit, et cui præstanda, quæ necessaria est ad salutem æternam ; consideremus nunc fidem ; nempe, quibus et cur credimus, et quinam sunt articuli cre-

ditu necessarii illis, qui sunt salvandi. Primo autem, **CAP. XLIII.** is, cui credimus, aliquis est, quem loquentem audivimus; quia credere impossibile est illi, qui quid dixerit, ignoramus. Abrahamus, Isaacus, Jacobus, Moses, et prophetæ Deo crediderunt, qui ipsos alloquutus est supernaturaliter. Similiter, Christus erat is, cui crediderunt apostoli et discipuli, et quem loquentem audiverunt. Sed de illis, quibus neque Deus neque Christus unquam loquutus est, dici non potest, quod Deo crediderint; sed tantum quod apostolis, et post eos, pastoribus et doctoribus ecclesiæ fidem habuerint, qui historiam Veteris et Novi Testamenti illis commendaverant. Fides itaque Christianorum, ex quo Christus assumptus est, pro fundamento habuit, pastorum primo suorum existimationem, deinde auctoritatem eorum, qui fecerunt ut Scripturæ Sacræ fidei essent regula; id quod soli facere potuerunt reges Christiani, alique qui summam habuere potestatem. Illi ergo pastores supremi sunt, solique, per quos hodie loquentem Deum audiunt Christiani; nisi forte excipere velimus eos ad quos, si qui sunt, Deus hodie loquitur supernaturaliter. Sed hi, quia multi pseudoprophetæ in mundum venerunt, examinandi sunt ab omni Christiano, an ex Deo sint necne. Quoniam ergo doctrinarum examen ad pastorem supremum inprimis pertinet, pastor supremus solus est, in quo ultimo fides subditorum suorum determinari debet.

Causæ propter quas doctrinam Christianam credimus, variæ sunt. Est enim fides donum Dei, quam in diversis hominibus viis diversis, prout sibi ipsi visum est, operatur. Causa, propter quam articulum aliquem fidei credimus, frequentissima et proxima est, quod Scripturas Sacras prius crediderimus esse verbum Dei. Quare autem Scrip-

Deiis, quæ ad receptionem in regnum cœlorum sunt necessaria.

## CAP. XLIII.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.

turas Sacras verbum Dei esse credimus, disputari solet, quemadmodum necessarium est multum disputari quæstiones illas, quæ non recte proponuntur. Non enim quæerunt, *cur credimus*, sed, *unde scimus*; quasi idem esset *credere* et *scire*. Dum ergo pars altera scientiam suam deducere conatur ab infallibilitate ecclesiæ, altera a testimonio spiritus sui privati, pars neutra id quod vult probat. Infallibilitas enim ecclesiæ, nisi Scripturarum infallibilitate prius cognita, sciri non potest. Spiritum autem suum privatum quis dignoscit a spiritu doctorum morum, quorum autoritate ducitur, vel a spiritu arrogantia? Præterea, in Scripturis, unde ecclesiæ infallibilitas inferri possit, nihil invenitur; multo minus, infallibilitas ecclesiæ cujusquam particularis; et minime omnium, hominis privati.

Manifestum ergo est, homines Christianos non *scire* Scripturas esse verbum Dei, sed tantum *credere* ita esse; et causam illis credendi frequentissimam esse doctores suos. Hoc dicit S. Paulus (Rom. x. 17) universaliter de fide Christiana, *fides est ex auditu*; et (vers. 14, 15) *quomodo autem credent, de quo non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi sint missi?* Ex quo perspicuum est, causam credendi Scripturas esse verbum Dei, eandem esse, propter quam credimus articulos alios omnes, nempe, quod eos audimus, qui lege constituti sunt, id est, domi parentes, in ecclesiis pastores, ut nos doceant. Quænam enim causa alia reddi potest, quare in civitatibus Christianis, Scripturas esse verbum Dei omnes credant, vel saltem credere se profiteantur; in civitatibus cæteris, vix unus aut alter; nisi quod in civitatibus Christianis ab

infantia id credere doceantur, in civitatibus non Christianis doceantur contrarium. CAP. XLIII.

At si fidei causa sit, doceri, cur non credunt omnes; nisi quod fides sit donum Dei, quod, cui vult, dat et negat? Sed tamen quando dat, per doctores dat; et proinde causa fidei immediata est auditus. Quemadmodum in ludo literarum, ubi docentur multi, quidam proficiunt, quidam non proficiunt, differentia non semper a magistro est. Bona omnia a Deo quidem proficiscuntur, sed per media plerumque naturalia. Non est ergo temere credendum illis, qui doctrinis suis donum Dei prætendunt supernaturale; doctrina enim eorum examinanda prius est ab ecclesia.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.

Sed Scripturas esse verbum Dei sive *sciamus*, sive *credamus*, sive *concedamus*; si ex illarum locis apertis, quinam fidei articuli ad salutem æternam sint necessarii, et soli necessarii, ostendero; eos, nec alios, necessarios esse *sciendum*, *credendum*, vel *concedendum* est.

*Unum necessarium*, nempe, unicus articulus fidei, quem ad salutem æternam necessarium faciunt Scripturæ Sacræ, hic est, *quod Jesus est Christus*. Per nomen autem Christi, intelligitur rex ille, quem Deus per prophetas Veteris Testamenti missurum se esse in mundum promiserat, ut regnaret in Judæos, et gentes alias in illum credituras; et qui vitam æternam, quam perdideramus in Adamo, restitueret. Quod cum probavero, ostendam quatenus necessarii sunt etiam articuli alii nonnulli.

Ad probandum quod tota fides ad salutem necessaria continetur in uno hoc articulo, *Jesus est Christus*; argumentum primum sumetur ab evangelistarum scopo. Scopus autem eorum is erat, ut in Servatoris nostri vita describenda illum unum

## CAP. LXIII.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.

articulum stabilirent. Evangelii S. Matthæi summa hæc est, Jesum fuisse ex stirpe Davidis ; natum ex Virgine ; venisse Magos, ut eum pro rege Judæorum agnoscerent et adorarent ; Herodem eum, ne regnaret, conatum esse interficere ; Johannem Baptistam illum regem proclamasse ; Christum ipsum apostolosque ejus regem illum esse prædicasse ; legem docuisse non ut Scribæ, sed ut qui haberet authoritatem ; morbos solo verbo sanasse, aliaque miracula fecisse, quæ Christum facturum esse prædixerant prophetæ ; monuisse discipulos, ne aliis, qui se Christos profiterentur, crederent ; captum, accusatum, et occisum, quod se regem esse dixerit ; titulum cruci inscriptum fuisse, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Quæ omnia eo spectaverunt, ut crederent homines *Jesum esse Christum*. Summa hæc est evangelii scripti a Matthæo. Evangelistarum autem reliquorum scopus idem erat. Johannes autem de evangelio suo in fine (Joh. xx. 31.) expresse dicit, *hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum illum filium Dei*.

Argumentum secundum est a subjecto concionum apostolicarum, tum ante, tum post ascensionem Christi. Ante ascensionem suam, misit apostolos suos (Luc. ix. 2.) regnum Dei prædicaturos ; et (Matth. x. 7.) mandavit illis hoc solum, *iter facientes proclamate dicentes, appropinquavit regnum Dei*, id est, Jesum esse Messiam, Christum, regem, qui venturus erat. Item post ascensionem Christi, idem prædicaverunt, ut patet ex Act xvii. 6, 7. *Traxerunt Jasonem et quosdam fratres ad civitatis magistratus, vociferando, isti qui orbis terrarum statum subverterunt, etiam hic adsunt : quos excepit Jason : qui omnes contra edicta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, nempe*

*Jesum. Et vers. 2, 3, capitis ejusdem: Paulus vero, sicut consueverat, introivit ad eos, et per Sabbatharia disseruit cum iis ex Scripturis; explicans, et ob oculos ponens, oportuisse Christum pati, et resurgere ex mortuis; et hunc Jesum, quem ego, inquit, annuncio vobis, esse Christum illum.* CAP. XLIII.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.

Argumentum tertium sumitur ab iis locis Scripturæ, quæ fidem omnem ad salutem necessariam dicunt esse facilem. Si enim assensus animi internus ad omnes doctrinas fidei, quæ nunc docentur, quarum magna pars hodie disputatur, ut necessarius requireretur, nihil difficilius esse posset quam esse Christianum: nec latro in cruce, (Luc. xxiii. 42.), propter verba hæc, *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*, quibus alium articulum confessus non est præter hunc, *Jesum esse Christum*, salvari potuerat: nec potuerat dixisse Christus (Matth. xi. 30): *Jugum meum facile est, et onus meum leve est*: neque (Matth. xviii. 6.) parvos pueros in illum credere: nec potuerat dixisse Paulus (1 Cor. i. 21): *Libuit Deo per stultitiam prædicationis servare credentes*: neque denique, Paulus ipse tam subito Christianus, multo minus Doctor ecclesiæ adeo eminens, fieri potuerat, qui de transubstantiatione, purgatorio, aliisque articulis multis quæ nunc obtruduntur, nunquam quicquam audierat.

Argumentum quartum sumitur a locis quibusdam, de quorum interpretatione nunquam extitit controversia, ut Joh. v. 39: *Scrutamini Scripturas, quia videmini vobis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testantur de me.* Scripturæ autem illæ, aliæ non erant præter Testamentum Vetus; Novum enim nondum scriptum erat. Sed in Testamento Vetere de Christo nihil invenitur, præ-

CAP. XLIII. ter notas et signa per quæ, cum veniret, agnosci posset; nimirum, quod esset ex stirpe Davidis, nasciturus in Bethlehem, ex virgine, faceretque magna miracula. Credere ergo Jesum esse illum, satis erat ad vitam æternam; plusquam autem satis necessarium non est. Et per consequens, articulus ille solus necessarius est. Item Johannes dicit (cap. xi. 26): *Quisquis vivit, et credit in me, non morietur in æternum.* Sed credere in Jesum, idem est quod credere *Jesum esse Christum*; ut apparet (ex vers. 27), ubi Marthæ dicit Christus, *credis hoc?* Et illa respondet, *etiam Domine, ego credo te esse Christum illum, filium Dei, qui in mundum venturus erat.* Solus ergo ad salutem sufficit articulus ille unus. Item Joh. xx. 31; *Hæc scripta sunt ut credatis Jesum esse Christum, filium Dei, et ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Ubi rursus credere *Jesum esse Christum*, sufficere significatur ad vitam æternam obtinendam. Rursus 1 Joh. iv. 2: *omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum venisse in carne, ex Deo est*: et 1 Joh. v. 1: *quicumque credidit Jesum esse Christum, ex Deo natus est*: et vers. 5: *Quis est qui vincet mundum, nisi qui credit Jesum esse filium Dei?* Et Act. viii. 36, 37; *Eunuchus dixit Philippo, en aquam; quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, si credis ex toto corde, licet. Respondens autem ille dixit, credo Jesum Christum esse filium Dei.* Articulus ergo hic, *Jesus est Christus*, sufficit ad baptismum, id est, ad receptionem in regnum Dei; et per consequens, solus necessarius est. Etiam universaliter, in locis omnibus ubi dicit cuiquam Christus, *fides tua te salvum facit*, causa dicti est confessio aliqua, per quam directe vel ex consequentia intelligitur, *Jesum esse Christum.*

De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.

Argumentum ultimum sumitur a locis illis Scripturæ, ubi articulus hic dicitur esse fundamentum fidei; salvabitur enim, qui tenet fundamentum. Locus primus est, Matth. xxiv. 23, 24: *Si quis vobis dixerit, ecce, hic est Christus, aut hic: ne credite: excitabuntur enim pseudochristi, et pseudoprophetæ, et edent signa magna et miracula, etc.* Videmus hic articulum illum, *Jesum esse Christum*, tenendum esse, etsi miracula magna fecerint qui docent contrarium. Locus secundus est Gal. i. 8: *Etiam si nos aut angelus e cælo evangelizet vobis præter id quod vobis evangelizavimus, anathema sit.* Id autem, quod Paulus et apostoli reliqui evangelizaverunt, articulus erat hic, *Jesus est Christus*. Autoritas ergo angeli e cælo, multo magis hominis mortalis, si contrarium doceant, negligenda est. Est ergo articulus ille fidei Christianæ fundamentum. Tertius locus est 1 Joh. iv. 1, 2: *Dilecti, ne cuius spiritui credite: ex hoc cognoscite Dei spiritum; quicumque spiritus profitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Perspicuum hinc est, articulum illum mensuram et regulam esse, per quam omnes alii articuli examinandi et judicandi sunt, et per consequens, solum esse fundamentalem. Locus quartus est Matth. xvi. 18, ubi postquam S. Petrus Christo dixisset, *tu es Christus, filius Dei viventis*, respondit Christus, *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo meam ecclesiam.* Articulus ergo ille fundamentum est, cui innituntur reliqui omnes ecclesiæ articuli. Locus quintus est, 1 Cor. iii. 11-15: *Fundamentum aliud nemo potest statuere præter id quod positum est, quod Jesus est Christus: quod si quis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam,*

CAP. XLIII.

De his, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.



## CAP. XLIII.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.

*cujusque opus manifestum fiet: dies enim id declarabit; nam per ignem revelabitur: et cujusque opus quale sit, ignis probabit: si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet: si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet: ipse vero servabitur, ita tamen ut per ignem.* Quæ verba cum sint partim perspicua et intellectu facilia, et partim allegorica et difficilia; concludo ex perspicuis, pastores, si fundamentum doceant, nempe *Jesum esse Christum*, quanquam falsas inde consequentias aliquas deducant, (ut hominibus quibuscunque pronum est errare), salvandos tamen esse; multo magis, salvari posse illos qui ea credunt, quæ a pastoribus suis legitimis didicere. Sufficit ergo articulus hic ad salutem, et per consequens, solus necessarius est. Quod attinet ad verba illa allegorica, *uniuscujusque opus per ignem probandum esse, et salvandos esse, ita tamen ut per ignem; videntur alludere ad verba prophetæ Zachariæ, (xiii. 8, 9): Dictum Jehovah, ut partibus duabus in terra excisis et expirantibus, tertia relinquetur in ea; et inducam tertiam istam in ignem, conflansque eos, ut conflatur argentum, probabo eos, quemadmodum probatur aurum; et invocabunt nomen meum, et ego exaudiam eos.* Dies judicii est dies restitutionis regni Dei; et illo die futuram esse mundi conflagrationem, dicit S. Petrus, 2 Epist. iii. 7, etc. In qua conflagratione peribunt quidem improbi, reliqui autem, quos Deus salvos esse vult, transibunt per ignem illæsi, et in eo igne, sicut aurum et argentum, probabuntur, et purgati ab idololatria nomen invocabunt Dei veri. Ad hæc verba alludens S. Paulus, diem, inquit, id est, diem judicii, diem magnum restitutionis regni Dei, pastorum doctrinas probaturum esse, an sint puræ, ut aurum,

argentum, etc.; an inutiles, ut lignum, fœnum, etc.; tunc autem, qui super fundamentum verum falsa aut nugatoria ædificaverunt, ea videbunt condemnata; ipsi tamen salvabuntur, et transibunt per ignem hunc illæsi ad vitam æternam, nomen veri Dei invocaturi. In qua interpretatione, nihil est quod fidei Christianæ sit contrarium; sed ne scintilla quidem purgatorii.

CAP. XLIII.  
 De his, quæ ad receptionem in regnum cœlorum sunt necessaria.

Quæret fortasse aliquis, an æque necessarium ad salutem non sit, credere *Deum esse omnipotentem; creatorem mundi; Jesum Christum resurrexisse et homines in die ultimo resurrecturos esse omnes; ac credere Jesum esse Christum.* Respondeo, hos omnes multosque alios articulos necesarios quidem æque esse, sed ideo, quia in illo uno continentur. Quis enim est, qui non vidit, credentes Jesum esse filium Dei omnipotentis, necessario simul credere Deum esse rerum omnium creatorem omnipotentem? Aut quomodo credi potest, Jesum regem esse in æternum regnaturum, ab eo qui illum non credit resurrexisse a mortuis? Mortuus enim regnare non potest. Quicumque autem fundamentum tenet, *Jesum esse Christum*, omnia tenet quæ inde inferri possunt, sive illationis vim ipse intelligit, sive non intelligit. Firmum ergo restat unum hunc articulum, creditum pœnitentibus, ad remissionem peccatorum fidei satis esse, et proinde solum necessarium.

Ostensum ante est, obedientiam, quanta ad salutem æternam requiritur, consistere in voluntate implendi legem Dei quatenus possumus, id est, in pœnitentia peccantium. Ostensum item est fidem, quanta ad salutem necessaria est, contineri in hoc articulo, *Jesus est Christus.* Loca Scripturæ nunc proferam aliqua, quibus probatur, omnia simpli-

## CAP. XLIII.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.

citer ad vitam æternam necessaria contineri in illis simul conjunctis. Homines illi, quos S. Petrus die Pentecostes, post ascensionem Servatoris nostri proximo, prædicatione sua ad fidem Christianam converterat, Petrum cæterosque apostolos interrogaverunt (Act. ii. 37), *quid faciemus viri fratres?* Quibus (proximo versu) respondit Petrus, *resipiscite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomen Jesu Christi, in remissionem peccatorum: et accipietis donum Spiritus Sancti.* Baptizari ergo in nomen Jesu Christi, una cum pœnitentia, omnia continet ad salutem necessaria. Rursus, cum a quodam ex primoribus interrogaretur Christus (Luc. xviii. 18): *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondit illi Servator noster (ver. 20): *Præcepta nosti, ne mœchare, ne occidito, ne furare, ne falsum testimonium dicito, honora patrem tuum et matrem tuam.* Quæ cum observasse se dixisset, adjecit Christus (vers. 22): *Omnia quæ habes vende, et distribue pauperibus, et habebis thesaurum in cælo: et sequere me,* id est, confide in me qui sum rex. Itaque legem implere, et credere Jesum esse regem, totum est quod requiritur ad vitam æternam. Præterea, S. Paulus dicit (Rom. i. 17): *Justus ex fide vivit;* non dicit, *unusquisque,* sed *justus.* Fides ergo et justitia conjunctim, omnia continent ad salutem necessaria. Postremo, Marc. i. 15: *appropinquavit regnum Dei; resipiscite, et credite evangelio.* Itaque resipiscere et credere Jesum esse regem, sufficiunt ad salutem.

Cum ergo fides et obedientia utraque necessaria sit ad salutem, quæstio, utra earum justificet, frustra disputatur. Quo autem sensu justificare dicatur una et altera, explicare non inutile erit. Si per

justitiam intelligatur justitia operum; justificari, qui legem Dei semel transgressus est, potest nemo. CAP. XLIII.  
 Intelligenda ergo est justitia hominis, legem Dei observare conantis. Voluntatem enim accipit Deus De iis, quæ ad receptionem in regnum cælorum sunt necessaria.  
 pro ipso opere. Atque hoc sensu solo est, quod homo aliquis dici potest *justus*, et quod per justitiam suam justificatus sit. Justitia ergo justificat, quatenus *justum* denominat, non quatenus legem ita impleverit, ut puniri juste non possit.

Sed justificari etiam dicitur is, cujus defensio, quanquam non sufficiens, recipitur tamen et approbatur; ut cum pro defensione allegamus, quod volumus, quod conati sumus legem implere, et quod peccata nostra ipsi condemnavimus. Quoniam ergo Deus voluntatem pro ipso opere eorum tantum accipit, qui credunt in Jesum Christum; fides sola, in hac verbi acceptatione, justificare dici potest; adeo ut *fides* et *obedientia* utraqueificent, sed in diversa significatione vocis *justificare*.

Cum ostensum jam sit, quænam ea sint quæ necessario requiruntur ad salutem; obedientiam erga Deum cum obedientia erga reges reconciliare difficile non est. Rex enim aut Christianus est, aut infidelis. Si Christianus, articulum hunc, *Jesum esse Christum*, neminem negare cogit. Legibus autem civilibus, in quibus continentur leges omnes naturales, recte et jure obedire cogit. Qui ergo regi suo Christiano obedientiam præstat, obedire Deo non impeditur. Sed si Rex Christianus, qui fundamentum tenet *Jesum esse Christum*, doctrinas aliquas per imperitiam inde deducens, doceri et teneri imperet, imperato obediendum est. Obediri enim sine animæ periculo potest; judicare autem, in quæstione de sua ipsius obedientia civili, jure nemo potest. Judicat enim de doctrinis fidei

CAP. XLIII. nemo præter ecclesiam, id est, præter illum qui personam gerit ecclesiæ, id est, præter regem, si sit Christianus.

De iis, quæ ad receptionem in regnum cœlorum sunt necessaria.

Sed etsi rex infidelis sit, suorum tamen subditorum quicumque illi restiterit, peccat contra Deum ; quia contra leges naturæ peccat, quæ sunt divinæ. Peccat etiam contra consilium apostolorum, Christianos omnes principibus suis, filios omnes parentibus suis, et servos omnes dominis suis obedire præcipientium, idque in omnibus. Quod autem attinet ad conscientiam hominum, quæ interna et invisibilis est, potestatem habent omnes eandem, quam habuit Naaman ; neque ad pericula se offerre opus habent. Cæterum si id faciant, præmium suum in regno Dei expectare debent, nec regem suum legitimum accusare, multo minus occidere, aut bello persequi. Sed quis, etsi infidelis rex, subditum suum sciens regem alterum non nunc, sed post finem mundi expectare, ita stupidus est ut ob illam causam eum occisum velit ?

Atque hæc de regno Dei et politica ecclesiastica dicta sufficiant : cum sint omnia a Scripturis Sacris derivata, atque ex iis locis quæ minime obscura et controversa sunt, et scopo totius Scripturæ Sacræ, quæ scripta est pro regni Dei in Christo restitutione, consentanea. Non enim verba nuda, sed scriptorum scopus Scripturis explicandis verum lumen præfert : qui autem textibus singularibus utuntur, consilio operis ipsius non adhibito, nihil fere perspicue explicabunt, sed Scripturæ atomis, quasi sparso pulvere, omnia obscuriora facient quam sunt ; id quod eorum artificium esse solet, qui non veritatem, sed suum ipsorum emolumentum quærunt.

# DE REGNO TENEBRARUM.

## CAPUT XLIV.

DE TENEBRIS SPIRITUALIBUS AB INTERPRETATIONE NON  
RECTA SCRIPTURARUM.

PRÆTER summas potestates, *divinam et humanam*, CAP. XLIV.  
de quibus hactenus disseruimus, legimus in Scrip-  
turis Sacris de potestate adhuc alia, nempe, ea quam  
dicit S. Paulus (Eph. vi. 12): *Quoniam non est*  
*nobis lucta adversus sanguinem et carnem, sed*  
*adversus imperia, adversus potestates, adversus*  
*mundi hujus principes tenebrarum, adversus spiri-*  
*tuales improbitates in rebus cœlestibus*; et Matth.  
xii. 26: *Sed si Satanus Satanam ejicit, adversus*  
*seipsum dissidet: quomodo ergo stabit regnum*  
*ejus?* et Matth. ix. 34: *Per principem dæmonio-*  
*rum ejicit dæmonia*, id est, phantasmata quæ ap-  
parent in aere; unde Satanus dicitur, Eph. ii. 2,  
*Princeps potestatis aeris*; et quia regnat in mun-  
di hujus tenebris (Joh. xvi. 11), *princeps hujus*  
*mundi*. Et propterea, qui principatui ejus subjecti  
sunt, *fili* vocantur *tenebrarum*; nimirum, ut dis-  
tinguantur a fidelibus, qui *fili lucis* appellantur.  
Cum enim Beelzebub sit rex phantasmatum, quæ  
aerem et tenebras incolunt; *fili tenebrarum*, phan-  
tasmata, et spiritus illusionis, idem significant.  
Regnum ergo tenebrarum, prout in locis supra  
citatatis aliisque Sacræ Sripturæ textibus intelligitur,  
definiri potest: *impostorum confœderatio, qui ut*

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

CAP. XLIV. *in alios in præsentī mundo dominantur, lumen tum rationis naturalis tum evangelii per doctrinas erroneas et obscuras extinguere, et in viam salutis æternæ tenebras inducere conantur spirituales.*

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Quemadmodum homines, qui a nativitate sua luce oculorum penitus destituuntur, luminis omnino ideam nullam habent; neque imaginari quisquam lumen majus potest, quam aliquando ante viderit: ita etiam luminis evangelii, et luminis rationis gradum majorem existere non putant homines, quam quem ipsi jam assequuti sunt. Atque hinc est, quod homines tenebras, in quibus versantur, alia via agnoscere non possunt, præterquam ex suis ipsorum offensionibus et infortuniis. Regni Satanæ obscurissima quidem pars est ea, quæ extra ecclesiam Dei est, id est, in qua ambulant infideles; dicere tamen non possumus, quod ecclesia, quasi Goshen, tanta omnino luce fruatur, quanta opus est ad omne opus faciendum quod imperavit fieri Deus. Unde enim oriri potuit, quod Christiani, a tempore pene apostolorum, se mutuo alter alterum ex statu dejecerint, bello aut externo aut civili; quod ad omnem propriarum rerum asperitatem, et ad omnem prosperitatis alienæ eminentiam, toties offendant; et quod ad eandem metam, felicitatem, tam diversis viis curatur; nisi illis nox etiam nunc esset, aut saltem spissa nebula? Sumus ergo etiam nunc in tenebris.

In ignorantiae nostræ naturalis obscura nocte, errorum spiritualium zizania seminavit inimicus. Primo, lumen Scripturarum extinguendo: erramus enim nesciendo sensum Scripturarum. Secundo, ethnicorum poetarum dæmonologiam, id est, doctrinam de dæmoniis, nempe doctrinam de idolis, phantasmatibus, mortuorum umbris, similibusque

fabulis anilibus, admittendo. Tertio, reliquias quasdam religionis et philosophiam Græcorum, præsertim Aristotelis, cum Scripturis Sacris committendo. Quarto, per falsas, fictas, vel incertas traditiones et historias; atque ita erramus *attenti spiritibus deceptoribus et doctrinis dæmoniorum; per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia est cauterisata*, id est, eorum qui falsa loquuntur contra suam ipsorum conscientiam. De tenebris autem ab interpretatione non recta Scripturæ Sacræ, in præsentī capite dicturus sum.

CAP. XLIV.  
De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Scripturarum abusus maximus, et cui cæteri subserviunt aut adhærent, earum detorsio est, ad probandum quod regnum Dei, de quo toties in illis fit mentio, sit ecclesia, quæ nunc est, Christianorum hominum in terra viventium. Manifestum autem est, in contrarium, regnum Dei institutum fuisse a Deo, ministrante Mose, super Judæos solos, qui eam ob causam appellantur in Scripturis populus Dei peculiaris; idemque regnum in electione Sauli regis, desiisse: post id tempus regnum Dei per pactum, in terris nullum fuisse: promississe tamen per prophetas Deum, in regnum suum Judæos iterum admittere tempore quod ipse secum determinaverat, cum per pœnitentiam ad Deum se converterent: invitasse etiam sub iisdem conditionibus conversionis omnes gentes; et filium suum, peccata mundi morte sua expiaturum, in mundum missurum se esse; et doctrina sua ad regnum Dei præparaturum, quod in die iudicii incepturum est.

Errori huic, quod ecclesia, quæ est in terra, est regnum Christi, quodque unum esse oportet vel hominem vel cœtum, per quem Servator noster, qui nunc est in cœlis, homines alloquitur, leges condit,



CAP. XLIV. et qui personam Christi Christianis omnibus repræsentat, consequens est, quod potestatem regalem sub Christo universaliter poscat pontifex Romanus; et quod eandem potestatem in civitatibus nonnullis poscant pastorum conventus. Sunt autem hi qui per vehementiam disputandi lumen naturæ extingunt, tantasque in hominum mentibus efficiunt tenebras, ut quis sit, cui obedientiam promiserant subditi, videre nequeant.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Doctrinæ autem huic, Papam in præsentī ecclesia vicarium Christi universalem esse, consequens est doctrina alia, nempe, regi Christiano necessarium esse coronari ab episcopo aliquo; quasi ab illa ceremonia esset, quod jure divino imperet, et in titulo clausulam hanc habeat, *Dei gratia rex*; quodque regnum suum non a Deo accipiat, nisi datum sit per Dei vicarium, Papam; quodque omnis episcopus Romanæ diœceseos, quando consecratur, Pontifici Romano absolute obediturum se esse juret. Eidem doctrinæ consequens est Concilii Lateranensis decretum, sub Innocentio tertio (cap. III. de hæreticis): *Si rex, a Papa admonitus, regnum suum ab hæresibus non purget, et ob eam rem excommunicatus non satisfaciat intra annum, subditi ejus ab obedientiæ vinculo absolvantur*. Quoties itaque inter Papæ et aliorum principum Christianorum consilia repugnantiam esse contingit (continget autem sæpe), tantæ oriuntur inter subditos regum tenebræ, ut hominem externum, in thronum regium sese intrudentem, ab eo distinguere nesciunt, quem ipsi in eo collocaverant; et præ intellectus cæcitate pugnant inter seipsos, amicos ab inimicis non distinguentes. Ab eadem doctrina, nempe quod ecclesia præsens est regnum

Dei, nascitur quod pastores et ministri ecclesiarum nomen sibi assumant *cleri*, cæteros Christianos appellantes *laicos*, id est, simpliciter *populum*. Clerus enim primo et proprie significat *sortem*, deinde *hereditatem*, et postremo eos qui, regnante Deo in Israele, alebantur ex redivibus publicis quos Deus sibi reservaverat, nempe, ex sacrificiis et oblationibus quas Deus in alimentum ministrorum suorum publicorum, qui erant Levitæ, separaverat. Papa ergo, qui in ecclesia idem esse vult quod erat in regno Dei, id est in Israele, summus sacerdos, redivus similes a Christianis postulat sibi et sacerdotibus suis a Christianis; ad quam rem expediebat ut sacerdotes appellarentur *clerus*. Decimæ itaque, quæ Levitis *jure divino* debebantur in regno Dei, requiruntur et sumuntur jam diu ab ecclesiasticis, non *jure civili*, sed *divino*; et populus ubique per ecclesiam Romanam pensiones publicas duplas solvunt, alteras civitati suæ, alteras clero Romano.

CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Ab eodem errore, quod ecclesia præsens est regnum Dei, introducta est distinctio inter leges *civiles* et *canonicas*. Sunt autem leges civiles, acta imperantium in dominiis propriis; et leges canonicæ, acta Pontificis in dominiis iisdem. Sed hæc, ante imperii translationem in Carolum Magnum leges non erant; quanquam postea, procedentibus indies tenebris, imperatores ipsi eas pro legibus, metu majoris mali a cæcitate populi, admittere coacti sunt.

Hinc etiam est, quod in pluribus dominiis, ubi Papæ potestas ecclesiastica integra recipitur, Judæi et Turci suo modo Deum colere, quatenus contra potestatem civilem non offendunt, permittantur; Christiani autem, civitatum aliarum cives, in Roma

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

nisi Romano modo Deum colere non permittantur. Quare autem? Quia Papa Christianos omnes sibi subditos esse postulat. Quod tamen iniquum est. Nam si Christiano duriosem se præbeat princeps Christianus, quam infideli, inique facit; pro Christo enim sunt, qui non sunt contra Christum.

Præterea, hinc est, quod in omni civitate Christiana potestatem Papæ ecclesiasticam admittente, sint homines quidam a tributis et tribunalibus potestatis civilis exempti; ut ecclesiastici omnes, et monachi, et fratres, quorum numerus in multis locis ad numerum reliqui populi adeo magnam habent proportionem, ut ex illis solis, si opus esset, conscribi exercitus posset, qui ecclesiæ militanti sufficere valeret contra quemcunque principem Christianum qui Papæ adversaretur.

Scripturarum abusus alius est eorum, qui *consecrationem* convertunt in *conjuracionem* sive *incantationem*. *Consecrare*, in Scripturis Sacris, significat rem quamecunque Deo offerre, dare, sive dedicare, id est, ab usu communi, piis et decoris verbis, ad cultus divini usum separare, id quod est sanctificare, ita ut Dei eorumque sit, quos Deus sibi fecit ministros publicos; ut supra (cap. xxxv) fusius dictum est. Consecratione autem illa, non rei consecratæ natura, sed solus usus mutatus est, nempe, ut qui prophanus et communis fuerat, jam sanctus sit, et cultui divino proprius. Sed quando naturam qualitatemque ipsius rei mutatam esse dicunt, non consecratio dicenda est, sed vel opus Dei supernaturale, vel vana et impia incantatio. Quoniam autem mutationem hujusmodi naturæ rerum, quam profitentur, quotidianam esse dicunt, pro opere divino supernaturali haberi non potest. Restat ergo, ut alia

non sit quam *conjuratio* sive *incantatio*; per quam, mutationem naturæ, ubi non est, credi esse volunt, contra oculorum cæterorumque omnium sensuum testimonium. Exempli causa, in consecratione panis et vini in cœna dominica, quæ commemoratio tantum est Christi in cruce ad redemptionem nostram passionis, quando sacerdos verba Servatoris nostri pronuntiat, *hoc est corpus meum et hic est sanguis meus*, naturam panis et vini abire dicit, et in ejus locum succedere Christi corpus verum et verum sanguinem: quanquam neque oculis neque ulli sensui recipientis appareat quicquam quod non apparuerat, antequam verba illa pronuntiarentur. Incantatores Ægyptii, cum virgas suas in serpentes et aquam in sanguinem convertissent, spectatorum sensibus falsa rerum specie illusisse tantum existimantur; vocantur tamen in Scriptura Sacra incantatores. Sed quo nomine appellandi fuissent, si in virgis suis ne species quidem serpentium, neque in aquis illis species sanguinis, ulla apparuisset, sed coram rege impudenter asseruissent virgas, quæ regi ut virgæ apparuerunt, serpentes esse, et sanguinem esse quæ regi aqua videbatur? Appellandi certe erant non modo incantatores, sed etiam impudenter mendaces. Hoc tamen in consecrationibus quotidianis faciunt ecclesiæ Romanæ sacerdotes, verba sacra in incantamentum mutant, quod nihil ad sensum producit novi; impudenter tamen panem in hominem, et quod magis est, in Deum convertisse se affirmantes; et proinde adorandum esse jubentes, tanquam esset Servator noster ipse Deus et homo: quæ idololatria est crassissima. Siquidem enim dicere sufficeret, non amplius panem, sed Deum esse, quare similiter excusare se non potuissent Ægyptii,

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

affirmando porrum et cepe, quæ adorabant, porrum et cepe amplius non esse post incantationem, sed Deum ipsum sub olerum illorum specie. Verba illa, *hoc est corpus meum et hic est sanguis meus*, æquivalent his, *hoc significat, sive repræsentat, corpus et sanguinem meum*; et figura quidem sermonis est usitatissima; quam secundum literam interpretari, Scripturæ abusus esset. Quanquam autem interpretatio talis admitteretur, applicari tamen pani vel sanguini, præterquam illi quem Christus manibus propriis consecravit, nulli potest. Non enim de pane quocunque, et de sacerdote omni qui pronuntiaret illa verba, *hoc est corpus meum*, transubstantiatum iri dixit Christus. Neque ecclesia Romana ipsa doctrinam talem stabilivit ante Innocentium tertium, id est, annis ab hinc circiter quingentis, quando potestas papalis maxima erat, et tenebræ profundissimæ.

Simili incantatione usi sunt sacerdotes ecclesiæ Romanæ in sacramento baptismi, ut videre est in rituali Romano, ubi nomine Dei, Trinitatis, et trium personarum, et signo crucis ad incantamentum abutuntur. Ut primo, in aqua consecranda sacerdos dicit, *conjuro te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi filii sui unici Domini nostri, et in virtute Spiritus Sancti, ut fias aqua conjurata, ad potestates inimici abigendas et eradicandas, etc.* Secundo, in salis cum aqua miscendi benedictione; *ut fias sal conjuratum, quo phantasmata omnia, et fraudum diaboli improbitas fugiat abeatque a loco in quo spargeris; utque spiritus omnis immundus conjuratus sit per eum qui veniet ad judicandum vivos et mortuos.* Tertio, in benedictione olei; *ut po-*

*testas omnis inimici, exercitus omnis diaboli, et phantasmata Satanæ per creaturam hanc olei abigantur.* Quarto, baptizandus infans multifariam incantatur; primo, ad ecclesiæ portam in faciem infantis sufflat ter sacerdos, dicens, *exi ab eo, spiritus immunde, et cede Spiritui Sancto Paracleto*; quasi infantes omnes, antequam a sacerdote insufflentur, essent demoniaci. Rursus, antequam in ecclesiam intret, dicit, *conjuro te, etc. exire, et decedere ab hoc servo Dei.* Idem quoque exorcismus repetitur antequam infans baptizetur. Neque ritus alii, circa matrimonium, extremam unctionem, visitationem ægrotantium, consecrationem ecclesiarum et cœmeteriorum, sine incantationibus peraguntur, ut in quibus oleo et aqua utuntur incantatis, et signo crucis abutuntur, sicut et verbis Scripturæ, *asperges me Domine hyssopo.* Rebus enim hujusmodi efficaciam phantasmata et spiritus imaginarios abigendi tribuendam esse putant aut dicunt.

CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

In exorcismis antedictis notandum etiam est, spiritus immundos, id est, dæmonia, appellari phantasmata; ex quo sequitur, spiritus immundos sive dæmonia a Romana ecclesia non habita esse pro *entibus*, ut loquuntur, *realibus*; et proinde, substantias non esse, sed idola tantum, id est, *nihil*.

Error generalis alius est a non intellectis vocabulis illis, *vita æterna, mors æterna, et mors secunda.* Quanquam enim perspicue dicatur in Scriptura Sacra, Deum Adamum in eo statu posuisse, ut vivere potuisset in æternum, nempe, si mandatum Dei observasset; quæ immortalitas humanæ naturæ essentialis non erat, sed ab esu arboris vitæ dependebat; doctrina tamen hodie alia est, et jamdiu fuit; nimirum, unumquemque hominem *vitam*

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

*æternam* habere sua natura, ex eo quod anima præditus sit immortalis; adeo ut gladius ille in aditu Paradisi, quanquam impediit Adamum ne ex fructu arboris vitæ comederet, impedire illum ne esset immortalis non potuit, neque facere ut redemptione per Christum indigeret; et proinde, non modo fideles, sed etiam reprobis et ethnici vita æterna fruituri sunt. Verum, ut incommodum hoc excusent, per *mortem æternam* intelligendam esse dicunt *vitam æternam*, sed in cruciatibus; quæ est figurata loquutio, præterquam in hac occasione, nunquam usurpata.

Doctrina autem hæc fundatur in quibusdam locis obscurioribus Testamenti Novi; quæ tamen loca, totius Scripturæ scopum considerantibus, in sensu diverso facile explicari possunt. Utrovis autem modo intelligantur, quatenus ad salutem Christiani hominis attinet, non multum interest. Supposito enim morientis hominis restare nihil præter cadaver ejus, nonne Deus, qui hominem ex terra verbo suo fecit vivere, eadem facilitate facere poterit ut cadaver mortuum reviviscat, et vivat in æternum, eodem verbo? *Anima* in Scripturis Sacris, semper significat aut vitam, aut creaturam viventem. Corpus autem et anima conjunctim, idem significat quod corpus vivens. Creationis die quinto, dixit Deus, *producant aquæ reptile animæ viventis: et creavit Deus cetos maximos et omnem animam viventem.* Item de homine, *creavit eum Deus de pulvere terræ, sufflavitque in nares ipsius spiraculum vitæ; sic factus est homo anima vivens.* Et postquam Noah exiisset ex arca, promisit Deus non amplius percutere *omnem animam viventem.* Et Deut. xii. 23: *Sanguis cujusque*

*est ejus anima.* Etiam immundus habebatur lege Mosaica, qui tetigerat *animam mortuam*, id est, cadaver mortuum. Nihil hic, neque in aliis locis Scripturarum, aliud significat anima, præter *ipsum animal*, aut *vitam* ejus. Anima immortalis nusquam legitur, neque substantia incorporea a corpore separata. *Spiritus* autem, et *vita æterna*, passim leguntur. Quod animæ fidelium, non sua natura sed gratia Dei speciali, una cum corporibus a resurrectione mansuræ sunt in æternum, ex Scripturis Sacris ostensum est, supra capite trigesimo octavo. Ubi autem legitur in Testamento Novo, esse qui conjicientur, corpus et anima, in Gehennam ignis, *corpus et anima*, idem significat quod *corpus animatum*.

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Per hanc fenestram est, quod doctrina illa tenebrosa intravit de *cruciatibus æternis*, et de *pœnis purgatorii*, et consequenter de *mortuorum spiritibus* in locis consecratis, solitariis, et tenebrosis ambulantis; et proinde etiam de *exorcismo* et *conjuratione* phantasmatum; item, de *invocatione mortuorum*; et de *indulgentiis*, id est, de exemptione ex igne purgatorii, ubi substantiæ incorporeæ illæ purgari et cælo præparari igne supponuntur. Nam ante tempus, in quo versatus est in terris Servator noster, maxima pars hominum, ad quos pervenerat doctrina dæmoniorum sive dæmonologia Græca, in ea opinione erat, animas humanas substantias a corporibus distinctas esse et separabiles; et per consequens, mortuo homine, sive bono sive malo, animam ejus per virtutem naturæ propriæ, sine recognitione ulla divinæ gratiæ, debere subsistere alicubi. Itaque doctores ecclesiæ primitivæ aliquamdiu dubitarunt, quo loco, ante-



## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

quam cum corporibus in resurrectione denuo uni-  
rentur, mansuræ essent; putaruntque aliqui, quod  
requiescebant sub altaribus. Sed ecclesiæ Romanæ  
utilius tandem visum est, mansionem illis hanc ædi-  
ficare purgatorii.

Consideremus jam loca Scripturæ illa, quibus  
maxime innituntur errores illi tres proxime supe-  
riores. Argumentis enim Bellarmini, quibus pro-  
bare conatus est regnum Dei esse ecclesiam ad-  
ministratam a Pontifice Romano in hoc mundo,  
responsum est ante, et demonstratum, regnum Dei  
institutum sub Mose desiisse in electione regis  
Sauli, et post illud tempus sacerdotem summum,  
authoritate propria, regem Israelis nullum depo-  
suisse. Id enim quod Athaliæ fecit sacerdos sum-  
mus, non jure suo fecit, sed jure regis Joashi,  
Athaliæ filii. Sed rex Solomon jure suo Abiatha-  
rum deposuit sacerdotem summum, et in locum  
ejus collocavit alium. Locus autem difficillimus  
eorum quæ adducuntur ad probandum quod reg-  
num Dei in hoc mundo nunc existit, adducitur a  
Beza, qui regnum Dei incepisse dicit a resurrec-  
tione Christi, inde potestatem supremam ecclesias-  
ticam, in civitatibus Christianis, civitatum illarum  
presbyteriis asserens. Et notum est, presbyteria  
illa in aliquibus locis reges suos excommunicasse;  
et suprematum in religione non minus in illis locis  
sibi arrogasse, quam eandem potestatem sibi attri-  
buit universaliter Pontifex Romanus.

Verba quibus innititur, sunt, Marc. viii. 39 :  
*Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stan-  
tibus, qui non gustabunt mortem, donec videant  
regnum Dei veniens in virtute.* Quibus verbis  
grammaticè acceptis, significatur, vel aliquem ex

iis, qui Christo adstiterunt, etiam nunc vivere super terram, vel regnum Dei esse in hoc mundo. Sed locus alius est in contrarium non minus difficilis. Cum enim apostoli post resurrectionem Christi, cum jam in cœlum ascensurus esset, Christum interrogaverunt, (Act. i. 16) dicentes: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* respondit illis (vers. 7, 8) Servator noster: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ;* id est, “regnum meum nondum venit, nec præscietis vos quando veniet; veniet enim sicut fur noctu; sed superveniet vobis Spiritus Sancti virtus, per quam prædicatione vestra testimonium dicetis de resurrectione mea, et de operibus meis, et de doctrina quam docui, ut credant in me homines, et vitam æternam expectent cum rediero.” Quomodo hæc cum adventu regni Christi in Christi resurrectione congruant, non video: neque cum eo quod dicit S. Paulus (1 Thess. i. 9, 10): *conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et expectare filium ejus de cœlis;* ubi expectare Christum de cœlis, idem est quod expectare adventum ejus in majestate regnaturi; quod necessarium, si regnum ejus jam ante aderat, non fuisset. Rursus, si regnum Dei incepisset in resurrectione Christi, quam causam habent Christiani precandi hodie, ut faciunt, *adveniat regnum tuum?* Manifestum ergo est, verba illa Sancti Marci aliquem alium habere sensum. *Sunt, inquit Christus, de astantibus, qui non gustabunt mortem antequam venire*

CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

CAP. XLIV. *viderint regnum Dei in virtute.* Nam si regnum Dei venturum erat in resurrectione Christi, cur dixit, eorum *aliqui*, potius quam *omnes* id videbunt: vixerunt enim post Christi resurrectionem *omnes*.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Sed ad explicationem hujus loci non parum conferunt verba Servatoris nostri de Sancto Johanne ad Sanctum Petrum (Johan. xxi. 22, 23): *si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur.* Sermo autem ille a nemine confirmatus neque refutatus, sed relictus est, ut qui non intelligeretur. Veruntamen, si sensum illius loci conjicere liceat ex eo quod immediate sequitur locum similem Sancti Lucæ, verisimile est verba illa dicta esse de Christi transfiguratione, quæ describitur in versibus immediate sequentibus (Luc. ix. 28-31): *Factum est autem post hæc verba fere dies octo et assumpsit Petrum, Jacobum, et Johannem, et ascendit in montem ut oraret: et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, et vestitus ejus albus et refulgens: et ecce, duo viri loquebantur cum illo; erant autem Moses et Elias, visi in majestate.* Viderunt ergo Christum in gloria et majestate, quemadmodum venturus est. Eadem historia etiam a S. Matthæo (xvii. 1-6) recitatur: *Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Johannem, etc.:* ubi apostoli illi dicuntur *timuisse valde.* Atque hoc modo completum est, nempe per modum *visionis*, quod Christus promiserat. Fuisse enim *visionem*, inferri potest ex eo quod dicit Lucas (ix. 32), nempe, Petrum et qui cum eo erant, gravatos esse somno: et ex Matthæo (xvii. 9), ubi præcepit eis Jesus, dicens, *nemini dixeritis visionem.* Quicumque autem loci a Beza

recitati sensus sit, argumentum inde certum sumi non potest, ad probandum, quod regnum Dei ante diem iudicii inepturum sit.

Sunt etiam textus quidam alii, quos citant pontificii pro suprematu Papæ; ut, quod duo gladii, quos habuerunt apostoli, significant gladium spiritualem et gladium temporalem, quos ambos Petro dedisse Christum dicunt; et, quod duorum luminarium majus Papam, minus Regem significat; quibus respondere operæ pretium non est. Potuerunt ex primo versu Bibliorum Sacrorum æque inferre, quod per cœlum Papa, per terram Rex intelligendus sit. Non est enim hoc ratiocinari ex Scripturis Sacris, sed lascivire, et in principes insultare, sicut facere cœperunt tunc, quando Pontifices Romani, magnitudinis suæ, ut putabant, in perpetuum certi, Christianos reges contemptui habuerunt, et in colla imperatorum insultantes, illos et Scripturas ipsas irridere ausi sunt verbis Psalmi xc. 13: *super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.*

Quod ad consecrandi ritus attinet, etsi magna ex parte non a Scripturis, sed a rectorum ecclesiæ iudicio dependeant; debent tamen rectores illi tales ritus ordinare, quales actionis ipsius natura postulat; nempe, ut ceremoniæ, verba, gestus, non modo sint decentes, sed etiam significantes, vel saltem consecrationi conformes. Quando Moses (Exod. xl.) tabernaculum, altare, et utensilia illis pertinentia consecravit, oleo, quod Deus in hunc usum fieri iusserat, illa unxit, et sancta facta sunt: nihil consecratione hac, ad fuganda phantasmata conjuratum erat. Idem Moses, qui summam in Israele habebat potestatem, fratrem suum Aaronem sacer-

CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

dotem summum et filios ejus consecrans, lavit illos aqua, non aqua conjurata, illosque amicit, et oleo unxit; et consecrati sunt administrandum coram Domino, ut sacerdotes; quæ decora et simplex erat mundatio, et ornatio, antequam eos Domino præsentaret. Quando rex Solomon, qui summam in Israele habebat potestatem, templum consecrabat, (1 Reg. 8), consistebat coram toto cœtu Israelis; cui cum benedixisset, Deo gratias reddidit, quod in animum patris sui, ut templum illud ædificaret, posuisset, quodque sibi ut perficeret, dedisset; deinde Deo precabatur, primo, ut domum illam, quam magnitudini Dei infinitæ incongruam, acceptaret, et orationes servorum suorum, qui in ea, vel, si absentes essent, conversi versus eam, precarentur, exaudiret; postremo, sacrificium obtulit; et domus dedicata est. Nulla hic erat pompa; rex, ubi ante erat, ibi constitit: nulla aqua conjurata, neque *asperges me*, neque alia verborum alio sensu dictorum inepta applicatio; sed sermo decens et rationalis, rei quam agebat consentaneus. Quod S. Johannes aquam Jordanis, aut Philippus aquam fluminis in quo Eunuchum baptizavit, conjuravit, nusquam legimus: neque quod pastor quisquam tempore apostolorum, salivam suam naribus personæ baptizandæ apposuit, dicens, *in odorem suavitatis*; ubi neque ceremonia illa salivæ, propter immunditiam, neque applicatio verborum sacrorum, propter levitatem, autoritate ulla defendi potest.

Ad probandum, quod animæ a corporibus separatæ vivant in æternum, non solum animæ electorum, gratia speciali, sed etiam reproborum, proprietate essentiæ humanæ adhærente, sunt textus quidam, qui primo intuitu sufficere videri possunt.

Ut primo, verba Solomonis, (Eccles. xii. 7): *Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum.* Quæ verba interpretationem hanc pati possunt, nempe, scire neminem, sed Deum solum, spiritus hominis quid devenit et quo fertur. Neque credendum est animas reproborum redire ad Deum, qui illas dedit. Etiam idem Solomon, (eod. lib. III. 19-21); *Idcirco unus interitus est hominis et bestię, et æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, et illæ moriuntur, etc.* Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendant sursum, et si spiritus jumentorum descendant deorsum? Locus alius est, Gen. v. 24; ubi de Enocho dicitur: *Ambulavit cum Deo, et non apparuit; quia tulit eum Deus:* et, Heb. xi. 5, *Fide Enochus translatus est, ne videret mortem; et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus.* Qui locus immortalitatem corporis non minus probat, quam animæ, et probat quoque translationem talem peculiarem esse placentibus Deo, dependentemque non a natura, sed a gratia. Sed contra, quid respondebimus verbis Solomonis, (Eccles. iii. 18-21): *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, et ostenderet similes esse bestiis: idcirco unus interitus est hominis et jumentorum, etc.: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius, etc.* Quibus verbis immortalitas animæ per naturam negatur, per gratiam non negatur. Eccles. iv. 2, 3: *Laudavi magis mortuos, quam viventes: et feliciorum utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Sermo hic, si felicior sit qui non est natus, quam qui æterna felicitate fruitur, durus esset. Rursus, Eccles. ix. 5: *Viventes sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius, nec*

CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

*habent ultra mercedem* : id quod de hominibus mortuis, ante resurrectionem corporum suorum, manifestum est : verum si intelligatur de immortalitate electorum post diem iudicii, verum non est.

Locus alius, qui videtur facere pro immortalitate animæ naturali, ille est, ubi Servator noster Abrahamum, Isaacum, et Jacobum vivere affirmat. Ad quod respondeo ; vivere quidem, non tamen actu, sed quatenus promissione Dei vitæ æternæ et resurgendi certi sunt ; id est, scripti sunt libro vitæ, vivuntque eo sensu quo Adamus eo die mortuus erat, quo de fructu vetito gustavit. A quibusdam etiam pro immortalitate animæ adducitur id quod in Novo Testamento narratur de Divite et Lazaro ; sed narratio illa, quia parabola est, nihil probat. Præterea addo, quod neque in Scriptura Sacra, neque in Liturgia nostra, vox illa *anima immortalis* omnino invenitur.

Sunt autem Testamenti Novi loca quædam alia, quæ videntur immortalitatem attribuere etiam reprobis. Manifeste enim dicitur, quod resurgent ad iudicium ultimum, atque inde ibunt in *ignem æternum, cruciatus æternos, pœnas æternas*, quodque in illis *vermis conscientia nunquam morietur* ; quæ omnia intelligi volunt plurimi per *æternam mortem*. Mihi vero nimis durum videtur de Deo dicere, qui pater est misericordiarum, qui facit in cælo et in terra quicquid vult, in cujus manibus sunt corda hominum omnium, qui in hominibus operatur tum facere tum velle, et sine cujus gratia libera nemo habet neque inclinationem ad bonum neque resipiscentiam a malo, quod peccata hominum cruciatibus extremis, majoribus quam quisquam imaginari potest, et sine fine temporis, punire velit.

Videamus ergo, per ignem æternum quid aliud significari possit. Quanquam enim legimus resurrecturos esse fideles cum corporibus spiritualibus et gloriosis, et victuros in æternum, nec comedentes, neque bibentes, et sine matrimonio; non tamen idem legimus de reprobis, sed legimus quod morientur iterum et *morte secunda*, quæ æterna erit; cui morti secundæ, id quod dicitur de igne et cruciatibus æternis et de verme conscientiæ, non contradicit. Itaque æternum, in illis locis idem videtur significare, quod *usque ad finem seculi*. *Seculum* autem Latinis idem non est, quod Græcis αἰών. Neque seculum putabant Judæi spatium, ut Romani, *centum annorum*, quod est hominis ævum in quo nemo sit qui vixerat in seculo antecedente; sed ævum æstimabant ætatem mundi; nimirum, ut esset ævum unum a creatione ad diluvium; alterum a diluvio usque ad conflagrationem mundi, in adventu Messiæ; tertium ab adventu Messiæ in æternum: ita ut ævum hoc tertium dicendum sit *ævum ævorum*, αἰών αἰώνων. Et sic reprobi, usque ad finem hujus ævi, id est, hujus mundi, puniri possunt usque ad mortem secundam; quæ pœna propter eam causam αἰώνιος dici potest. Nam S. Paulus de resurrectione loquens (1 Cor. 15), intelligit solam resurrectionem ad vitam æternam, non ad æternam pœnam. *Corpus*, inquit (vers. 42-44), *seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*. Nihil horum de reprobis dici potest. Similiter cum de resurrectione loquitur Christus (Luc. xx. 34-36), solam intelligit resurrectionem ad vitam æternam:

CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.



CAP. XLIV. *fili hujus seculi nubunt, et traduntur ad nuptias : illi vero, qui digni habebuntur seculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducunt uxores, neque enim ultra mori poterunt ; æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* In quibus verbis notanda tria sunt, primum, quod tempus usque ad resurrectionem appellat seculum unum ; tempus autem post resurrectionem appellat seculum alterum. Secundum, quod distinguit inter filios mundi hujus, et filios mundi venturi ; eo quod filii mundi venturi, mori iterum non possunt, innuens reprobos iterum morturos esse. Tertium, quod filios hujus mundi dignos non dicit esse resurrectione a mortuis, et quod filii Dei ideo æquales erunt angelis, quia sunt filii resurrectionis ; ex quo sequitur, reprobos resurrecturos omnino non esse præterquam ad mortem secundam ; filii enim resurrectionis filii Dei soli sunt.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Doctrinæ huic de animarum separatarum æternitate naturali superstruitur, ut ante dictum est, doctrina purgatorii. Supposito enim, quod vita æterna fidelium solorum sit, et per gratiam, sequitur immortalitem nullam esse posse ante resurrectionem. Loca Scripturæ canonicæ, quæ citat pro purgatorio Bellarminus, sunt primo, quod David pro Saulo et Jonathano jejunaret (2 Sam. i. 12) : et rursus (2 Sam. iii. 35), quod jejunaret propter mortem Abneri. Jejunium hoc Davidis pro fine habuisse dicit, bonum aliquod illis post mortem eorum a Deo impetrandum. Cur autem ? Quia, cum pro suo ipsius filio ægrotante jejunabat (2 Sam. xii, 16), postquam intellexit mortuum illum esse, cibum sumpsit. Deinde arguit sic ; quoniam ani-

ma existit separata a corpore, neque per jejunium impetrari quicquam potest animis, quæ jam sunt in cœlo vel in inferno ; sequitur quasdam esse animas, quæ neque in cœlo sunt, neque in inferno ; et proinde, debere eas esse in tertio aliquo loco, id est, in purgatorio. Sed negandum est, quod assumit, Davidem ideo jejunasse, ut aliquid Saulo et Jonathano impetraret. Manifestum enim est, ceremonias usitatas plangendi et jejunandi in morte quidem eorum, quorum vita plangentibus damnosa aut inutilis erat, honoris tantum causa adhiberi ; in morte autem amicorum et necessariorum, luctum esse non litaniam. Itaque David Saulum et Jonathanum jejunio suo honoravit : in morbo autem proprii filii, jejunio et precibus conatus est impetrare a Deo ut convalesceret ; quod cum impetrare non potuit, jejunare desiit.

In cæteris locis quæ citat Testamenti Veteris, ne color quidem probationis ullus est. Ubicumque dicitur *ignis, furor, ustio, purgatio, mundatio*, si modo Patrum aliquis verba illa ad doctrinam purgatorii in concione applicavit, utuntur illis Pontificii ut totidem argumentis pro purgatorio. Quod dicit David (Psal. xxxvii. 1) : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me ;* quid hoc ad purgatorium, nisi Augustinus furorem comparasset, prædicans, igni Gehennæ, et iram igni purgatorii ? Et quid ad purgatorium attinet quod dicitur (Psal. lxxv. 12) : *Transivimus per ignem et aquam : et eduxisti nos in refrigerium ?* Textibus hujusmodi utuntur doctores non logice in sermonibus et expositionibus, sed rhetorice.

Citat etiam loca aliqua Testamenti Novi explicatu difficiliora, ut Matth. xii. 32 : *quicumque dix*

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

CAP. XLIV. *erit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Unde infert Bellarminus purgatorium esse seculum futurum. Seculum autem futurum illud est, quod incepturum est a die iudicii. Tunc autem purgatorium nullum fore, consentiunt omnes. Quid ergo significant verba illa Servatoris nostri ? Nescio quidem ; scio autem quod non significant purgatorium. Manifestum est Spiritum Sanctum, tertiam personam Trinitatis, missum esse Paracletum, eo fine, ut ecclesiæ usque ad finem mundi assisteret ; et proinde, blasphemare in Spiritum Sanctum non improprie dici posse blasphemare in ecclesiam. Videtur ergo hoc loco Servator noster suam ipsius in peccatis condonandis lenitatem et facilitatem comparare cum severitate pastorum ecclesiæ erga illos, qui auctoritatem eorum spiritualem parvi facerent : tanquam dixisset, “ Vos, qui potestatem meam aspernamini, vos, qui me crucifixistis, quoties vos pœnitebit, et ad me per resipiscentiam convertemini, misericordiam meam sentietis : quod si potestatem eorum, qui vos posthac docebunt in virtute Spiritus Sancti, negabitis, erunt illi inexorabiles, neque in hoc mundo vobis ignoscent, sed sine absolute puniendos relinquent, quantum in illis est, in seculo futuro.” Atque ita verba illa Servatoris nostri pro prædicatione sive prophetia sumi possunt severitatis hominum ecclesiasticorum in regno Pontificis Romani. Citat præterea verba S. Pauli (1 Cor. xv. 29) : *alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgant ? Ut et quid baptizantur etiam pro illis ?* Sed nihil dicitur de purgatorio. Inferri quidem hinc potest,

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

fuisse tempore S. Pauli consuetudinem baptizandi pro mortuis homines fideles, pro seipsis ante baptizatos; sicut hodie fideles quasi fidejussores in baptismo se faciunt pro fide futura infantum, qui nondum fidei sunt capaces. Sic enim fideles tunc, pro mortuis baptizati, in se susceperunt quod in resurrectione Christum sequerentur. Sed nihil inde inferri potest ad probandum purgatorium, neque ad probandum quod animis a corporibus separatis, aut animæ Lazari per quatuor illos dies quibus mortuus mansit, locus aliquis debeatur. Deus enim, qui vitam pulvisculo dare potuit, etiam mortuo potest reddere.

Locus alter est 1 Cor. iii. 15, ubi dicitur de iis qui super fundamentum ligna, fœnum, stipulam, superædificant, quod opus eorum peribit, ipsi tamen salvabuntur, sed *quasi per ignem*. Ignem hunc, ignem purgatorii esse vult Bellarminus. Sed responsum ante est, verba hæc alludere ad verba Zachariæ xiii. 9: *ducam tertiam partem per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum*: et dicta esse de adventu Christi in potestate et gloria, id est, de die iudicii et præsentis mundi conflagratione.

Ex loco citato, (1 Cor. xv. 29.), de baptismo pro mortuis, infert etiam orationem pro mortuis non inutilem esse, et inde rursus esse infert ignem aliquem purgatorii. Sed neutrum recte. De multis enim vocis *baptismi* significationibus, illam imprimis comprobatur, ubi sumitur pro pœnitentia; et sic baptizari homines, quando jejulant, orant, et faciunt elemosynam. Sed significatio illa baptismi neque in Scriptura usquam apparet, neque in usu communi cujuscunque linguæ. Vox *baptismus* usurpata est

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

(Marc. x. 38, et Luc. xii. 50.) pro immersione in sanguinem; ut Christus in cruce baptizatus est, et apostoli ejus martyres. Sed oratio, jejunium, et eleemosyna, quid commune habent cum immersione? Quod Johannes Baptista dicit de Christo, (Matth. iii. 11): *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne*, non ad purgatorium pertinet, sed ad ea qui dicuntur Actor. ii. 3: *et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tamquam ignis*: nimirum quod prophetavit Johannes Baptista Matth. iii. 11, completum erat Actor. ii. 3.

Baptismi pro mortuis interpretationem aliam adfert, nempe, eandem quam ego supra adduxi ut verisimillimam: et concludit inde precationis pro mortuis utilitatem. Siquidem enim in regnum Christi recipi post resurrectionem possunt illi, qui nomen Christi non audierunt, aut in eum non crediderunt; inutile non esset ut eorum amici pro illis precarentur. Atqui concesso fieri posse, ut ad preces fidelium aliquos eorum convertat Deus, quibus evangelium inauditum fuerat, quique proinde Christum rejecisse non potuerunt; quodque charitas orantium pro illis reprehendi non possit: nihil tamen facit hoc pro purgatorio. Aliud enim est resurgere a morte ad vitam, aliud resurgere a purgatorio ad vitam. Est enim hoc resurgere a vita ad vitam, nempe, a vita misera ad vitam felicem.

Locus quartus est Matth. v. 25, 26: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. In qua allegoria, qui proximum læsit, est peccator; judex idemque adversarius, est Deus:

*via* est *vita* præsens ; *carcer* est sepulchrum, unde ad *vitam* æternam non resurget peccator, sed ad secundam mortem, nisi prius reddiderit ultimum quadrantem, vel pro eo passione sua reddiderit Christus. Itaque verba hæc ad purgatorium nihil pertinent.

CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

Locus quintus est Matth. v. 22 : *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio : qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio : qui autem dixerit, fatue : reus erit Gehennæ ignis.* A quibus verbis tria esse infert genera peccatorum, et tria genera pœnarum ; peccati genus ultimum tantum in Gehenna puniendum esse dicens ; et proinde, peccatorum minorum pœnas dari debere in purgatorio. Cujus argumenti vim nullam video. Num curiæ erunt diversæ, post mortem, ad criminum diversas species distinguendas, sicut erant in Judæa, *tribunal iudicum*, et *consistorium seniorum* ? Nonne iudicium omne erit Christi et apostolorum ? Itaque ad explicatiorem hujus loci debemus illum, non solitarie considerare, sed conjunctim cum verbis quæ antecedunt, et subsequuntur. Servator noster in hoc capite interpretatur legem Mosaicam ; quam Judæi tunc implese se existimabant, si sensum verborum grammaticum non transgressi erant, quanquam contra sententiam legis fecissent, et intentionem legislatoris. Itaque cum præceptum sextum violari non putarent, nisi hominem quis interfecisset, neque septimum, nisi quando quis cum muliere non uxore sua concubisset, Servator noster illos docet, etiam fratri irasci sine causa justa homicidium esse. “ Audivistis, inquit, in lege Mosaica, *non occides*, et quicumque occidet condemnabitur coram iudici-

## CAP. XLIV.

De tenebris  
spiritualibus  
ab interpreta-  
tione non recta  
Scripturarum.

bus ; sed ego dico vobis, fratri sine causa irasci, vel dicere ei *raca* vel *fatue*, homicidium esse, puniendumque in die iudicii et sessione Christi apostolorumque, igne Gehennæ." Non ergo utitur illis verbis Christus ad distinctionem curiarum, aut criminum, aut pœnarum ; sed ut ostenderet damnandum esse quicumque fratrem suum lædendi consilium iniret, aut voluntatem id faciendi haberet. Neque ergo locus hic ad purgatorium transduci potest.

Locus sextus est Luc. xvi. 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis ; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ex quo textu probari putat posse *invocationem sanctorum*. Sensus tamen loci manifestus hic est ; ut divitiarum nostrarum usu in distribuendo pauperibus, acquiramus illorum preces pro nobis dum in terra vivimus.

Septimus est Luc. xxiii. 42 : *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum.* Ex quo sequi dicit, esse peccatorum remissionem, etiam post vitam hanc. Sed consequentia bona non est. Nam Servator noster peccata ejus tunc illi remisit, cum loqueretur ; resuscitaturus illum ad vitam æternam in die iudicii.

Locus octavus est Act. ii. 24, ubi de Christo dicit S. Petrus, quod *Deus illum suscitavit, solutus doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Ex quo loco inferri posse putat descendisse Christum in purgatorium, ut animas in eo existentes a cruciatibus suis solveret ; cum tamen verba manifestissime significant, illum, qui solutus dicitur, quique a morte vel sepulchro teneri non potuit, fuisse ipsum Christum, non animas quæ erant in purgatorio.

## CAPUT XLV.

DE DÆMONOLOGIA ET RELIQUIIS ALIIS RELIGIONUM  
ETHNICARUM.

QUOMODO ab objectis visibilibus, tum in linea di- CAP. XLV.  
 recta, tum in reflexa et refracta, producantur in De dæmonolo-  
 hominibus phantasmata, sive ipsorum objectorum gia et reliquiis  
 imagines, dictum supra est capite primo et secundo. aliis religionum  
 Quod cum ignorarent philosophi veteres, et multo ethnicarum.  
 magis illorum temporum homines alii, qui, neglectis  
 scientiis, studebant tantum divitiis vel acquirendis  
 vel fruendis; sententias eorum, qui vocabantur  
 philosophi, necessario sequebantur, non pensitantes  
 rationes, sed verba tantum accipientes, more eorum  
 qui ad oscitationem aliorum oscitant et ipsi. Phi-  
 losophorum autem alii phantasmata illa, quia non  
 permanebant sed evanescebant, immaterialia, in-  
 corporea, formas sine materia, colorem et figuram  
 sine corpore colorato et figurato esse existimabant;  
 et quæ corpora aerea induere quasi vestem possent,  
 quoties oculis humanis videri vellent: alii autem  
 corpora ea esse dicebant, et animata, sed facta ex  
 aere, aliave subtiliore materia, quam, cum videri  
 vellent, condensabant. In hoc autem consenserunt  
 omnes, quod essent *dæmones*; non minus inepte,  
 quam si quos vident in somniis homines defunctos,  
 animas eorum hominum esse dicerent, quos ante  
 vivos viderant; vel quam si formas suas in speculo  
 visas animas suas, vel stellas in aqua visas stellarum  
 animas appellarent. Item, (quod necessario seque-  
 batur), phantasmata quædam ita metuerunt, quasi  
 quæ juvandi et nocendi potentiam sine limite ha-  
 berent. Potentia enim incognita pro infinita haberi



## CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

solet vulgo imperito. Metus autem hic imperitorum hominum, rectoribus civitatum occasionem præbuit constituendi artem quandam *dæmonologiæ*, quam dixerunt religionem, ut ea via metum civium regerent ad pacem publicam. *Dæmonia* itaque distinxerunt in bona et mala; ut illis ad legum observationem stimulantur cives, his ab earum violatione retinerentur.

*Dæmones* autem quæ res essent, satis constat tum ex Theogonia Hesiodi, tum ex aliis Græcorum poetis antiquissimis, tum etiam ex historiis.

Scripta autem sua simul cum lingua Græca, per victorias et colonias suas, communicarunt Græci Asiæ, Ægypti, et Italiæ populis; atque inde *dæmonologiam*, sive, ut loquitur S. Paulus (1 Tim. iv. 1), *doctrinas de dæmoniis* Judæorum non pauci, tum qui in ipsa Judæa, tum qui in Alexandria aliisque locis dispersi erant, imbiberunt. Nomen tamen *dæmonii* non, ut Græci, spiritibus omnibus, bonis et malis, promiscue tribuerunt, sed malis tantum; *dæmonem* bonum, spiritum Dei appellantes; et eos qui spiritum bonum habebant, prophetas nominaverunt. Bonum denique singulare et excellens omne, pro spiritu Dei habuerunt, et malum omne egregium, *dæmonium* et *cacodæmonem* vocaverunt. *Dæmoniacos* ergo dixerunt illos, quos nos furiosos, insanos, lunaticos, vel epilepticos; atque etiam illos, qui ea loquebantur quæ intelligi non poterant. Etiam hominem immundum habere dicebant spiritum immundum; et hominem mutum habere in se *dæmonium* mutum. Itaque de Johanne Baptista, quia singulari modo jejunabat, dixerunt (Matth. xi. 18.) quod habebat *dæmonium*; et de Servatore nostro, quia dixit (Joh. viii. 51), *qui mea dicta*

*custodiet, non videbit mortem in æternum, dixerunt* CAP. XLV.  
 (vers. 52.), *nunc scimus te dæmonium habere; Abrahamus mortuus est, et tu dicis, si quis sermo-*  
*nem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.* Rursus, cum dixisset (Joh. vii. 20), *quod studerent illum interimere, respondit turba, dicens, dæmonium habes; quis te studet interimere?* Manifestum hinc est, Judæos in eadem, eo tempore, opinione fuisse cum Græcis, nempe phantasmata non esse idola cerebri, sed res per se existentes, nec dependere ab imaginatione.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

Doctrina hæc (objicient aliqui) si vera non sit, quare contrariam non docuit Christus? Imo, quare ipse formis loquendi hujusmodi utitur, quæ doctrinam illam videntur confirmare? Ad quod respondeo, primo, ubi Christus dicit (Luc. xxiv. 39): *Spiritum non habere carnem et ossa*: etsi spiritus esse affirmet, illos tamen corporeos esse non negat. Item, ubi S. Paulus (1 Cor. xv. 44.) dicit de electis, quod *resurgent corpora spiritualia*, naturam spirituum agnoscit, sed corpoream. Aer enim aliæque res multæ, etsi non sint neque caro neque ossa, neque res ulla crassa oculis discernenda, corpora tamen sunt. Cæterum cum Servator noster *dæmonio* imperat ex homine exire, si per *dæmonium* intelligendus sit morbus aliquis, ut phrenesis, et epilepsis, vel spiritus corporeus, nonne sermo ille improprius est? Morbine audiunt? Aut potest esse in carne vel osse, repleto jam ante spiritibus vitalibus et animalibus, spiritus alius corporeus? Nonne ergo spiritus quidam sunt, qui neque corpora sunt neque phantasmata? Respondeo, sermonem Servatoris nostri, phrenesim vel morbum alium alloquentis, non magis improprium fuisse, quam fuit

## CAP. XLV.

De demonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

ejusdem sermo, febrem, vel ventum, vel mare, increpantis; neque enim audiunt hæc. Neque magis improprius quam sermo Dei, cum fieri jussit lumen, firmamentum, solem, et stellas; audire enim antequam essent, non potuere. Sed sermo ille mundum in principio condentis, ideo improprius non erat, quia significabat potentiam divini verbi. Neque igitur phrenesi et morbis, vento, et mari imperare, sermo improprius erat, quippe qui Christi ostendebat divinitatem.

De Servatore nostro dicitur, Matth. iv. 1, quod *ductus est a spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo*: Luc iv. 1, quod *Jesus plenus Spiritu Sancto, ductus est in spiritu in desertum*; ubi spiritus intelligitur sanctus. Nulla hic a spiritu intelligitur obsessio, neque possessio. Neque ex eo quod dicitur, Matth. iv. 8, *Diabolum posuisse illum super montem excelsum, et ostendisse illi omnia regna mundi, et gloriam eorum*: inferri potest diabolum coegisse Christum, et vi circumduxisse quo libuit, aut montem quempiam satis altum fuisse, ut inde conspici omnia mundi regna possent. Quid ergo significant loca hæc aliud quam visionem? Sic S. Paulus (2 Cor. xii. 2) raptus est in tertium cælum, ubi vidit mirabilia: raptus, inquam, non in corpore, sed in spiritu.

Rursus, quod dicit S. Lucas (xxii. 3, 4) de Juda Iscariota, quod *intravit in illum Satanus: et exiens, colloquium habuit cum summis sacerdotibus et ducibus, de tradendo Christo*; intelligi potest sic intrasse in Judæam consilium illud hostile et perfidum, de Deo et Domino suo prodendo et vendendo hostibus. Sicut enim per Spiritum Sanctum, in Scripturis Sacris, intelliguntur gratiæ et virtutes

a Spiritu Sancto impertitæ: ita etiam per ingressum Satanæ in hominem, intelligi possunt cogitationes impiæ et consilia scelerata inimicorum Christi. Nam quod diabolus in Judam intrasset antequam consilium illud de vendendo Christo inierat, dictu durum est. Per Satanam ergo illo loco intelligi videtur ipsius Judæ consilium illud diabolicum.

CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

Postremo, si spiritus aliquis esset incorporeus sive immaterialis, dubitandum non est quin vox illa, *incorporea* vel *immateriale*, alicubi vel in Novo vel in Veteri Testamento inveniretur. Sed non invenitur.

Verum si spiritus immaterialis nullus sit, quæstio alia orietur, cur neque Servator noster neque apostoli ejus id docuerunt verbis manifestis, ne dubitari amplius posset? Respondeo, quæstiones hujusmodi Christiano homine indignas esse, nec ad salutem necessarias. Eodem jure quæri etiam potest, quare Christus, qui fidem, pietatem, et virtutes omnes omnibus dare potuit, nec tamen dedit; et quare scientias omnes naturales non omnibus concessit, sed illas ab industria hominum reliquit comparandas: multæ etiam aliæ hujusmodi quæstiones excitari possunt. Harum tamen ratio et pia et probabilis reddi potest.

Nam sicut Deus, cum Israelitas in terram promissam induxisset, gentes tamen vicinas non illis superavit omnes, quo terram illam securi possiderent, sed nonnullas earum reliquit quasi spinas in lateribus eorum, ut ad pietatem et industriam populum suum excitarent: ita Servator noster, conducturus electos suos ad regnum Dei, difficultates naturalium quæstionum non omnes sustulit, sed ra-

## CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

tionis et industriæ humanæ exercendæ causa plurimas reliquit. Hunc enim habuit scopum unicum Servator noster, ut viam ad salutem æternam, rectam et planam hominibus commonstraret; nempe ut crederent, *ipsum esse Christum; filium Dei viventis; missum ut se pro peccatis nostris sacrificium faceret; ut in adventu secundo in majestate regnaret; et electos suos ab inimico servaret in æternum*; ad quem finem disputatio de spirituum corporeitate nihil attinebat. Si a Scripturis rationem postulemus quæstionum omnium, quæ Christianum, ne mandata Dei exequatur impedire possunt, conqueri etiam de Mose possumus, quod, cum creationem cœli, terræ, hominum, et rerum cæterarum, explicasset, de creatione spirituum ne verbum quidem locutus est. Invenimus in Scripturis angelos quidem esse, et spiritus, tum bonos tum malos, sed non incorporeos; et esse apparitiones, somnia, spectra, idola, sed non esse ea substantias.

Doctrina tamen contraria, nempe spiritus aliquos esse incorporeos, in ecclesia ita diu prævaluit, ut doctores, dæmoniorum ejiciendorum causa, exorcismum sibi necessarium esse aut existimaverint aut finxerint. Quod in ecclesia quidem primitiva multi erant dæmoniaci, pauci phrenetici aut lunatici; hodie autem phrenetici et lunatici multi, dæmoniaci nulli; non a natura rerum, sed a nominum mutatione profectum est. Unde autem fit, ut tempore apostolorum morbos illos ecclesiæ pastores sæpe sanaverint, hodie autem minime? Etiam qui fit, ut hodie illi, qui vere fideles sunt, facere non possint quod fideles fecisse dicuntur, (Marc. xvi. 17, 18), nempe, *in nomine Christi dæmonia ejicere: linguis loqui novis: serpentes*

*tollere : et quod lethale est, sine noxa bibere :* CAP. XLV.

*ægrotos manuum impositione sanare ?* De quæ-  
 sitione hac difficillima, nihil habeo certi quod re-  
 spondeam. Sed fieri potest, dona hæc spiritualia  
 ecclesiæ concessa fuisse tamdiu, nec diutius, quam  
 doctrinam evangelicam non haberent Christiani  
 scriptam. Postea vero, ut pie credi potest, scrip-  
 turam illam pro lege perpetua haberi voluit Deus,  
 neque amplius miraculis æstimandam, a quibus di-  
 ligenter ab electis cavendum esse et Christus ipse  
 et apostoli ejus docuerunt, ne a falsis Christis et  
 prophetis deciperentur.

De demonolo-  
 gia et reliquiis  
 aliis religionum  
 ethnicarum.

Inter reliquias ethnicismi numeranda etiam est  
*adoratio imaginum*, quæ prohibita a Mose in Tes-  
 tamento Veteri, et a Christo et apostolis in Testa-  
 mento Novo, non a gentibus in ecclesiam illata,  
 sed relicta est, nimirum in illis, qui nomina sua  
 Christo dederant, non penitus extincta. Antequam  
 enim Servator noster fidem veram prædicasset,  
 religionum omnium ethnicarum summa, et quasi re-  
 ligionis essentia, cultus erat dæmonum, id est, ido-  
 lorum sive phantasmatum adoratio; quæ idola gen-  
 tes quidem putaverunt esse aliquid, S. Paulus autem  
 (1 Cor. viii. 4) *nihil* esse docuerat. S. Paulus tamen  
 imaginem ex auro, argento, lapide, vel ligno nihil  
 esse non putavit; sed quod in imagine coluerunt  
 gentes, id affirmavit merum figmentum esse, sine  
 loco, habitatione, motu, et existentia. Illi autem,  
 qui ea adorant, id est, divino honore colunt, appel-  
 lantur in Scripturis *idololatri* et in Deum rebelles.  
 Regnante enim in Judæis Deo, et locum ejus te-  
 nentibus Mose et sacerdote summo, si populo ima-  
 gines, id est, phantasmata sua colere permissum  
 fuisset, non amplius obligatos se esse credidissent

## CAP. XLV.

De demonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

Deo suo, et ministris ejus Mosi summisque sacerdotibus obedire; atque ita unusquisque suo arbitrio vixisset in perniciem civitatis. Prima ergo divinarum legum erat hæc, ne deos gentium colerent, sed unum illum Deum verum, qui ministrante Mose leges illis condidit, regulasque, quibus inter se concorditer viverent et ab hostibus se tutari possent. Secunda autem lex erat, ne ipsi facerent sibi *imaginem*, quam colerent. Idem enim crimen est, rege deserto proprio, alium constituere, sive suo sive aliorum arbitrio.

Loca Scripturæ Sacræ, quæ adducuntur pro adoratione imaginum, vel pro erectione imaginis, sive pictæ sive sculptæ, duo sunt; unum (Exod. xxxvii. 7), quod cherubini erecti fuerunt super arcam Dei in Sancto Sanctorum; alterum (Num. xxi. 9), quod serpens æneus Dei jussu erectus erat, ut in eum aspicientes parcerentur. Præterea, textus quidam allegantur, ubi creaturas quasdam, propter relationem ad Deum, colere jubemur ut res sacras. Sed antequam vim argumentorum talium examinem, explicandum est, quid significat vox *cultus*, et quid *imago* et *idolum*.

Ostensum est capite vigesimo, quod *honor* nihil aliud est quam potentiæ alicujus æstimatio magna; quodque æstimatio magna per comparisonem cognoscatur. Sed quia potentia nulla cum divina comparari potest, ascribere Deo potentiam finitam, injurium est. *Cultus* autem honor non est, sed honoris, qui internus in corde est, *signum externum*. Itaque precari alicui, jurare per aliquem, obedire alicui vel sedulo servire, denique verba et facta omnia quæ significant aut metum displicendi aut voluntatem placendi, *cultus* est, sive verba illa et facta sincera sive ficta sint.

Cultus quem exhibemus hominibus, ut regibus vel ministris regum, cultus civilis est. Sed cultus quem Deo exhibemus, qualiacunque signa fuerint, est *cultus divinus*. Prosterni coram rege, in illo qui hominem esse, non Deum putat, cultus civilis est. Is autem, qui quantulumcunque reverentiæ in ecclesia signum ostendit, ob eam rem quod domum Dei illam putet, *cultum divinum* exhibet. Qui distinctionem cultus divini et civilis extra colentis animum in verbis *δσλεία* et *λατρεία* inveniri putant, decipiuntur. Sunt enim servorum duo genera; alterum eorum, qui sunt absolute in potentia dominorum suorum, quales sunt bello capti, et illorum soboles, quorum corpora sua non sunt, sed dominorum, quique venales sunt ut animalia bruta; hi vocati sunt a Græcis *δοῦλοι*, et ministerium eorum, *δσλεία*: alterum eorum est, qui serviunt quidem, faciuntque eadem quod illi, sed voluntarie, et mercede tantum obligati, et vocabantur a Græcis *ῥήτες*; neque ulterius obligabantur quam ad id quod pacti fuerint. Utriusque autem generis nomen commune est *λάτρις*, et nomen ministerii commune *λατρεία*. In Scripturis Sacris distinctio illa, præsertim quando sermo est de servis Dei, non invenitur. Deo enim debetur ministerii genus omne.

*Imago*, in propria et strictissima significatione, est alicujus rei visibilis similitudo ipsa, id est, phantasma, spectrum, sive corporis species apparens, sive directe, sive per reflectionem aut refractionem, sive post sensum in somniis; quas substantias reales non esse, satis supra ostensum est. Vocantur autem *ideæ* et *idola*, a voce Græca *ἴδω*, quæ significat *videre*.

Constat ergo rei infinitæ imaginem nullam

CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.



## CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

esse posse. Phantasmata enim rerum visibilium figurata sunt; figura autem quantitas est, unde quæque determinata. Itaque Dei imago fieri nulla potest, qui est infinitus; neque animæ neque spirituum, qui sunt invisibiles.

Imago tamen esse potest rei nunquam visæ, a partibus diversarum creaturarum, quas vidimus, composita, ut chimææræ, centauri, etc.

Imago autem, in largiore significatione, materiam significat formatam juxta phantasma vel imaginem visam; vocantur autem imagines aliquando, etiam si rei, cujus imago dicitur, similis non sit.

Transfertur etiam vox, *imago*, ad quamlibet rei diversæ repræsentationem. Quo sensu, reges vocari possunt imagines Dei; et magistratus, imagines regum; et Christus vocatur *character* hypotaseos Dei. Neque idololatræ ethnici ipsi in idolis suis ad similitudinem semper respexerunt, sed coluerunt non ut similia, sed ut repræsentantia.

Idolum autem latius adhuc sumitur in Scripturis Sacris, ad significandum solem vel stellam, vel quamlibet aliam creaturam, visibilem vel invisibilem, si cultu divino coleretur.

Ostensum est, quid sit *cultus*, et quid sit *imago*; videamus jam, quid significet vox composita *idololatria*, sive *imaginum cultus*.

*Imaginem colimus*, quando voluntarie ea dicimus vel facimus, quæ signa sunt honoris interni, attributi materiæ imaginis, quæ est lignum, aut lapis, aut metallum, aliave creatura visibilis; vel ipsi imagini, ad cujus similitudinem vel repræsentationem materia formata erat.

Coram homine potentia et autoritate civili prædito, vel ante thronum regis, consistere detecto ca-

pite, est hominem vel principem illum cultu civili colere; ut quod non locum aut thronum honorandi, sed personam hominis, signum est; neque est idololatria. Sed si quis id faciens throno supplicationem offerret, cultus divinus esset, et *idololatria*.

CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum etnicarum.

Precari regem, et erogare quod facere humanæ potentiæ est, etsi prostrati in terra id facimus, cultus civilis tantum est, quia potentiam illi nullam attribuimus, præter humanam. Quod si precemur illum, ut pluviam aut serenitatem nobis concedat, vel aliud quicquam eorum quæ præstare solus Deus potest, cultus divinus est, et *idololatria*. Sin rex, terrore mortis vel alterius pœnæ gravis, ad hujusmodi cultum compellat, *idololatria* non est. Cultus enim, qui cogitur per vim imperii, signum non est honorantis interne, sed metuentis mortem: neque ergo *idololatria* est, neque omnino cultus. Neque vero scandalum est; nam ab eo quod coactus fecit, inferri non potest quod factum placuit.

Deum colere in loco certo et definito, vel facie ad locum aliquem vel imaginem conversa, non est locum ipsum vel imaginem colere, sed tantum, si locus aut imago consecrata sit, sanctitatem agnoscere; id quod non qualitatem aliquam in loco vel in imagine novam significat, sed relationem tantum novam ad Deum, factam per dedicationem; et proinde *idololatria* non est; non magis quam *idololatria* erat, Deum colere spectantes ad serpentem æneum; aut quod fecerunt Judæi, qui extra patriam constituti facies suas, quando precabantur, converterunt versus templum quod erat in Jerusalem. Sed Deum colere, quasi in loco vel imagine habitantem, Deum infinitum loco finito alligantes,

## CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

*idololatria* est: finiti enim Dei nulli sunt præter idola cerebri, sive phantasmata. Etiam Deum colere in imagine vel loco, non ut speciali modo ibi præsentem, sed ut eo modo operum Dei memoriam conservare possint, nisi locus ille aut imago autoritate publica dedicatus et consecratus sit, *idololatria* est. Mandatum enim est, *non facies tibi imaginem sculptilem etc.* Serpentem æneum statui jussit Deus; non sibi nec suo arbitrio statuit Moses; itaque præceptum secundum transgressus non est. Quod autem Aaron et populus fecerunt sibi vitulum aureum injussu Dei, idololatria erat; non tantum quia vitulum illum Deum esse crediderunt, sed etiam quia religionis causa id fecerunt, nulla autoritate freti neque a Deo rege, neque a Mose Dei vicem tunc gerente.

Verum de cultu sanctis exhibito reliquiisque et imaginibus eorum, etiam hodie in ecclesia Romana usitato; an cultus ille, cum nulla in illis prætendatur repræsentatio Dei, pro idololatria habenda est; præsertim cum exempla extent in Scripturis Sacris imaginum Dei jussu erectarum? Idololatria certe est. Non enim a Deo erigi illas jussum est, eo fine ut eas colerent. Neque enim cherubinos aut serpentem æneum coluerunt sacerdotes; imo contra, Hezechias (2 Reg. xviii. 4) æneum serpentem confregit ob eam rem, quod a populo colebatur. Distinxit enim inter imagines, quas fieri jussit Deus, et eas, quas homines suo arbitrato faciunt sibi.

Ex aliis autem Scripturæ locis doctores Romani hoc saltem licitum esse volunt, angelos vel Deum ipsum pingere: nempe ab eo, quod Deus in horto Paradisi dicitur ambulasse; et ab eo, quod a Jacobo visus sit Deus, vel saltem angeli in scala a cælo

descendentes et ascendentes; et a somniis et visionibus. Sed neque Deus infinitus ambulat, neque ambulatio pingitur; et visiones et somnia, sive naturalia sint sive supernaturalia, phantasmata mera sunt. Qui autem phantasma suum pingit, non Deum pingit, sed idolum. Non tamen dico universaliter, peccatum esse si quis phantasma suum pingat, sed tunc tantum, quando ut colat pingit. Idem dico de imaginibus angelorum, atque etiam, nisi ut monumenta tantum sint, de imaginibus hominum defunctorum. Quando vero sancti hominis defuncti, quem nunquam viderunt, imaginem faciunt, ideo, ut præsumi potest, faciunt, ut colant et precentur quasi audientem; et proinde, potentiam plusquam humanam homini tribuunt; quæ est idololatria. Cum igitur cultus imaginum, tum in Veteri tum in Novo Testamento, vetitus sit, credendum non est introductum esse in ecclesiam a Scripturis non recte intellectis. Restat ergo ut in ecclesia relictus sit eo quod imagines, quas ii haberent qui ab idololatria ad fidem Christianam conversi erant, non aboluerunt.

Causa autem hujus rei imaginum et simulacrorum pretium insanum erat. Operum enim hujusmodi domini, etsi colere ea desierunt, retinuerunt tamen sub prætextu honorandi Christum, Virginem Mariam, apostolos aliosque pastores ecclesiæ primitivæ. Facile enim erat, mutatis tantum nominibus, facere ut quod simulacrum ante erat Veneris et Cupidinis, postea simulacrum esset Sanctæ Virginis et filii sui Servatoris nostri; et similiter, ex Jove facile erat facere Barnabam; et ex Mercurio, Paulum. Itaque pastores, per ambitionem, populo novo Christianorum placere cupientes, paulatim et ipsi

CAP. XLV.

De dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

## CAP. XLV.

De demonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

ad cultum imaginum Christi et sanctorum perducti sunt. Fuerunt tamen post Constantinum imperatores aliqui, et episcopi, et concilia generalia, qui imagines tollere conati sunt, sed sero.

Etiam *canonizatio sanctorum* e reliquiis erat ethnicismi, non a Scripturis male intellectis nata, neque Romanæ ecclesiæ inventum novum, sed consuetudo non minus antiqua quam erat ipsa Romana civitas. Primus omnium, qui Romæ canonizatus est, erat Romulus; quem Julius Proculus coram senatu juravit vidisse se et convenisse postquam esset mortuus, affirmantem quod in cœlo habitaret, et vocaretur ibi Quirinus, promittentemque propitium se civitati futurum esse; et propterea a senatu Deus declaratus est. Post illum Julius Cæsar et alii quidam imperatores canonizati erant, et appellati Divi.

A Romanis ethnicis etiam est, quod Papæ sibi sumserunt nomen Pontificis Maximi. Non tamen nomen illud ante sumserunt, quam vim suam imperium in Italia perdiderat; nam Pontificatus magna summæ potestatis pars erat. Augustus Cæsar, cum statum Romanum a democratia in monarchiam converteret, titulos duos solos sibi cepit, Tribuni plebis et Pontificis Maximi, quibus imperium integrum, tum rerum civilium tum religionis, continebatur; quam potestatem etiam imperatores, qui subsequuti sunt, dum stetit imperium retinuerunt. Quod autem episcopus Romanus a Constantino Magno episcopis cæteris prælatus fuerit, causa non erat quod Petro quasi principi apostolorum in cathedra Romana succederet, sed quia imperii sedes erat urbs Romana; ut ex eo manifestum est, quod cum urbs Constantinopolis etiam

sedes imperii facta esset, episcopus Constantinopolitanus de eodem honore cum Papa contentionem habuit.

CAP. XLV.

De demonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum.

Inter reliquias etiam ethnicismi est *pompa*, sive *processio*, in qua imagines Christi et sanctorum circumferri per urbem solitæ sunt. Nam in pompis etiam ethnicorum videre erat in curru, quem *thensam* et *vehiculum Deorum* appellabant, simili modo circumlata idola sua. Quem honorem etiam Julius Cæsar, postquam in divos translatus est, et nonnulli alii imperatores Romani obtinuerunt. Usus etiam, inter honores divinos, *cereorum* in ecclesiis introductus est a simili ritu ethnicorum. Etiam ab ethnicorum *aqua lustrali* derivata est, qua utuntur in ecclesiis, *aqua benedicta*. Item libertas illa servorum, quæ permittitur diebus quibusdam ante jejunium quadragesimale, imitatio erat Romæ antiquæ in *Saturnalibus*; etiam *perambulatio* illa per parochiarum fines post pascham, imitatio est festi qui Romanis appellabatur *ambarvalia*. Neque dubito, quin aliæ ceremoniæ non paucæ a gentium conversione prima in ecclesia relictæ fuerint, quas tanquam utres veteres doctores Romani, vel per negligentiam vel ambitionem, Christianismi vino novo impleverunt; quo tandem aliquando dirumpentur.

---

## CAPUT XLVI.

DE TENEBRIS AB INANI PHILOSOPHIA.

NOLI, lector, expectare hoc loco contra philosophiam aut philosophos orationem invectivam. Quid ergo agis? Distinguo inter philosophos et non philosophos; et inter philosophiam veram, vitæ hu-

CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

manæ magistram sapientissimam, humanæ naturæ decus singulare, et illam, quæ jam diu pro philosophia habita est, fucatam et garrulam meritriculam. Philosophia enim, sive studium sapientiæ, quanta est, sapientia est; id est, *effectuum ex conceptis eorum causis seu generationibus; et rursus generationum, quæ esse possunt, ex cognitis effectibus per rectam ratiocinationem acquisita scientia*; quam nec Scriptura prohibet, nec hominum quisquam aspernatur.

Per quam definitionem distinguitur philosophia, primo, ab experientia, et prudentia hominum et cæterorum animalium communi; ut quæ non ratione, sed memoria tantum comparatur.

Deinde, distinguitur a fide et revelatione supernaturali; quæ non ratione acquiruntur, sed dono dantur.

Philosophandi autem origo prima sermoni coæva fere est. Fuere enim inter primorum temporum homines rudissimos, qui opera Dei admirati sunt. Admiratio autem ad causas quærendas earum rerum quas admirantur, ingenia excitat. Sed id quod philosophiam aluit auxitque maxime, otium erat, quam *scholam* Græci vocant. Otium autem genuit pax; quæ nisi in magnis civitatibus inveniri non solet. Itaque professores sapientiæ primi erant gymnosophistæ Indiæ, magi Persiæ, et Chaldæorum et Ægyptiorum sacerdotes. Græcis et populis occidentis philosophia nondum orta erat. Postquam autem respublica Atheniensium victis Persis florere cœpit, tunc primum ii, qui neque domi neque foris quicquam haberent aliud quod facerent, convenire in loca publica confabulandi gratia incœperunt, neque *alii rei* (ut dicit S. Lucas Act.

xvii. 21) *vacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid novi.* Itaque qui sibi videbantur in philosophia profecisse, docere alios cœperunt, Plato in *Academia*, Aristoteles in *Lyceo*, alii in *Stoa*; quæ loca *scholæ*, et disputationes eorum *diatribæ* appellabantur. Ipsi autem eorum sectatores nominibus suis distinguebantur. Nam qui Platonem sequuti sunt, *Academici*; qui Aristotelem, *Peripatetici*; et qui Zenonem, *Stoici* vocati sunt; quæ distinctio, una cum differentiis doctrinarum, permansit usque ad tempora Servatoris nostri, et per totam Europam et Asiam fere cognita etiam illorum temporum philosophos inter se distinxit.

CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

Etiam in Judæa scholæ erant publicæ, sed in synagogis, ubi leges Judæorum publice explicatæ et disputatæ erant; ut scholæ Libertinorum, Cyrenæorum, Alexandrinorum, et Cilicum.

Quid autem humano generi scholæ Græcorum profuere? Plato quidem ipse philosophus et geometra insignis erat; sed nulli id debuit scholæ. Commoda, quæ a physica et geometria habemus hodie, Archimedi debemus, homini scholæ nullius. Schola Peripatetica, quæ cæteras omnes sua loquacitate fecit conticescere, quid habet præter dialecticæ et rhetoricæ argutias? Cujus phænomeni naturalis causam, non omnibus obviam, reddidit intelligibilem? Sed, etsi inutiles scholæ, innocuæ tamen hactenus fuerunt. Philosophia, sectis inter se usque ad pugnam dissentientibus, libera tamen hactenus erat. Jurare in verba Aristotelis nemo cogebatur, quanquam illius dogmata latius recepta erant quam sectarum reliquarum.

Neque Judæis profuere scholæ suæ; in quibus, etsi lex et prophetæ assidue exponerentur, Messiam



CAP. XLVI. tamen, quem expectabant, agnoscere præsentem non didicerunt.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

Ad Judæos tamen, quibus pro omni philosophia erat Testamenti Veteris Scriptura Sacra, Græcorum doctrinæ non pertinuerunt.

In máximo autem honore apud Græcos erat philosophia Græca, præsertim Aristotelica, tempore ecclesiæ primitivæ, quando ad fidem Christianam magno numero quotidie Græci accedebant; etiam inter illos philosophi; sed hi fidem ita amplexi sunt, ut tamen magistrorum suorum dogmata, semicocti Christiani, non deseruerint, sed quæ cum doctrina Christiana quocunque modo conciliare potuerunt, retinere. Atque hæc sectarum, Græcæ *hæresium*, in ecclesia Christi origo prima fuit; dissentientibus scilicet inter se pastoribus illis proselytis de natura Christi, quem Deum esse per miracula ostenderant apostoli. Attamen quia ex principiis philosophiæ suæ demonstrari posse non videbatur, non crediderunt verum esse. Itaque alii Valentinum quendam sequuti, historiam generationis Christi totam converterunt in allegoriam; cui se opposuit ex orthodoxis Irenæus. Post hunc Appelles aliique Christum verum hominem esse negaverunt, phantasma sine corpore esse affirmantes; contra quos disputavit Tertullianus, eo præcipue argumento, quod *incorporeum nihil est*. Alii, qui vocabantur Anthropomorphitæ, Deo corpus organicum tribuerunt. Alii Christum non totum, sed Dei partem esse voluerunt. Interea in synodis suis episcopi presbyterique doctrinas has novas examinaverunt; et quas damnaverunt, *hæreses*; quas confirmaverunt, *fidem Catholicam* vocaverunt; et tunc primum inter Catholicos et hæreticos distinc-

tum est. Orta deinde est Arianæ hæresis, negantis Christum esse Deum; quæ Niceni Concilii convocandi causa erat.

CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

Synodus autem illa non modo Arianam, sed etiam omnes præteriti temporis a Christo nato hæreses condemnavit, fidem orthodoxam symbolo, quod Nicenum dicitur, breviter complectens ex Scripturis ipsis, nulla omnino philosophiæ Græcæ habita ratione; nempe, *Christum Deum verum esse, et filium Dei genitum, ejusdem cum Deo substantiæ*; quam fidem confirmarunt etiam tria sequentia Concilia generalia, addita sententia de fide in Spiritum Sanctum. Etiam hæresin Africanorum sub Cypriano ortam, de rebaptizatione eorum qui ad ethnicismum redierant, condemnaverunt, et symbolo articulum illum addiderunt, *credo unum baptismum in remissionem peccatorum*. Atque hæc, Nicenæ synodo ex Scripturis Sacris agnita, philosophia ethnica nondum advocata, placere et confirmata erant. Non enim philosophi erant eo tempore pars Patrum major.

Sed in Niceni symboli expositionibus (nemo enim fere doctorum ecclesiæ ab eo Concilio in quingentos annos erat, cujus scripta extant, qui in symbolum illud expositionem aliquam non ediderit) non habita est de sententia Scripturarum tanta sollicitudo. Ubi enim in Scriptura Sacra, aut in ipso symbolo Niceno, invenitur id quod in symbolo dicitur Athanasii, *ita Deum et hominem esse unum Christum, quemadmodum anima rationalis et caro est unus homo?* Constitutio hominis ex carne et anima nunquam pro mysterio habebatur; sed *Christus in carne* mysterium maximum est. Quod homo sit anima sua aut corpus suum seorsim, ne-

## CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

mo dicit; de Christo utrumque recte dicitur, quod est homo, et quod est Deus. Ubi legitur in Scripturis hominem Christianum, nisi comparatione hac incarnationis cum anima et carne hominis contentus sit, damnandum esse? Ubi legitur in Scripturis Sacris, aut in symbolo Niceno, tres esse *hypostases*, id est, tres *substantias*, id est, tres *Deos*, aut aliud quod tantundem valet? Si legatur, cur ea voce ecclesia Latina recusavit uti? Cur excusat Græcos Augustinus, ab eo quod vocem commodiorem non habuere? Verum quidem est, vocabulum in lingua Græca nullum esse, quod respondeat *personæ*, vocabulo Latinorum. Necesse tamen non erat ut vocabulo *hypostasis* uterentur, cum necesse non esset ut mysterium explicaretur. Deinde, quod est in symbolo Athanasii, *Filius est ex Patre solo*, illud *solo* in symbolo Niceno non est; et præterea dicitur (Matth. i. 20), *quod in Virgine Maria genitum est, ex Spiritu Sancto est*. Sed dicet fortasse aliquis, generationem æternam differre a generatione illa quæ facta est in utero virginis. Ubi autem Scriptura Sacra, aut synodus, ita distinguit? Nonne Deus erat Filius ex eo quod Virgo illum ex Spiritu Sancto, id est, ex Deo conceperat? Imo, Deus ab æterno erat, etsi nondum carnem induisset. Nam de eo quod ab æterno decreverat, cui omnia sunt præsentia, loquitur Deus sæpenu-mero tanquam de præsentem. *Verbum Dei*, nempe *Christus promissus*, a principio et ab æterno erat; verba tamen illa quæ faciunt actum promittendi, non erant Deus, nec substantia, sed *vox*. Per Filium Dei *facta sunt secula* (Heb. i. 2); sed non per alium Deum ea fecit Deus. Per verbum Dei *facta sunt omnia, quæ facta sunt*: dixit enim Deus *fiat*,

et factum est. Non tamen jubemur credere verbum illud, *fiat*, esse substantiam divinam et Dei Filium. Citant etiam doctores, pro generatione Filii æterna, verba Solomonis dicentis in persona sapientiæ (Prov. iii. 19): *Jehovah sapientia fundavit terram, statuit cælos intelligentia*; volentes eo loco intelligi sapientiam Dei pro Dei Filio. Si *sapientia* sumatur pro ipso sapiente Deo, argumentum procedit; sed si sumatur *sapientia* quatenus distinguitur, ut plerumque fit, a voce concreta *sapiens*, non potest intelligi pro substantia, neque ergo pro filio Dei; non magis quam justus justitia, aut virtus vir appellari proprie potest. Etiam inter Deum et Deitatem distinguit recte Johannes Damascenus, dicens, Deum quidem, sed non Deitatem hominem factum esse. Hæ et hujusmodi doctrinæ hominum singularium opiniones sunt, non decreta ecclesiæ; et proinde, etsi impiæ non sint, conscientias tamen non debent obligare.

Temporibus subsequentibus philosophiam Aristotelicam in scriptis suis liberius aliquanto sequuti sunt; etiam eorum nonnulli, tractatibus logicis et physicis in Aristotelis sententiam editis, Aristotelismum ambitiose ostentarunt. Dæmonologiam autem, eandem fere quam in Homero et Hesiodo legimus, animis jamdiu infixam plerique eorum tenuerunt, quibus doctrina Aristotelis de *formis separatis*, magis quam reliquarum sectarum philosophia, congruere videbatur.

Distracto interea imperio Romano, et in Italia jam penitus extincto, cura urbis Romanæ, id est, potestas Romæ regia, episcopo Romano commissa est. Papatus jam res digna esse visa est, de qua pugnaretur. Itaque de eo pugnatum est; et quo

CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

tempore Carolus Magnus, rex Galliæ, Romanorum hostes Lombardos superavit, eodem Leo tertius schismate Roma expulsus est. Leonem autem reduxit Carolus, et in papatu confirmavit; et Leo imperii occidentalis imperatorem fecit Carolum, quem publice in Dei nomine corona imperiali donavit, populo acclamante *Deus dedit*. Regibus hinc Galliæ titulus perpetuus fuit, *Dei gratia rex Galliæ*, et in *reges Paparum dominatus*. Quem dominatum ut conservaret ecclesiæ, senex Leo, mundanarum rerum peritus, problema nobile excogitavit, *regna Christianorum regum ipsorum armis omnia in se transferre*; et perfecit.

Post unum enim aut alterum annum, Leo pontifex Carolum imperatorem ad *universitates* per dominia sua instituendas, ubi literæ et scientiæ universæ docerentur, per literas suas hortatus est. Itaque Parisiis ille universitatem erexit primam; et postea alias alii reges in dominio quisque suo, structis instructisque ad studia collegiis, legibus ad arbitrium pontificis Romani gubernandas. Tum demum a magistris Lombardo, Scoto, Thoma, ex philosophia Aristotelis et Scripturis Sacris commista, nata est theologia quæ dicitur scholastica. Docebantur autem in universitatibus logica, physica, metaphysica, ethica, politica Aristotelis, quasi universitas scientiarum in uno esset, maximo tunc ecclesiæ patre, Aristotele. Præcipue vero ad verecundiæ adolescentiæ frontem confirmandum, in disputationibus et declamationibus publicis adolescentes exercebantur, quo Romanæ ecclesiæ dogmata et sustinere et prædicare possent. Itaque per ecclesiasticorum, ex universitatibus in omnes fere Christiani orbis urbes, oppida, parochias emissorum,

conciones et scripta edita, animis Christianorum omnium indelebiliter infixum est, *regulum justī et injūsti aliam nullam esse præter ecclesiæ Romanæ dictamina; regibus ulterius obediendum non esse, quam ab ecclesia Romana permissum fuerit; reges ipsos pontifici Romano debere tanquam oves obedire; factumque est, quod erat faciendum.*

CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

Locus in universitatibus erat etiam studio juris Romani antiqui et medicinæ; solæ scientiæ mathematicæ, non quod doctrinæ Christianæ contrarium aliquid continerent, sed propter ignorantiam et artium irreconciliabile dissidium, prætermisæ sunt. Nam et antea, ut quis ab honore episcopatus arceatur, satis causæ erat didicisse artes mathematicas, vel terram credere rotundam esse, aut esse terræ incolas quos antipodas appellamus.

Quomodo autem et a quibus opinionibus Aristotelicis derivata est doctrina Romana, vel theologia scholastica quam reprehendis? Dicam. Græci et Latini et Europæi plerique, quoties affirmant aliquid, conjungunt duo nomina per verbum *est*; eo modo significantes nomen utrumque ejusdem *rei* nomen esse; ut qui dicit *homo est animal*, intelligi ita vult ac si dixisset, "si quem recte *hominem* dicimus, eundem etiam *animal* recte dicimus." Aliquando etiam verbum illud, *est*, nomini unico apponimus, ut quando dicit aliquis, *Deus est*. Tunc autem ita intelligi vult ac si dixisset, *Deus est aliquid reale, non figmentum animi; hypostasis, non phantasma*; sic enim distinguunt Græci inter *res veras* et *apparentes* tantum. Exempli causa; hominem spectantem se in speculo *hypostasin* vocabant, sive *substantiam*; imaginem autem sui in speculo visam, *phantasma*. Verbum hoc *est*

## CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

priore modo acceptum, nempe quando conjungit duo nomina, vocatur *copula*; posteriore modo sump- tum, vocatur *verbum substantivum*. *Verbo sub- stantivo* utebantur etiam Hebræi, et passim; ut ubi nomen suum Deus simpliciter dicit esse *Sum*; sed ut *copula* nunquam utebantur. Nam vice copulæ, utebantur Hebræi duorum nominum *appo- sitione*; ut ubi dicitur, (Gen. i. 2), *terra res infor- mis*; quod nos necessario vertimus, *terra erat informis* etc.

Aristoteles, qui non tam ad *res* respexit quam ad *voces*, cum intelligeret, exempli causa, sub duo- bus nominibus, *homo* et *animal*, quæ res intelli- gendæ erant; non contentus eo, homo diligens quæsivit ulterius, quænam res concipienda erat sub *copula est*, vel saltem sub voce infinitiva *esse*; nec dubitavit quin nomen illud *esse*, alicujus *rei* nomen fuerit; quasi esset in natura rerum aliquid, cujus nomen esset *esse* vel *essentia*. Ab hoc ab- surdo in aliud lapsus est adhuc pejus, nempe, *es- sentias quasdam* esse ab *entibus* suis separatas, quas cæli orbibus assistentes circumagere illos affir- mabat; etiam animam humanam, ab homine sepa- ratam et dissitam, per se subsistere: quæ quidem doctrina cum theologia Homerica fortasse congruit, sed cum Scriptura Sacra non congruit. Neque enim vox illa, *essentia*, in Scripturis aut ecclesiæ Anglicanæ liturgia, articulis, vel canonibus inveni- tur; neque vox Græca *οὐσία*, nisi pro divitiis, quas Latini etiam vocant *rem*; neque *essentiale*, *es- sentialitas*, *entitas*, *entitativum*, neque quicquam quod fit ex *copula*. Non enim lingua Hebræorum id patiebatur. *Essentia* ergo res non est neque *creata*, neque *increata*; sed nomen artis causa

fictum. *Entia* hujusmodi nova, notha, inania, verbis et vocibus implicitis, per copulationem nominum solus genuit Aristoteles, philosophiæ, quam fraudem vanam appellat S. Paulus, principia prima.

CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

Ab hac doctrina de *essentiis et formis substantialibus separatis* dæmonologia Græcorum in ecclesia, ut dixi, relicta est; et superstitio illa, quam *δαιμονολογίαν* vocant Græci, sive metum phantasmatum. Inde exorcismorum usus ortus est, et signi crucis, et aquæ benedictæ, quibus excantarentur aut abigerentur: deinde nata est opinio de substantiis incorporeis, id est, nullam habentibus omnino magnitudinem, et quod Deus ipse optimus maximus magnitudinem non haberet, quanquam neque *substantia incorporea*, neque *substantia immaterialis* in Scriptura Sacra inveniatur. Item, quod *anima est tota in toto, et tota in qualibet parte corporis*. Ex eodem fonte orta est doctrina tota de purgatorio, et de apparitione nocturna animarum, et legenda miraculorum, et quæstiones de animis reproborum, ubi, et cum sint impatibiles, quomodo puniuntur; aliaque multa quæ non reperiuntur in Scriptura Sacra.

Quod corpus idem in pluribus simul locis, et plura corpora in eodem simul loco esse dicunt, neque Aristotelis, neque philosophi, neque hominis cujusquam sani est putare. Sed dici expediebat ad sustentandam præsentiam realem carnis Christi in omni pane consecrato.

Quod *volendi* causa sit *voluntas*, id est, potentia causa actus, Aristotelicum est, et receptum a Scholasticis; nimirum, ut dominio Dei in voluntatem humanam sublato, liberum statueretur arbitrium hominis.



## CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

Præterea, quas in physicis rerum causas reddiderunt absurdas; ut, quod descensionis gravium causa sit gravitas; gravitatis autem causam esse, quod ad centrum terræ venire conservationis suæ causa appetant. Quod idem corpus, nihil addito neque adempto, modo majus, modo minus sit; scilicet per condensationem et rarefactionem. Quod anima creatur *infundendo*, et infunditur *creando*; quanquam Scriptura dicat omnia creata esse per verbum Dei. Quod pro causis assignant *qualitates occultas, sympathiam, antipathiam, antiperistasin, qualitates specificas*, item *casum* sive *fortunam*, id est, suam ipsorum ignorantiam; sublata enim ignorantia, quid est aut *fortuna* aut *qualitas occulta*? Quod omnis tum sensio, tum intellectio fit per motum quendam specierum. Quid est species? Species est, ut sciunt omnes qui latine sciunt, forma rei aspectu cognita, constans ex figura et colore; qualis est species faciei humanæ, quam vultum et aspectum dicimus. Species ergo sive vultus rerum aut intromitti dicunt in oculos, et sic videri; aut species quasdam seu vultus rerum emitti ad objectum, et sic videri objectum. Nondum enim inter Scholasticos consensus est, an *extramittendo* an *intromittendo* species fiat visio. Etiam audire, olfacere, gustare, intelligere per species dicunt, per aures, nares, et organa intellectus transeuntes. Quod æternitas non sit temporis sine fine aut principio successio, sed *nunc stans*, id est, idem *nunc* nobis esse, quod erat *nunc* Adamo, id est, inter *nunc* et *tunc* nullam esse differentiam. Hæc, inquam, quia non miscentur, quod sciam, cum doctrina fidei Christiana, sed responsa sunt tantum physica, eo fine data, ne non videretur sapientia

omnis pendere ab ore sacerdotis, prætereunda censui. CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

Quod, negato libero arbitrio, sequi dicant Deum esse peccati authorem, nec debere ideo peccatorem puniri, concedant tamen rerum et actionum causam primam esse Deum, conciliationem petunt ex Aristotele vocante peccatum *ἀνομίαν*, id est, ipsam cum lege incongruitatem, privationem meram, non factum aut actionem quampiam. Facti ergo omnis et legis causam Deum esse agnoscentes, incongruitatis causam esse negant; quasi quis, cum duas duxisset lineas rectam et curvam, ambas se fecisse diceret, sed ab alio factam esse illarum incongruitatem. Sed Aristoteles per incongruitatem, ipsum factum, aut saltem deliberatum, vel consultum legi incongruum intellexit. Itaque Scholastici, ubi videri voluerunt subtilissimi, ibi hebetudinem indicarunt maxime. Si subtiles fuissent, differentiam inter causam facti et authorem facile invenissent. Author facti is est, qui fieri jubet; causa est is, per cujus vires factum est. Deus neminem jubet quicquam contra leges facere aut conari; atqui quæ facimus, viribus a Deo datis omnia facimus. Cur autem, si Deus in causa est, condemnatur nos? Responde mihi, qui sic rogas, cur Deus ab æterno alios elegit, alios reprobavit, et quomodo ad pœnas æternas maximasque condemnavit eos, qui malum nondum aut fecerant aut cogitaverant, nec nisi Deo volente et vim præbente, facere aut cogitare potuerunt? Responde etiam, an figulo de vase, quod finxit, non sit licitum statuere quicquid vult? Indica denique, ubi Scripturæ aperte dicant, omnes illos, qui a regno Dei excludentur, victuros esse sine morte secunda cruciandos in æternum.

Accedamus jam ad ethicam et politicam. Do-

## CAP. XLVI.

De tenebris  
ab inani  
philosophia.

cent Scripturæ Sacræ, regibus et potestatibus summis eorumque ministris, etiam ethnicis, a subditis suis Christianis, non ob metum tantum sed conscientiæ causa, ut a Deo ad bonum nostrum ordinatis, obediendum esse. Unde igitur nata sunt de religione, in Germania, Gallia, et Anglia, bella civilia, nisi a philosophia ethica et politica Aristotelis, et eorum qui Aristotelem sequuti sunt Romanorum? Mensura boni et mali in omni civitate est lex. Aristoteles autem virtutem et vitium non legibus definivit, sed laude et vituperio apud cives; regum omnium imperium *tyrannidem* vocat; in democratia sola libertatem esse dicit, et ipse, et post illum scriptores Romani plerique, ab unius Tarquini regis odio hominis vitium in formam regiminis transferentes, nullo quidem argumento, sed exemplo civibus rerum novarum cupidis grato quidem, sed pernicioso. Hos authores, Græcæ et Latinæ philosophiæ et eloquentiæ causa, juvenes cum in universitatibus docerentur, doctrinam eorum venenosam simul imbiberunt, et de bono, malo, justo, injusto, legibus, et religione, suo quisque arbitrio statuebat. Hinc initium erat mali nostri. Nam et prædicatorum magna pars, qui de doctrina sua egregie sentiebant, et alii lectione politicæ Græcæ et Latinæ, videbantur sibi magni politici; alteri quia in ecclesia, alteri quia in statu pro ambitione sua non procedebant, bellum civile accenderunt; in quo bello multi civium myriades occisi sunt, et rex indigna morte trucidatus.

Tanti constitit didicisse eloquentiam et philosophiam Græcam et Latinam: nisi autem prædicatores populum, et universitates nostræ prædicatores ipsos melius doceant, forte *iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles*.

## CAPUT XLVII.

DE QUIBUS QUÆSTUI FUERUNT ANTE DICTÆ TENEBRÆ.

DE prætore quodam Romano Cassio honorifice lo- CAP. XLVII.  
quitur alicubi Marcus Cicero, quod in criminibus De quibus  
cognoscendis, ubi testimonium non erat satis ple- quæstui  
num, accusatorem interrogare solitus esset, cui fuerunt ante  
bono fecit reus ; id est, quod lucrum, quam poten- dictæ tenebræ.  
tiam, aut quam aliam rem cupitam, inde obtinuerit  
aut conservaverit aut expectaverit. Sentiebat enim  
homo prudens malum gratis esse neminem, sed  
unumquemque facere, quæ volens facit, propter ali-  
quod bonum sibi. Nam inter præsumpta nullum

Post resurrectionem Servatoris nostri, cum jam-  
jam ascensurus esset in cœlum, rogaverunt illum  
apostoli dicentes (Act. i. 6, 7) : *Domine, num hoc*  
*tempore restitues regnum Israeli ? Dixit autem*  
*ad illos, non est vestrum nosse tempora, sive op-*  
*portunitates quas Pater in sua ipsius auctoritate*  
*statuit.* Qui regnum Dei restitutum dicunt, tunc  
cum Christus a mortuis resurrexit, *cui bono* doc-  
trinam hanc doctrinæ illæ adeo repugnantem, tum  
ecclesia Romana, tum nonnulli alii vulgo docent ?  
Regnum Dei institutum erat in Judæis a Deo ipso.  
In eo potestatem in terra summam habebat post  
Mosem Aaron, et post Aaronem cæteri sacerdotes  
summi, suo quisque tempore. Jam, quoniam reg-

CAP. XLVII.

De quibus  
quæstui  
fuerunt ante  
dictæ tenebræ.

num illud a Christo restituendum erat, sequebatur ut in restituto rex esset Christus. Itaque ascendente Christo in cœlum, sequebatur ut alicui regni sui administrationem in terra reliquerit, vel homini vel cœtui. Manifestum ergo erat illum, qui administrationem hanc obtineret, eandem potestatem habiturum esse, quam habuerant sacerdotes summi Aaron et successores ejus in populo Israelitico, id est, potestatem regiam et summam; atque hoc bonum illud est, propter quod doctrina illa ecclesiæ Romanæ inventa est; bonum, quo nullum in terris majus esse dicitur. Tenebrosam ergo hanc doctrinam primi infuderunt ecclesiæ pontifices Romani, qua docerentur cives Christiani, quoties inter reges et Papam oriretur controversia, neglectis suorum regum imperatis, Papæ obedire.

Quod idem doceant *Papam in articulis fidei definiendis non posse errare*, eodem tendit.

Quod episcopus Romanus solus potestatem suam jure divino immediato exerceat, cæteri jure ab illo derivato, eodem tendit. Eodem etiam tendit quod clerici, monachi, et fratres in omni loco a pœnis legum civilium eximantur.

Ex eadem doctrina, nimirum quod sacerdotes sint eodem jure quo Aaron, poscunt sibi et Levitis suis in civitatibus Christianis jure divino decimas.

Quod matrimonium sacramentum esse dicant, eo tendit, ut judices sint in quæstione de matrimonio legitimo, et per consequens de successione ad regna hereditaria.

A confessione auriculari consilia regum et magnatum explorare possunt, et aliquando explorant.

A canonizatione eorum hominum, quorum opera in potestate sua augenda vel conservanda egregia

usi sunt, animos imperitorum Christianorum in reges suos usque ad necem aliquando acuunt. CAP. XLVII.

Per doctrinam purgatorii, et justificationis per opera externa, et indulgentiarum, clerici, id est, pontificis Romani subditi, sumptu regum nutriuntur. De quibus  
questui  
fuerunt ante  
dictæ tenebræ.

Per exorcismos et cæteram dæmonologiam populos terrent.

Postremo, per doctrinas humanas, metaphysicam, ethicam, et politicam Aristotelis, per distinctiones frivolas, sermonem obscurum, et voces barbaras, tenebras jam inductas reddunt spissiores, et ipsis principibus, quando volunt, palpabiles. Palparunt autem primi Germani, deinde Angli.

Postquam enim communiter creditum esset, eandem esse potestatem Papæ in populo Christiano, quam habuerunt Aaron et cæteri sacerdotes summi in populo Israelitico, ambitio de functionibus ecclesiasticis, præcipue de papatu, obtinendis, et eorum qui obtinuerunt fastus, eousque paulatim crevit et conspicuus factus est, ut omnem fere sui reverentiam veram et pastorali functioni debitam perdiderint.

Nam a quo tempore episcopus Romanus pro episcopo universali habitus esset, hierarchia Romana non inepte comparari potuit fabulæ, quæ in Anglia inter mulieres vetulas, pueros, et viros ex plebe rudiores pervagabatur, de *lemuribus*, id est, de umbris sive spectris, et nocturnis eorum facinoribus.

Cogitantibus enim domini tanti ecclesiastici originem, quid aliud videri potuit papatus nisi imperii illius Romani ingentis ingens spectrum, sepulchro imperii defuncti coronatum insidens?

Etiam sermo, quo utuntur in cultu Dei publico,

CAP. XLVII. qui nullius tunc gentis proprius erat, quid aliud erat, quam linguæ Latinæ veteris imago ?

De quibus  
quæstui  
fuerunt ante  
dictæ tenebræ.

*Lemures* per omnes gentes unicum et universalem habuisse dicuntur regem, cui nomen dederunt, ex historia ficta de gestis Hugonis Burdegalensis, Oberonem. Ecclesiastici etiam, cujuscunque civitatis cives sunt, unum et universalem regem agnoscunt Papam Romanum.

*Lemures* spiritus sunt ; ecclesiastici etiam appellant sese spirituales. *Lemures*, tenebras, solitudines, sepulchreta incolunt. Similiter, ecclesiastici, in obscuritate doctrinarum, in monasteriis, ecclesiis, et cœmeteriis ambulabant.

Ecclesiastici virtute aquæ benedictæ, in quocunque loco posuissent ecclesias suas, locum illum fecerunt ut esset *urbs*, id est, imperii sedes. Ita quoque in fabula est, habuisse *lemures* castella sua quædam incantata, et spiritus quosdam gigantæos qui in regionibus circumvicinis dominabantur.

*Lemures*, si quid mali fecissent, comprehendi et sisti ad tribunalia civilia non potuerunt. Ita etiam ecclesiastici, criminum rei, a tribunalibus civilibus sublati evanescebant.

Ecclesiastici per incantationes quasdam, ex metaphysicis et miraculis confectas, usum rationis naturalis adolescentibus adimere consueverunt, eo fine, ut jussis suis cœci obtemperarent. Ita etiam dicuntur in fabula *lemures*, pueris ex cunabulis sublatis, alios illorum vice supponere, fatuos quidem, sed promptos ad nequitiam.

In qua officina sive operatorio incantamenta sua conficiunt *lemures*, non est dictum in fabula. Ecclesiasticis autem operatoria fuerunt, quas ipsi sua autoritate sibi erexerunt universitates.

*Lemures* quoties alicui irascerentur, mittere dicebantur ex suo numero aliquem qui illum suggillaret. Ecclesiastici item, si civitati vel regi alicui succenseant, subditos suos superstitiosos et incantatos immittebant, qui seditione illum suggillarent; etiam aliquando principes faciebant ut alter suggillaret alterum.

CAP. XLVII.

De quibus  
quæstui  
fuerunt ante  
dicte tenebræ.

Neque *lemures* neque *clerici* uxores ducunt.

Ecclesiastici de decimis, et imperitorum hominum, quibus terrori sunt, donationibus cremorem terræ accipiunt; quemadmodum in fabula dicuntur *lemures* cremorem lactis ligurire.

In regno *lemurum* qualis sit moneta, non reperitur in historia; ecclesiasticorum autem moneta, quam accipiunt, eadem quidem est cum moneta laicorum; sed quam solvunt, canonizationes, indulgentiæ, et missæ sunt.

*Lemures*, præterquam in metu et phantasia hominum imperitorum, existentiam nullam habent. Sic quoque potestas Papæ spiritualis, extra suum ipsius dominium temporale, in solo metu consistit excommunicationum.

Neque ergo Henrico VIII et Reginae Elizabethæ potestatem illam ex Anglia ejicere difficile erat. Ejecti autem, et per missiones papales Chinæ, Japoniæ, et Indiæ loca arida peragrantes, quis scit an non redituri sint spiritus illi, vel alii numero plures, et pejores? Non enim Romani soli sunt, qui ad ecclesiæ aspirant regimen, prætendentes jus divinum.

Tractatum hunc de potestate civili et ecclesiastica ad finem jam perductum cum recognoscerem, nihil in eo inveni neque contra sensum Scripturæ Sacræ, neque contra leges patriæ meæ civiles aut ecclesi-



**CAP. XLVII.** asticas. Nam qui potui, cum totius operis scopus esset unicus ut demonstrarem prætextum nullum esse posse, quo legum violatio excusari possit? A sententiis autem theologorum singularium multis in locis abiisse me confiteor.

Conclusio.

Si cordibus scripsissem instar tabularum rasarum puris, brevior esse potuissem. Suffecissent enim ea pauca, quæ sequuntur: homines sine lege, propter jus omnium in omnia, mutuis cædibus se ipsos interimere; leges sine pœnis, et pœnas sine potestate summa, inutiles esse; potestatem sine armis et opibus in unius personæ manum collatis, vocem meram, neque ad pacem neque ad defensionem civium momenti ullius esse; et proinde cives omnes, sui, non imperantium, boni causa ad rempublicam opibus suis tuendam et confirmandam, quantum possunt, obligari; idque arbitrio illius, cui summam dederint potestatem. Quæ summa est partis primæ et secundæ. Deinde, quoniam in Scripturis Sacris, quarum lectionem ecclesia nostra omnibus et permisit et commendavit, vita æterna et salus singulorum continetur; et unusquisque periculo animæ propriæ illas legit et sibimet ipsi interpretatur, et propterea æquum est, ut conscientiæ eorum non pluribus fidei articulis onerentur, quam qui sunt ad salutem necessarii; articulos illos, quinam sint, in parte tertia explicavi. Postremo in quarta parte, ne populus a falsis doctoribus seducerentur, consilia ambitiosa et astuta adversariorum ecclesiæ Anglicanæ patefeci. Hæc, inquam, ingeniis candidis suffecissent. Sed cum doctrinis contrariis hominum animos jamdudum scribillatos esse scirem, omnia fusius explicanda esse existimavi, et explicui, sed sermone

Anglico, quantum potui, eo tempore quo bellum civile de disciplina ecclesiastica natum in Scotia, per Angliam etiam et Hiberniam ferocissime gerebatur, quando non episcopis tantum, sed etiam rege, lege, religione, et honestate sublatis, perfidia, cædes, fœdissima scelera omnia, sed larvata dominabantur; adeo ut si quis ex mundi partibus remotioribus huc appulsus, eorum, quæ tunc perpetrabantur, flagitiorum spectator fuisset, justitiæ divinæ sensum in his locis nullum omnino tunc fuisse pro certo habuisset. Doctrina ergo hæc mea parum tunc profuit; parum inquam, sed tamen aliquid. Sperabam autem bello extincto profuturam esse postea. Vicerunt democratici, et democratiam constituerunt; sed eandem, tantorum suorum scelerum mercedem, subito amiserunt. Angliam, Scotiam, Hiberniam unus tyrannus occupavit, et prudentiam eorum democraticam tam laicorum quam ecclesiasticorum confutavit. Populus bello fatigatus ipsos contempsit, non minus quam ante admiratus est. Restituto denique rege legitimo, veniam petierunt, id est, stultitiam suam agnoverunt. Venia data est, idque, ne sceleribus suis a bonis distinguerentur, per amnestiam universalem. Quis credat principia illa seditiosa non jam deleta esse omnia, aut præter democraticos esse quemquam, qui doctrinam, tam pacificam quam hæc est, abolitam esse cuperet? Quod ne accadat, eandem latine extare volui. Video enim dissensiones hominum de opinionibus et præstantia ingenii tolli armis non posse. Mala hujusmodi, quo modo nata, eodem extinguenda sunt. Animi civium a politicæ et philosophiæ ethnicæ scriptoribus infecti paulatim fuerant. Itaque atramentum

CAP. XLVII.

Conclusio.

**CAP. XLVII.** **illud democraticum, prædicando, scribendo, disputando eluendum est. Id qui aliter fieri possit, nisi ab universitatibus, non intelligo. Quantam ergo operam olim potestati pontificiæ præstiterunt, tantam posthac impendant potestati regiæ vindicandæ. Omnes interea operam demus, ne per discordias intestinas nos opprimi ab externo hoste patiamur universos.**

Conclusio.

## APPENDIX AD LEVIATHAN.

---

---

### CAPUT I.

#### DE SYMBOLO NICENO.

*A.* EXPLICA mihi quæso symbolum Nicenum, non dico, ut res ipsas animo comprehendam, sed ut verba fidei ita intelligam ut consentanea sunt Scripturis Sacris: et primo hæc verba, *credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cæli et terræ, atque visibilium omnium et invisibilium.* Et primo, quid est illud, *credo in*, vel Græcum *πισένω εἰς*? Nam apud authores Græcos non memini me alibi illam phrasin reperisse. Lego, *credo alicui*, *πισένω τινί*, *credo ita esse*, vel *πισένω ὅτως εἶναι*.

CAP. I.  
De symbolo  
Niceno.

*B.* Propria est illa vox consentientium in articulos. Nam præpositio *εἰς* significat inter alia *hactenus*; ut quando dicitur *πισένω εἰς θεόν πατέρα*, etc. si pro *θεόν*, etc. ponetur *τῷ*, idem esset quod *credo huc usque* sive *hactenus*. Significat ergo præpositio *εἰς* determinationem articulorum credendorum, nempe, quousque cum consilio consentiunt subscriptores. Mirum igitur videri non debet, si extra confessionem fidei phrasin illam non legisti. Eadem enim est ac si te credere diceres, Deum esse, eundemque unum esse, patrem esse, omnipotentem esse, et sic de cæteris. Legitur etiam *credo in evangelio*, id est, *credo evangelio*, id est, prædicatoribus evangelii; sed ibi Græcum non est *εἰς*, sed *ἐν*.

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

*A. Deus est Pater, Deus est omnipotens, etc.* sunt, ut loquuntur dialectici, propositiones. Habent enim sua subjecta et prædicata, et aperte in illis Deo nomen aliquod attribuitur. Sed in affirmatione hac, *Deus est*, quod nomen Deo attributum sit, non intelligo. Non enim puto dici posse, quod Deus est est; et frustra dicitur, Deus est Deus.

*B. Cum dicitur Deus est, vox est est verbum substantiale, includens tum copulam tum prædicatum, tum apud Græcos tum apud Latinos. Itaque illud Deus est, significat idem quod Deus existit, id est, resolutivo verbo substantivo, Deus est ens, sive ὄν, id est, reale aliquid, non merum phantasma, quale est quod vocatur spectrum, vel quales colebantur a gentibus dæmones, et ab apostolo S. Paulo nihil.*

*A. Memini quidem ab apostolo idola vocari nihil, non autem dæmonia sic vocari.*

*B. Putasne ea simulacra aurea, eburnea, lignea, an non potius dæmonia, quæ sub illis colebantur, vocata esse nihil? Præterea, idolum proprie est phantasma, nimirum idea, imago rei, non res ipsa; ad quas ideas simulacra sua faciebant Græci. Nam Deorum suorum ideas sive imagines raro sumpserunt a simulacris. Distinguitur etiam Deus per vocem illam ens, a nominibus. Aliud enim est res homo, aliud nomen homo. Præterea sciendum est, quod vox est, ut usurpatur a Latinis et Græcis ad copulam in propositionibus, Hebræis omnino ignota erat. Itaque utebantur semper verbo substantivo, et vice copulæ in omni affirmatione ad significandam quam dialectici vocant prædicationem, nomen nomini solummodo adjugebant. Latinis autem et Græcis copula est non est verbum, sed conjunctio; et ut et significat*

nomina, inter quæ interponitur, esse nomina diversarum rerum, ita conjunctio *est* significat nomina, inter quæ interponitur, esse nomina rei ejusdem. Itaque ea nomina, quæ a copula *est* derivantur, ut *essentia*, *entitas*, *esse*, Hebræi habere non potuerunt, nec illis æquivalentia. Latine dicitur, *terra erat vacua*; Hebraice, *terra existens vacua*, ubi ab homine Latino non audiebatur *erat*, sed (*erat*) *aliquid existens*.

*A.* Quid credendum est per vocem hanc, *creator*? Anne mundum hunc a nihilo factum esse?

*B.* Certe ex nihilo; non ut Aristoteles, ex materia præexistente. Expresse enim dictum est in Scripturis Sacris, omnia facta esse ex nihilo. Etiam Aristoteles, qui mundum dicit esse æternum, sibi-  
met ipsi contradicit. Materia enim non dicitur, nisi de qua aliquid factum est. Symbolum ergo hoc dicit, Deum factorem esse omnium rerum ex nihilo; et, quod sequitur, sua vi habet ut existat, non ab alio; et proinde etiam existit ab æterno; et quia non fuit qui Deo dedit ut existeret, nihil etiam erit quod ipsum faciet non existere. Est ergo Deus ab æterno et in æternum. Quæ vero creata sunt, non sunt ab æterno, quia creata; in æternum autem erunt, qua forma et specie vult Deus; nam cælum et terra renovabuntur, et quanquam mundus conflagrabit, non tamen annihilabitur, sed permanentia realia. Deus autem qui neque ab alio neque a se factus est, non potest mutari neque metamorphosin pati, neque a se neque ab alio; sed est immutabilis, et (sine mixtione illa Aristotelica) simplicissimus. Quæ omnia attributa, simplex, immutabilis, æternus, sicut ex verbis symboli deducun-

CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

tur, ita de Deo in Scripturis Sacris expressis verbis prædicantur.

A. "*Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum.*" Cur necesse erat dicere *unigenitum*.

B. Quia erant eo tempore hæretici, qui docebant Christum non esse Filium Dei genitum, sed adoptivum; alii etiam erant, qui docebant Christum alio sensu in Scripturis Sacris vocari Filium Dei, quam quo fideles omnes ita appellantur: cum tamen in Scripturis Sacris expresse et passim dicitur tum genitus, tum Deus a Patre natus ante omnia secula; et propterea credi debet Christum esse Deum de Deo, Lumen de Lumine, verum Deum de vero Deo, genitum non factum.

A. Quænam est differentia inter *genitum* et *factum*?

B. Per *factum* intelligimus *factum a Deo ex nihilo*, id est, *creaturam*. Quanquam enim animalia dicantur et creata et genita; quando dicuntur creata, intelligitur illud cum relatione ad Deum creatorem, qui in omni genere primum marem et foeminam creavit ex creata terra. Sed quando dicitur animal esse genitum naturali modo, intelligi debet cum relatione ad prima creata, ut materiam; at quando dicitur Christum esse genitum, intelligitur genitum ab ipso Deo Patre de materia virginis.

A. Quid est "*Lumen de Lumine*?" Lumen enim, ut mihi videtur, phantasma est, non res existens. Exempli causa; si inter oculum et candelam vitrum statuas, cujus superficies ex multis planis constat certo modo dispositis, multæ tibi videbuntur candelæ. Scimus tamen unicam ibi esse veram candelam, et proinde cæteras omnes mera esse

phantasmata, idola, hoc est, ut dicit S. Paulus, nihil. Neque tamen earum una verior est candela, quam reliquæ, quatenus apparent; sed vera candela, quæ principio posita erat, candelarum apparentium tantum nulla est, sed res ipsa, eademque causa illarum omnium imaginum, et propterea ab Aristotele distinguitur a phantasmate per vocem *hypostasis*, quasi sub imagine staret res ipsa latitans; quam Græcam vocem Latini ad syllabam verterunt *substantiam*. Et sic distinguunt tum Græci tum Latini rem veram in se subsistentem, a phantasmate, quæ videtur subsistere, nec subsistit, neque est ens. Nonne hæc est vera distinctio inter rem ipsam et suam apparentiam?

*B.* Ita est. Sed Patres ecclesiæ illis temporibus, tum ante tum post Concilium Nicenum, in scriptis suis vocem *hypostasis* videntur alio modo interpretari, mysterium Trinitatis Christianis omnibus intelligibile reddere cupientes; et illud optime fieri posse existimabant per similitudinem ignis, luminis, et caloris, quæ tria unum esse putaverunt, et ignem quidem ad Patrem, lumen ad Filium, et calorem ad Spiritum Sanctum retulerunt. In qua similitudine congruitas esset fortasse accurata, nisi quod ignis splendor et calor substantiæ nec sint, nec ipsis Patribus esse visæ sint, præsertim Aristotelicis, nisi forte ipse ignis ponatur pro ignito. Homo enim et ignem, et lumen, et calorem extinguit quoties libet; sed ut agens tam infirmus quam est homo, creaturam veram substantialem a Deo omnipotente creatam extinguere possit, et in nihilum redigere, nec jubemur credere, nec credibile est. Itaque quoties comparisonem illam adducebant in scriptis propriis, Patres ipsi adjecerunt continuo,

L L 2

CAP. I.  
 De symbolo  
 Nicæno.



CAP. I.  
De symbolo  
Niceno.

non eam ita accipiendam, quasi esset mysterii tanti idonea explicatio; sed ut qua nullam potuere invenire meliorem; omnes enim in eo consenserunt, incomprehensibilem esse naturam Dei, et Trinitatis, et angelorum, et (ut addit Athanasius) animæ rationalis.

*A.* Mihi quidem non recte videntur voluisse mysterium illud explicare. Quid enim aliud est mysterium explicare quam destruere, sive ex mysterio facere non mysterium? Fides enim, conversa in scientiam, interit, manentibus sola spe et charitate.

*B.* *Lumen ergo de lumine* in symbolo ponitur tantum pro adjutorio fidei cæteris articulis adhibendæ.

*A.* Sequitur deinceps articulus ille magnus, qui in ecclesiam antiquam tot turbas intulit, exilia et homicidia, *consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.*

*B.* Et quidem verissimus est, verbis apertis declaratus a S. Johanne 1. 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Verbum erat Deus.* Et (vers. 3): *Omnia per ipsum facta sunt.*

*A.* Quid intellexerunt Patres per *Verbum*?

*B.* Filium Dei naturalem, sive genitum a Deo, a principio, id est, ab æterno.

*A.* Numquid eo loco *Verbum* significat vocem aliquam, ut sonum a Deo prolatum?

*B.* Absit. Patres id passim negant.

*A.* Quid ergo? Vocem internam, quale est Dei decretum æternum de condendo mundo et redimendo homine?

*B.* Nescio de hac re quid senserint Patres; sed puto illos aliter sensisse, ne nimium accederent

ad doctrinam Stoicorum, quorum, apud Græcos, *εἰμαρτέμην*, et, apud Latinos, fatum, idem significat quod decretum æternum.

A. Quid ergo inquam intelligitur per *Verbum* apud Patres ?

B. Nescio, nisi quod in lingua sacra *Verbum* sæpe accipiatur pro ipsa re quæ decreta est, vel promissa. Legitur enim sæpe in Veteri Testamento pro *factum* est quod Deus *promisit*, *factum est verbum* Dei quod *locutus est*. Ego vero nemini Scripturam Sacram præterquam mihi interpretari soleo. Veruntamen si locus S. Johannis ita intelligendus sit, nihil circa mysterium incarnationis quærere amplius vellem. Nam si Verbum hoc loco sit illud ipsum, quod decreverat Deus venturum in mundum ad nostram redemptionem, et quod promiserat Deus in paradiso, Verbum illud non est mera vox, sed vera res, eadem cum Christo. Quomodo autem *factus homo est*, inquirere non est meum. Sufficit mihi quod Redemptor meus factus est. Quid enim ? Si credam creasse terram et cætera omnia ex nihilo, et hominem ex terra, non credam potuisse naturam assumere humanam, nisi sciam quo modo ?

A. “ *Qui propter nos homines et nostram salutem descendit de cælo ; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ; et homo factus est ; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato ; passus et sepultus est.*” Duæ hic sunt difficultates, quarum prima est, quod dictum sit unde descendit, nempe de cælo ; non autem dictum est quousque descendit. Scio in symbolo apostolorum esse *descendit ad inferos*. Sed verba illa locum non definiunt ; quia homines etiam respectu cæli-

CAP. I.  
De symbolo  
Niceno.

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

colarum proprie dicuntur inferi. Etiam in Scripturis, locus ubi hostes ecclesiæ dicuntur futuri, varie vocatur; quandoque Gehenna, aliquando tenebræ externæ, id est, extra ecclesiam Dei, propter lucem ecclesiæ in Goshen, quia una de plagis Ægyptiorum erat tenebræ; aliquando lacus ignis, cum respectu, puto, ad pœnam Sodomitarum et Gomorrhæorum, et lacum bituminis. Sed de his nondum, quod sciam, quicquam ecclesia definivit. Doctores aliqui locum damnatorum statuerunt cum Bellarmino esse circa centrum terræ, ut, scilicet, longissime distaret a cœlo beatorum; respicientes forte ad vocem S. Petri (2 Epist. ii. 4) Græcam, *ταρταρίζομενος*. Et quidem cœlum distat a centro terræ longius quam a superficie terræ, quantum est totum punctum. Sed non credo credidisse apostolos poetis ethnicis de loco Tartari; quem Hesiodus tantundem a terra distare facit, quantum terra a cœlo. Incus, inquit (Theog. 722-725) novem dies et totidem noctes perpetuo de cœlo cadens decimo die attinget terram; totidem autem noctes et dies perpetuos e terra cadens perveniet ad Tartarum die decimo. Virgilius autem (*Æn.* vi. 577-579) distantiam a terra ad Tartarum bis tantam facit, quanta est a cœlo ad terram. Cæterum vocem illam ab apostolo Petro positam esse puto figurate, quod solet fieri de multis dictionibus Scripturæ Sacræ.

*B.* Utcunque id sit, de loco damnatorum nihil ab ecclesia congregata, saltem a nostra, hactenus definitum est.

*A.* Secunda difficultas est, de eo quod dicitur “*Incarnatus est de Spiritu Sancto.*” Nam dicit angelus ad Josephum, (Matth. i. 20): *Quod in illa*

*genitum est, a Spiritu Sancto est.* Quod ita sonat, ac si Spiritus Sanctus esset Filii genitor, id est, Pater.

*B.* Quid? Nonne Spiritus Dei est Deus, et idem Deus cum Filio et Patre?

*A.* Quomodo ergo distinguuntur hypostases?

*B.* Neque in symbolo, neque in Scriptura Sacra distinguuntur aut nominantur tres hypostases.

*A.* Sed inveniuntur tres hypostases in symbolo Athanasii, quæ pars est Liturgiæ Anglicanæ.

*B.* In Græco quidem *hypostasis*, in Latino autem et Anglicano *persona* est.

*A.* De vocibus *hypostasis*, *persona*, *subsistentia*, aliisque multis vocibus, tunc interrogabo te cum symbolum totum explicaveris. “*Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in cælum, ubi sedet ad dextram Dei. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non est finis.*” Hæc omnia, fateor, in Scripturis sunt, et quidem eodem sensu quo sunt in symbolo. “*Ubi sedet ad dextram Dei,*” non intelligo ut de comparatione honoris, sed ut de honore maximo. “*Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.*” Ostende ex Scripturis Sacris, Spiritum Sanctum esse Dominum et vivificantem, id est, Deum, et quod procedat etiam a Filio.

*B.* Primo, idem Filius Dei dicitur genitus a Spiritu Dei (Matth. i. 20). Deinde dicit Job (xxxiii. 4): *Spiritus Dei fecit me*; et (xxvi. 13): *Spiritus Dei creavit cælos*. Quod autem procedat tam a Filio, quam a Patre, manifestum est ex eo, quod Christus dicit (Joh. xv. 26) *ego vobis mittam Paracletum*, et ex eo quod, cum spiraret in apostolos, dixit (Joh. xx. 22, 25) *accipite Spiritum Sanctum*. Nota illud,

CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

*ex Filio*, non esse in symbolo Niceno, quanquam sunt in symbolo Athanasii, sed addita esse, ut putat Bellarminus, in Concilio Constantinopolitano generali secundo.

*A.* “*Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas.*”  
Quare positum est illud *conglorificatur*?

*B.* Nescio, sed propter hoc verbum, *conglorificatur*, adducor ad credendum formulam glorificandi Trinitatem, ubi dicitur vel cantatur *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, in ecclesiis Dei receptam fuisse aut in tempore illo aut ante.

*A.* Fortasse. “*Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi.*”  
Cur in symbolo apostolico deest illud *unum baptismum*?

*B.* Sanctus Cyprianus, circiter septuaginta annis ante Concilium Nicenum, Concilium tenuerat provinciale in Africa Carthaginense, ubi decretum est hæreticos non debere recipi ab ecclesia, nisi iterum baptizarentur; quod decretum puto tunc condemnatum esse, cum inserta essent illa verba *confiteor unum baptismum*.

*A.* In symbolo apostolico non dicitur *resurrectio mortuorum*; sed *resurrectio carnis*. Quænam est differentia? Habebuntne mortui, quando resurgent, carnem, ossa, sanguinem, manus, pedes, et cætera humani corporis membra?

*B.* Respondeat tibi S. Paulus (1 Cor. xv. 23): *Resurgent unusquisque in proprio corpore*. Deinde (vers. 44), *Seminatur corpus animale*, id est, ut ego opinor, quale est corpus humanum quando

est mortuum; *resurget corpus spirituale*. Itaque mutatur; ut vers. 51, 52, *mysterium vobis dico*. *Non omnes quidem moriemur, omnes autem mutabimur in momento et ictu oculi, in tuba ultima. Sonabit enim tuba, et resurgent mortui incorruptibiles, et nos mutabimur.*

CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

*A.* Sed mihi videntur hic duæ difficultates; altera, quia resurgere est reviviscere, quomodo homo reviviscet in sepulchro, nisi anima ejus accedat ad corpus; nimirum, de cælo vel aliquo cæli limbo descendens, vel ab inferno vel purgatorio ascendens?

*B.* Quid? Deusne, qui fecit hominem ex terra in animal, vivens non poterit eundem, resolutum in terram, ad vitam resuscitare?

*A.* Videtur ergo homo post resurrectionem habiturus duas animas rationales, nimirum, illam quæ resurgit, alteram quæ in morte a corpore separata, migravit in cælum, vel limbum, vel purgatorium, vel infernum. Dicunt enim omnes animam humanam nunquam interire postquam semel creata est, ne minimo quidem momento, ut rem in se subsistentem, desinere esse.

*B.* Ego vero nihil super hac re tibi dicam, nisi quod reperio dictum diserte, et sine omni ambiguitate in Scripturis, nulloque alio textu aperte contradicente. Tu quidem una cum cæteris fere omnibus, quod anima humana interire non potest, habes a philosophis, quos ego post Scripturas Sacras magistros mihi non desidero. Veruntamen, si locum aliquem mihi attuleris ex Scripturis Sacris, ubi, alia attribuitur animæ humanæ immortalitas præter illam quæ hominibus sub nomine æternæ vitæ data est, ego etiam sentiam cum philosophis. Verum si attuleris loca illa, quibus comminatur Deus

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

reprobis æternos cruciatus, non inde poteris colligere animas eorum inter diem mortis et diem iudicii, sed tantum post diem iudicii extitisse. Præterea a justitia Dei, qui cruciatus æternos peccatoribus comminatus est, arguere æternitatem ipsorum cruciatuum non potes. Etsi enim qui bona quæ debentur non præstat, injustus sit, is tamen, qui mala vel damna debita non præstat, injustus non est, sed misericors. Quanto minus Deus, qui est infinite misericors, non poterit sine justitiæ suæ violatione mitigare tum diuturnitatem tum acerbitatem meritarum pœnarum? Deinde Scriptura dicit, (Apocal. xx. 14): *Ipsum infernum conjectum iri in lacum ignis, quæ est secunda mors.* Resurgent ergo reprobi, ut videtur, ad secundam mortem. Denique si anima non sit idem quod vita, sed substantia in se existens distincta a corpore, eademque hominis essentia sive natura, sequi videtur, addita natura divina, tres esse in Christo naturas, quod est contra fidem.

*A.* Etsi ex Scriptura demonstrari non possit animam humanam substantiam esse separatam a corpore, non videtur tamen ex Scriptura demonstrari posse contrarium.

*B.* Videamus ergo quid Scriptura dicit, tum in Veteri tum in Novo Testamento, de natura animæ humanæ, harmonice. Ut enim articuli præcedentes præcipui sint apud theologos, articulus tamen hic de resurrectione ad vitam æternam præcipuus est apud Christianos universos; quia in illo omnis eorum post præsentis vitæ afflictiones collocatur spes, et præsumptum gaudium. Dixit Deus (Gen. ii. 17) ad Adamum in Paradiso, ubi erant duæ præ cæteris arbores excellentes, nempe arbor vitæ, et arbor cognitionis boni et mali, *quo die comederis*

*de fructu arboris cognitionis boni et mali, moriendo morieris.* Diabolus autem ad Evam dixit, (Gen. iii. 5): “Prohibetur vobis ne comedatis de fructu arboris cognitionis boni et mali, ne fiatis sicut dii.” Ambo autem Adamus et Eva ambitione ducti, serpenti crediderunt, Deo non crediderunt, et de fructu vetito comederunt: itaque Deus utrumque a Paradiso expulit, ne manum ad arborem vitæ extenderent, et viverent in æternum.

CAP. I.  
De symbolo  
Niceno.

*A.* Intellego hinc Adamum ex esu fructus arboris vitæ vivere potuisse in æternum, ac fuisse creatum, non sua natura, sed tantummodo virtute arboris vitæ, immortalem: præterea, pœnam violati præcepti divini Adamo inflictam fuisse mortalitatem, quæ necessario consequeretur ab eo quod illud perdiderit, sine quo vivere in æternum non potuit. Hæc manifesta inesse in sacro textu video. Sed non video, quare Adamus, secundum verba comminationis divinæ, non statim ac comedisset mortuus sit, sed vixit plusquam nongentos annos.

*B.* Deus non dixit simpliciter *morieris*, sed *moriendo morieris*, id est, cum morieris morieris, id est, non revivisces, sed mortuus perpetuo eris. Sic explicat locum Athanasius, et recte; nam idioma est Hebræorum. Ex quo intelligitur comminationem illam pertinere etiam ad Adami posteritatem, id est, ad genus humanum. Atque hinc est quod dicit apostolus Paulus (Rom. v. 12), *per peccatum unius hominis mors intravit in mundum*; unde sequitur non modo cæteros homines, verum etiam Adamum ipsum necessitatem habuisse utendi beneficio mortis Jesu Christi ad vitam æternam, quam perdiderat sua culpa.

*A.* Quid ita?



CAP. I.  
 De symbolo  
 Niceno.

*B.* Quia dicit S. Paulus, (1 Cor. xv. 22-24), quæ est harmonia Veteris et Novi Testamenti; *Sicut in Adamo omnes mortui sunt, ita in Christo omnes vivificamur: unusquisque in proprio corpore: primitiæ Christus: deinde illi qui sunt Christi, in adventu Christi. Deinde finis, etc.*

*A.* Adventus Christi erit idem cum die judicii. Nemo ergo reviviscet ante diem judicii, sed in illo ipso die. Adamum ergo certe salvandum esse puto, nec tamen vitam recipiet ante diem ultimum. Interea quomodo dicitur vivere? Si per animam in cælo vivet Adamus antequam est animatus, anima ejus, si modo sit substantia vivens, vivet in non animato corpore, quod valde durum est dicere. Animæ autem hominum eorum, qui in die judicii in terra viventes, elevabuntur ad nubes et inde ad cælum, eadem animæ, corpora habebunt spiritualia, eademque animata animis, si quidem animæ sint substantiæ in se existentes, spiritualibus. Quænam ergo erit differentia illa inter duo illa entia spiritualia, corpus et animam.

*B.* Mihi quidem differentia illa inexplicabilis est, nisi concedatur vitam æternam hominibus non incipere nisi a resurrectione, et vitam et animam eandem esse rem, cum in Scripturis Sacris nusquam aperte distinguantur. Verba autem illa Christi in cruce ad latronem, (Luc. xxiii. 43): *Hodie mecum eris in paradiso*; et illa ad discipulos; *Ego sum arbor vitæ*; quorsum spectant, nisi ut sciant fideles amotum esse a porta paradisi gladium illum flammantem, et per sacrificium Christi patefactam viam esse ad arborem vitæ, id est, ad vitam æternam? Quid ergo opus est pio homini immortalitatem suam creationi, id est, naturæ, potius quam redemptioni, attribuere?

*A.* Sed commoveor consensu omnium, qui fuere et sunt, credentium, animam rationalem immortalem esse sua natura, simul atque est creata, quamvis ignari doctrinæ sacræ.

CAP. I.  
De symbolo  
Niceno.

*B.* Equidem illos, qui sic sentiunt, non vitupero. Nam qui præclare sentit de anima propria, cavet plerumque ne illam per vitæ turpitudinem dedecoret. Cæterum non concedo, illum minus cavere idem, qui constanter credit animam suam redemptam esse per sanguinem Christi, et factam æternam. Neque id concedendum tibi est, sententiam illam fuisse et esse omnium in universum hominum. Illi enim qui dixerunt in cordibus suis, "edamus, bibamus, cras moriemur," non ita sentiebant, qui tamen pauci non sunt. Præterea sententiæ eorum omnium, qui sine propria ratiocinatione sequuntur dictamina magistrorum, non sunt proprie suæ. Non ergo ita sentire dici debent agricolæ, artifices, alique homines qui circa vitam communem occupati, numquam fere de natura animæ suæ, sed de divitiis et honoribus comparandis, vel de necessitatibus suorum corporum cogitare solent. Itaque consensus ille omnium hominum reductus est ad consensum solorum philosophorum. Deinde, fuere inter philosophos Sadducæi, qui nullos omnino credebant esse spiritus creatos, et proinde animæ existentiam, aliter quam ut appellatur vita, non agnoscebant. Etiam sectatores Aristotelis et Platonis, non perspectis rationibus, sed sola autoritate magistrorum id crediderunt; non sunt ergo numerandi tanquam authores opinionis quam profitentur. Adeo ut quos dicis omnes homines, reducuntur ad Platonem, Aristotelem aliosque paucos philosophiæ principes. Denique,

CAP. I.  
 De symbolo  
 Niceno.

consideremus verba Ecclesiastis, quæ sunt in capite tertio, versus finem. In Bibliis Polyglossis versio interlinearis est, *Dixi ego in corde meo super verbum filiorum Adam (ad purgandos eos Deus, et ad videndum quod ipsi animal ipsi sibi) quia eventus filiorum Adam, et eventus animalis, et eventus unus eis. Sicut mori istud, sic mori illum. Et spiritus unus omnibus. Et præstantia hominis præ animali nulla, quia omnia vanitas. Omne vadens ad locum unum. Omne fuit ex pulvere et omne revertens ad pulverem. Quis sciens spiritus filiorum hominum ascendens ipse sursum, et spiritus jumenti descendens ipse subtus terram?* Ubi pro, *ad purgandos eos*, versio septuaginta virorum habet διακρινεῖ, et pro *super verbum*, περιλαλιας. Sensus ergo verborum est, “dixi ego de eo quod homines dicant, Deum facturum differentiam essentialem inter vitam hominis et bruti vitam, cum eventus hominis et bruti idem sit, neque homo per essentialiam suam bruto præstet, quomodo probabitur animam hominis ascensuram, aut animam bruti descensuram esse.” Sed idem Ecclesiastes iudicium diei ultimi in eodem libro sæpe asserit. Magnum hoc argumentum est contra consensum illum, quem dicis omnium hominum. Præterea, ne obstinatus tibi videar, demonstrationem ex Aristotele, aut Platone profer, vel ex alio quocunque philosopho, qua naturalem animæ immortalitatem tam aperte concludit ex principiis naturalibus, quam aperte ego ex Scripturis Sacris demonstravi futuram electis æternitatem vitæ per Christum acquisitam, acquiescam. Anima, inquit, cogitat, meminit, ratiocinatur. Quid, si hoc negans, dixero esse ipsum animal quod cogitat,

et meminit? Quomodo refutabunt? Ratiocinari quid est, nisi rebus imponere nomina, nomina connectere in dicta, dicta conjungere in syllogismos? Ab his fit dialectica. Quomodo erat in Paradiso Adam, ante nomina ab ipso imposita, rationalis magis quam cætera animalia, nisi potentia tantum? Non videntur ergo mihi homines distingui substantialiter a brutis, eo quod illi disputant, bruta non disputant. Expectent alii immortalitatem qualem velint; ego illam expecto, quam, victa morte, nobis suo sanguine acquisivit Christus.

*A.* Quid sentis de voce Deipara, quam Sanctæ Virgini attribuant plurimi?

*B.* Id mulier, ut mihi videtur, recte dici potest *parere*, quod in partu producit. Sed produxit illa Christum Deum et hominem, quia assumptio naturæ humanæ peracta fuit in utero. Peperit ergo Deum et hominem. Genuit autem hominem tantum, sine semine viri, cujus seminis vim supplevit Deus.

*A.* Sed nova hic oritur difficultas, nempe, quomodo filius Mariæ, id est, caro Christi, non sit de substantia divina.

*B.* Ne hominis quidem ex homine geniti caro est de substantia genitoris sui, nisi credas id, quod nascitur, fieri ex semine ut ex materia. Fœminæ sanguis sola est materia fœtus, per alimentum quotidianum crescens usque ad parturitionis maturitatem. Semen in utero causa efficiens est fœcunditatis, non materia fœtus. Si credas ergo fœminam gravidam fieri posse virtute seminis humani, cur dubitas an idem fieri possit virtute Dei omnipotentis?

*A.* Nonne tua hac ratione, cum Dei substantia

CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

in omni carne æqualiter existat, probabitur etiam omnes alios homines habere utramque naturam humanam et divinam, sicut Christus?

*B. Minime.* Etsi enim Deus sit ubique omnipotens, faciens ubique omnia quæ vult in omni creatura, non tamen ubique facit quicquid potest. In generatione hominis ab homine, voluit ab æterno produci tantum hominem, qui omnia facere quæ vult non potest; at in generatione hominis supernaturali modo, per Spiritum Sanctum, voluit ab æterno producere hominem qui facere posset omnia quæ vellet, id est, hominem et Deum. Neque locus hic ullus est quærendi *quomodo*; quia non modo Christiani, sed etiam gentes omnes quæ credunt esse Deum, eundem credunt esse omnipotentem; nec requirunt quomodo gignat, quem genuisse dicunt.

*A.* Hactenus doctrinam symboli Niceni ita explicasti, ut fidem Christianam nullo modo labefactasse, sed potius confirmasse, mihi videare, sed tuo modo.

Ostende nunc quid sit quod Græci appellant hypostasin.

*B.* Quando aliquid intueris quod vocas *album*, nomen illud imponis substantiæ sive subjecto corpori, puta marmor, etsi oculorum tuorum acies non potest penetrare in substantiam marmoris, aut cuiuscunque alius entis. *Album* igitur corporis per se subsistentis, non coloris nomen est, et impositum propter quandam certam apparentiam, sive, ut loquantur Græci, *ἐμφασιν* vel *φαντάσμα*, quod videtur quidem esse aliquid, revera autem nihil est; quam apparitionem sine aliqua causa et fundamento esse non posse satis intelligimus, nimirum album, esse

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

non posse, nisi revera subsistat ipsi apparitioni substantia aliqua, quæ ejus causa sit, et, ut dicunt logici, subjectum. Subjectum hoc Græci appellant τὸ ὄν, ὑφιστάμενον vel ὑποσάν, et ὑπόσασιν; Latini *ens*, *subjectum*, *suppositum*, *substantiam*, *basim*, et *fundamentum*. Quod autem de cognitione per visum dixi, de cæteris etiam sensibus intelligendum est. Opponitur ergo hypostasis phantasmati, ut causa effectui, nempe relative. Similiter, si sint tria relativa, ut pater, filius, et nepos, ubi filius per diversam relationem, etsi unum ens reale, habet duo nomina, alterum Patris, quia genuit; alterum Filii, quia genitus est. Filius ergo ut medius, quanquam unum tantum sit *ens*, habet duo nomina quæ ipsi dicuntur *imposita*, ipsum autem *ens* est duorum nominum *suppositum*, sive ὑφιστάμενον, hypostasis, fundamentum relationis. Itaque hypostasis non modo ad phantasmata referri potest, sed etiam ad nomina.

*A.* Quænam est differentia inter ὑφιστάμενον et ὑποσάν et ὑπόσασιν?

*B.* Inter duo priora differentia alia nulla est, nisi quod hoc *subsistens*, illud *nunc subsistens* significet. Pro iisdem autem utuntur Græci plerumque voce *hypostasis*, et Latini voce *substantia* vel *essentia*, inter quas Patres Latini non distinguunt, ut constat ex Petro Lombardo.

*A.* Quomodo accipitur vox *hypostasis* in Testamento Novo?

*B.* Eodem modo, quo accipitur a scriptoribus cæteris. Ut (Heb. i. 3) ubi Christus dicitur *character hypostaseos Dei*. Nam hypostasis ibi opponitur characteri, id est, substantia imagini ejusdem substantiæ. Dicitur etiam eodem loco *splendor*

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

*gloriæ divinæ*, sive, quod idem est, lumen de lucido; nam lucidum est substantia sive subjectum luminis. Deinde (Heb. xi. 1) fides vocatur *hypostasis earum rerum quas speramus*, id est, (nam dictio metaphoricæ est), fides est fundamentum spei. Tertio (2 Cor. ix. 4), ubi Paulus apostolus, qui benevolentiam Corinthiorum promissam apud Macedonas jactaverat, promissionem illam appellat *jactationis suæ hypostasim*, id est, fundamentum.

A. Quid significat *essentia*?

B. Patres, ut dixi, non distinguunt *essentiam a substantia*.

A. Quid ergo est *substantia*?

B. Idem quod *ens*, id est, quicquid est vere *existens*, distinctum a *phantasmate* et *nomine*.

A. Quid ergo opus erat Græcis et Latinis detorquere nomina satis cognita et intellecta in nomina incerta, quorum æquivalentia in lingua Hebræa non inveniuntur, neque in ulla lingua sunt necessaria?

B. Quando nomina detorquentur, ut cum fit a voce ὄν, οὐσία; ab ὑφιστάμενον, ὑπόστασις; ab *ente*, *essentia*; a *substans*, *substantia*; ab *album*, *albedo*; detorsio illa a philosophis dicitur *abstractio*. Propterea nomen ὄν *concretum*, οὐσία *abstractum*; ens *concretum*, *essentia abstractum*; album *concretum*, *albedo abstractum* appellatur. Aliquando autem pro voce abstracta utuntur verbo infinitivo; ut cum pro οὐσία Græci dicunt τό εἶναι; Latini pro *essentia*, *esse*; Græci pro λευκότης, τό εἶναι λευκόν, vel etiam τό λευκόν, articulum τό referentes non ad λευκόν, sed ad subauditum ὄνομα. Item Latini a concreto *vivens*, abstractum faciunt non modo *vita*, sed etiam *vivere*. Quæ voces abstractæ dici possunt; nec absurde. Cum enim rei vere existenti

nomina, propter apparitiones diversas, diversa imposuerint, vocantes eandem rem *magnam, coloratam, duram, gravem*; considerant in illa re aliquando quod *tanta* est, quæ est consideratio geometrarum; aliquando quod *colorata*, vel *dura*, vel *gravis* est, quæ consideratio est physicorum. Et propterea, ad distinctionem phantasmatis, cujus causam in concreto esse intelligunt, ab omnibus aliis phantasmatibus ejusdem rei, detorsione aliqua nominum ita rem signant, ut non jam *magnam, coloratam, duram, gravem* dicant, sed *magnitudinem, colorem, durtiem, gravitatem* dicant. Quæ vocum abstractio, cum nihil aliud sit quam phantasmatis vel nominis, ab aliis omnibus ejusdem concreti considerationibus et nominibus separata, consideratio, ad doctrinam causarum fere necessaria est. Hæc si recte intelligas, intelligis etiam impossibile esse, ut essentia ullius entis separata existat ab ipso ente, nempe, ut ibi sit album ubi non est albedo, aut albedo ubi non est album, aut homo ubi non est humanitas; falsumque esse quod asserit Aristoteles, *essentias aliquas existere ab illis rebus separatas, quarum illæ sunt essentiæ*; et proinde animam vel non esse, ut ille dicit, essentiam animalis, aut mortuo animali non existere; et per consequens errasse Aristotelem, eo quod non distinxerit inter separatas res, et separatas ejusdem rei considerationes.

A. Intelligo voces abstractas ad causas rerum apparentium, nec nisi in imaginatione nostra existentium, indagandas necessarias fere esse; sed nomen *essentia* simpliciter, non impositum erat propter phantasma nostrum, sicut *magnitudo, color*, etc. quæ causam habent in quinque organis sen-

M M 2

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.



## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

suum. Nam, ut dixisti supra, non ipsa substantia sive ipsum ens, sed tantummodo effectus ejus apparent et appellantur phantasmata: essentia autem *entis* simpliciter, phantasma non est. Quid ergo est *essentia* vel *esse*, quoties usurpatur ut nomen? Cujus rei nomen est?

*B.* Essentia entis *in concreto*, puta entis *albi*, est nomen ipsius albi, sed considerati quatenus albi. Eadem ratione *essentia* entis simpliciter est nomen entis, sed considerati simpliciter quatenus ens; et in universum, *abstracta* sunt nomina *concretorum*, quando considerantur seorsim a cæteris nominibus ejusdem *concreti*. Album, verbi gratia, est ens album. Si jam in ente albo consideremus album seorsim ab ente, dicimus pro albo, doctrinæ causa, albedinem, vel esse album.

*A.* Quando ergo pro ente simpliciter dicimus essentiam, erunt essentia et ens synonyma, et per consequens vox *essentia* superflua est.

*B.* Imo vero, inconsistens cum veritate fidei; teste Johanne Damasceno, capite undecimo de *Expositione Fidei*. Qui cum dixisset, *Verbum factum esse hominem*, adjecit, *quod tamen Deitas aut incarnata aut humanata esset, nullo pacto audivimus*. Manifestum ergo est, in ente simpliciter differre inter se ens et essentiam, et multo magis in concretis.

*A.* Quæ causa erat doctoribus affirmandi, quod nisi ens et essentia in Deo idem essent, substantia divina esset composita?

*B.* Quia definitio, quæ est explicatio essentiæ definitæ, vocatur vulgo a philosophis ipsa essentia. Ut, si definitio hominis sit animal rationale, essentiam vocant animal rationale, et compositam esse dicunt

ab *animali* et *rationali*, ut a suis partibus; non distinguentes inter definitionem hominis, quæ est *oratio* habens pro partibus nomina *animal* et *rationale*, et hominem ipsum, cujus partes sunt caput, bustum, crura, et reliqua membra. Sed quoniam durum est animal rationale in *concreto* appellare essentiam, nonnulli formulam illam loquendi mollire cupientes, non animal rationale, sed animam rationalem, essentiam hominis esse dicunt; eandemque substantiam esse seorsim ab humano corpore existentem. Atque ita essentiam faciunt partem ipsius hominis integram simulque essentialem.

*A.* O mirabiles inanis philosophiæ præstigiæ! Dic quid jam vere et proprie significat *persona*?

*B.* Vox Latina est, significans rem quamcunque singularem agentem utcunque sua vel alterius voluntate. Sic Cicero (*De Oratore*, ii. 102): *Unus sustineo tres personas, mei, judicis, et adversarii.* Quid hoc est, nisi quod ipse Cicero partes ageret et suas, et judicis, et adversarii? Quid etiam est, id quod invenitur in catechismo Anglicano, ubi minister rogat: *Quid ex fidei tuæ articulis præcipue discis?* Catechumenus respondit: *Disco primo, credere in Deum Patrem, qui creavit me et universum mundum; secundo, in Filium ejus Jesum Christum, qui redemit me et universum genus humanum; tertio, in Spiritum Sanctum, qui sanctificavit me omnemque electum populum Dei,* nisi quod Deus in persona propria creavit omnia; in persona Filii sui redemit genus humanum; in persona Spiritus Sancti ecclesiam sanctificavit. Quid hoc de personis divinis clarius, aut fidei congruentius dici potest? Quod si pro persona utamur voce hypostasi cum Patribus Græcis, cum hypostasis et substantia idem signifi-

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

CAP. I.  
 De symbolo  
 Niceno.

cent, facimus pro tribus personis tres substantias divinas, id est, tres Deos. Bellarminus et doctores cæteri fere omnes personam definiunt esse substantiam primam intelligentem, id est, substantiam individuum, id est, singularem, sed intelligentem, ut Deum, Christum, Spiritum Sanctum, Gabrielem, Petrum. Quid autem sunt tres illæ substantiæ primæ, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, nisi tres substantiæ divinæ? Quod tamen est contra fidem. Non intellexit Bellarminus vim Latinæ vocis *personæ*. Quæ vox si significet primam substantiam, nonne *πρόσωπον* significaret idem Græce? Quod non est verum; nam significat proprie faciem hominis, tum naturalem, tum artificialem sive larvam, tum etiam faciem representativam, idque non modo in theatro, sed etiam in foro et ecclesia. Facies autem representativa, quid aliud est quam imago vel character repræsentati? Atque eo sensu a Sancto Paulo Servator noster (Heb. i. 3) appellatur character substantiæ Dei.

*A.* Quid autem in Scriptura Sacra significat *πρόσωπον*?

*B.* Nihil proprie, præter faciem seu vultum. Synecdochice autem aliquando ponitur pro ipso homine, ut in voce *προσωποληψία*. Sed in symbolo fidei, mentio nulla est neque personæ, neque hypostaseos, neque trinitatis; etsi hypostasis ponatur in symbolo Athanasii Græco, quod symbolum Athanasii, sed sine voce hypostasi, recipit ecclesia non aliter quam pro fidei Nicenæ paraphrasi. Nam neque symbolum, neque fidei articulus unus quicumque, autoritate doctorum singularium, neque, nisi per modum interpretandi Scripturas Sacras, ab ecclesia universa, constitui potuit.

*A.* Cur ergo Patres veteres, et multi alii doctores recentiores, vocibus illis usi sunt ?

*B.* Quia verba Scripturæ Sacræ, nempe Matth. xxviii. 19 : *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti*, item verba S. Johannis (1 Epist. v. 7) : *Tres sunt qui testimonium perhibent in cælis, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus*, et loca similia de divinitate Christi, aliter explicare non potuerunt.

*A.* At cur omnino necesse erat ea explicare, quæ sciebant ipsi incomprehensibilia, id est, inexplicabilia esse ?

*B.* Profitentur quidem Patres ecclesiæ, tum antequam post Concilium Nicenum, incarnationem Filii Dei incomprehensibilem esse ; sed excusant se eo quod de illa disputare ab hæreticis compellerentur. Sic Epiphanius *De Trinitate*, initio libri septimi : “ Sufficiebat quidem credentibus Dei sermo, dicentis, *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, etc.* Sed compellimur hæreticorum et blasphemantium vitiis illicitum agere, et ineffabilia eloqui, et in vitium incidere vitio contrarium alieno.” Etiam Bellarminus libro primo, *De Christo* : “ Nostri doctores non disputant philosophice ut ostendant Trinitatem, sed ut solvant sophismata philosophorum.” Et Petrus Lombardus, Lib. I. *Distinct.* 23. D. ex Augustino Lib. VII. *De Trinitate* : “ Aliter enim Græci accipiunt substantiam, quam Latini. A Latinis autem dictum est, *una essentia vel substantia, tres personæ* : quia non aliter in sermone nostro, id est Latino, essentia quam substantia solet intelligi. Et ut intelligatur saltem in ænigmate, placuit ita dici, ut cum quæreretur quid *tria* sint, aliquid dicere-

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

tur.—Cum ergo quæritur quid *tria*, vel quid *tres*, conferimus nos ad inveniendum aliquod nomen quo complectamur hæc tria. Neque occurrit animo; quia supereminentia divinitatis usitati eloquii facultatem excedit.”

*A.* Non recte se excusat Epiphanius. Alieno enim vitio compelli ad faciendum id quod est illicitum, sine vi aut minis nemo potest. Et quod Bellarminus doctores suos philosophice disputare negat, ut ostendant Trinitatem, sed ut solvant sophismata philosophorum, non est verum. Utuntur enim theologi illi, qui expositiones symboli Niceni ediderunt, omnes fere definitionibus desumptis ex logica et metaphysica Aristotelis; cum sanctam Trinitatem ex sola Scriptura Sacra ostendere debuerint. Miror etiam Nicenos Patres, cum tot essent inter illos philosophi, verba illa artis, quibus in explicationibus usi sunt, in ipsum symbolum non intulisse.

*B.* Mihi vero illud mirum non est, consideranti, quod in synodis magnis, qui audacter perorare et disputare possunt, pauci sint. Reliqui ergo, qui sola illa argumenta approbarunt quæ ex Sacra Scriptura allata erant, cum numero disputatores superarent, facile suffragiis suis evicerunt, ut nihil in symbolum admitteretur præter ea quæ ex Scripturis aperte inferebantur.

*A.* Quid est *corpus*, quid *incorporeum*, quid *spiritus*?

*B.* Nomina illa ita eruditis omnibus cognita et intellecta visa sunt, ut nesciam an ullus aut theologus aut philosophus definitionibus ea explicare dignatus sit. Tu ergo cujus rei ideam in animo habes, quando profers vel prolatum audis vocabulum illud *corpus*?

*A.* Ego per *corpus* intelligo nunc id de quo vere dici potest, quod existit realiter in seipso, habetque etiam aliquam magnitudinem; habet, inquam, magnitudinem, non quod sit magnitudo ipsa. Memini tamen quod *corpus* putarem aliquando id solum esse, quod tactui meo vel visui obstaret. Itaque speciem quoque corporis in speculo, aut somno, aut tenebris apparentem, quanquam miratus, corpus tamen esse arbitrabar. Sed consideranti postea species illas evanescere, ut quarum existentia dependeret non a seipsis, sed a natura animata, non amplius mihi visæ sunt reales, sed phantasmata et effectus rerum in organa sensuum agentium; et proinde esse *incorporeas*. De spiritibus autem judicabam ex aere, qui spiritus est, et vento, quem tactu sentiebam; et propterea spiritum existimavi corpus quidem, sed tenue, esse, et spiritus alios aliis esse posse tenuiores, puriores, et alios ab aliis differre posse etiam virtute, non minus quam liquores, qui quanquam sint transparentes æque, virtutibus tamen inter se immane discrepant. Naturam autem mediam inter corpus et spiritum, aut spiritum et phantasma, id est, inter spiritum et nihil, concipere non potui. Quærendum ergo est, an in Scriptura Sacra reperiatur vox *substantia incorporea*, vel *substantia immaterialis*, vel *essentiæ separata*.

*B.* Voces illæ in Scriptura Sacra non sunt. Cæterum in primo ex triginta novem articulis religionis, editis ab ecclesia Anglicana A.D. MDLXII expresse dicitur, *Deum esse sine corpore et sine partibus*. Itaque negandum non est. Pœna etiam in negantes constituitur excommunicatio.

*A.* Non negabitur. In articulo tamen vicesimo dicitur, quod nihil ab ecclesia credendum injungi

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

debet, quod non e Scripturis Sacris deduci possit. Sed utinam deductum fuisset. Nondum enim scio quo sensu aliquid maximum vel magnum dici possit, quod non sit corpus. Sed dic mihi, quænam est differentia inter *gigni* et *procedere* ?

*B.* Vide Matthæum (i. 20), ubi angelus Josephum alloquitur, dicens : *Ne metuas accipere Mariam uxorem tuam : quod enim in illa GENITUM est, ex Spiritu Sancto est.*

*A.* At illud, *ex Spiritu Sancto est*, nescio an significat *ex Spiritu Sancto genitum est*, an *ex Spiritu Sancto procedit*.

*B.* Locus hic Matthei pars est Evangelii ad festum circumcisionis, ubi legitur in liturgia, sub Eduardo Sexto latine edita, *Quod in illa genitum est, a Spiritu Sancto profectum est* ; et ab ecclesia nostra ita vertitur ac si scriptum esset, *a Spiritu Sancto venit*. Vides ergo quomodo locum illum interpretata est ecclesia Anglicana, et opinor, recte.

*A.* Quid igitur ? Cum Spiritus Sanctus a Filio procedat, ut est in symbolo, et Filius, ut in hoc textu, procedat a Spiritu Sancto, et uterque *genitus* dicatur, *gigni* et *procedere* omnino differre non videntur. Quorsum verba illa distinxit ecclesia Romana ?

*B.* Nescio. Scis autem Sphingem ænigmate quondam fuisse populo formidabilem.

*A.* Quam distinctionem harum vocum faciunt Patres ?

*B.* Nullam quam ego vidi. Cyrillus dicit, *ita se habere Filium ad Spiritum Sanctum, ut Pater ad Filium*.

*A.* Videtur ergo Cyrillo Filium genuisse Spiritum Sanctum, et sic rursus idem esse *gigni* et *procedere*. Mihi vero satis perspicuum est Filium Dei genitum esse a Deo, qui totam comprehendit Trinitatem.

Verum non mihi videtur in tantillis verborum argutiis versari salus hominum. Qui credit in Jesum Christum, quemque suorum peccatorum pœnitet, quin is, etsi theologus non sit, salvandus tamen sit, nullus dubitat. Neque vero a doctrina discedo symboli Niceni, quam video e Sacra Scriptura manifestissime derivatam esse; et tres, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unum esse Deum, idque in tribus personis, sumpta scilicet *persona* in sua significatione vera et propria, pro eo qui partes suas vel alterius agit. Cæterum si vox *persona* sumatur simpliciter pro substantia intelligente singulari, quemadmodum sumitur a Bellarmino, ut Petrus, Paulus, Johannes, vel, quod idem est, pro *hypostasi*; quomodo Pater, Filius, et Spiritus Sanctus non sint tres substantiæ individuæ, id est, tres numero Dei, non intelligo; neque quomodo e Scripturis probari possit, video, ubi neque *hypostases*, neque *personæ* in Deo distinguuntur. Solummodo dicuntur esse tres qui testimonium perhibent in cœlo, nempe Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, et tres illi esse unum. Illa, quæ Patres dicunt extra Scripturam Sacram in suis fidei explicationibus particularibus, Christianos non obligant, quorum unusquisque non alieno periculo, sed suo et summo, salutem suam in Scripturis Sacris scrutari debet. Transeo nunc ad alia.

## CAP. I.

De symbolo  
Niceno.

## CAPUT II.

## DE HÆRESI.

A. QUID est *hæresis* ?

B. Vox Græca est, significans cujuscunque sectæ dogma.

A. Quid est *secta* ?



## CAP. II.

De hæresi.

*B.* Secta est numerus hominum sequentium unum eundemque in scientiis magistrum, quem pro suo arbitrio sibi eligerunt. Ut autem secta a sequendo, ita hæresis ab eligendo dicitur. Lucianus librum suum de magistro eligendo, homo quidem blasphemus, sed bonus author linguæ Græcæ, scripsit *περι ἀπέσεως*.

*A.* Sectæ quænam erant, et quorum hominum ?

*B.* Philosophorum ; nimirum Platonis, Aristotelis, Zenonis, Epicuri, et aliorum. Nominabantur autem Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei ; quæ sectæ erant principales philosophorum Græcorum, vel eorum qui se philosophos videri postulabant. Etsi enim hæresiarchas ipsos, Platonem, Aristotelem, Zenonem, Epicurum, pro captu ethnicorum vere philosophos fuisse puto, id est, veritatis et virtutis studiosos, et propter eam rem nomina eorum fere per totum orbem sapientiæ gloria merito floruisse ; sectatores tamen eorum philosophos dicendos esse non puto ; qui præterquam quod scirent quænam fuerint magistrorum suorum sententiæ, nihil intelligebant. Principia enim et ratiocinationes, quibus eorum dogmata innitebantur, nesciebant ; neque quicquam ad philosophiæ speciem in vita habuerunt, præterquam quod tristes incederent, barbam promitterent, et pallium tritum amicirentur ; homines alioqui avari, fastuosi, iracundi, et amore civili alieni.

*A.* Nihilne ad definitionem hæreseos pertinent voces, quas omisisti, *veritas et error* ; quorum alter omni dogmati adhæret necessario ?

*B.* Nihil omnino ; hæresis enim solam denotat sententiam declaratam, sive vera ea sit, sive falsa ; sive juxta, sive contra legem.

*A.* Videtur ergo, si homines mutuo se hæreticos appellent, convicium non esse.

*B.* Sectæ illæ philosophorum Græcorum non appellabant alter alterum hæreticum; sed scelestum, sacrilegum, furem, parricidam, *μίανον, κατάρατον*, aliisque nominibus quibus utuntur infimi ordinis homines, quando fere ad pugnam excandescunt. Postquam autem in ecclesia hæreses ortæ essent, maximum omnium convicium erat *hæreticus*.

*A.* Nullæne erant hæreses præterquam philosophorum Græcorum?

*B.* Etiam in Judæa, Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum sectæ dicebantur hæreses, ut ex Novo Testamento manifestum est. Græcismus item, Judæismus, Christianismus, habebantur eo tempore pro totidem *hæresibus*. Hæresis item (Gal. v. 20) inter crimina ponitur: et (Gal. i. 8), doctrinam significat doctrinæ ipsius S. Pauli contrariam, id est, contrariam Evangelio Christi: *Si nos aut angelus de cælo Evangelium aliud prædicaverit præter illud quod vobis prædicavimus, ἀνάθεμα ἔστω.*

*A.* Quid est ἀνάθεμα?

*B.* Ἀνάθεμα (per η) significat quamlibet rem dedicatam, consecratam, vel ab usu communi separatam. Sed ἀνάθεμα (per ε) significat aliquando personam Diis manibus devotam.

*A.* Quomodo Diis manibus devoveri potest angelus?

*B.* Comburi quidem non potest, neque occidi; sed haberi pro non angelo, sed pro spectro tantum potuit, et ut deceptor execrabilis declarari, id est, in verbis Scripturæ Sacræ, tradi Satanæ.

*A.* Quænam erat in ecclesia primitiva, cum rectæ fidei regulam haberet Evangelium scriptum, hæresium causa?

## CAP. II.

De hæresi.

*B.* Philosophorum, quos dixi supra, hominum imperitorum apostolorum tempore vigentium, arrogantia; qui cæteris hominibus argutius disputare et potentius perorare didicerant. Hi ad disciplinam Christi accedentes in presbyteros et episcopos, ad defendendam et propagandam fidem, pene necessario eligebantur; et magistrorum suorum ethnicorum, quantum poterant, etiam facti Christiani dogmata retinuerunt; et propterea Scripturas Sacras ad philosophiam suam et fidem Christianam, tanquam eandem rem, simul conservandam interpretari conabantur.

*A.* Quid erat hæresis in philosophia, satis explicasti. Quid vero in ecclesia dicebatur hæresis, nondum intelligo.

*B.* In ecclesia primitiva usque ad tempus Concilii Niceni, dogmata quibus inter se discrepabant Christiani eo tempore, erant pleraque circa doctrinam Trinitatis; cujus mysterium, quanquam ab omnibus teneretur incomprehensibile, freti tamen suorum magistrorum philosophia, explicare alius alio modo ausus est. Unde primo ortæ sunt disputationes, deinde jurgia, et deinde, ad scandalum evitandum et pacem in ecclesia constituendam, synodi adhibitæ sunt, convocatæ nulla jussione imperantium, sed coitione episcoporum et pastorum voluntaria, quando cessante persecutione potuerunt. In quibus Conciliis quid de fide in re controversa tenendum esset definierunt. Quod autem definitum erat, fides catholica; quod damnatum, hæresis dicebatur. Erat enim Concilium, respectu episcopi vel pastoris singularis, ecclesia catholica, sive tota, sive universalis; sicut et eorum opinio, catholica; singulare autem cujuscunque pastoris dogma, hæ-

resis. Atque hinc, quatenus in historiis explorare potui, origo nominis ecclesiæ catholicæ; et in omni ecclesia *catholicus* et *hæreticus* voces sunt relativæ.

CAP. II.

De hæresi.

*A.* Si nihil aliud significet ecclesia catholica, multæ sane sunt in orbe Christiano ecclesiæ catholicæ.

*B.* Tot sunt ecclesiæ catholicæ, quot sunt ecclesiarum capita. Sunt autem tot capita, quot sunt regna et respublicæ Christianæ. In omni enim regione Christianorum, in ea regione princeps subditorum suorum caput est, nec ab alio in terris capite dependet. Itaque quot sunt ecclesiæ visibiles, tot sunt ecclesiarum capita. Quoniam autem electorum a Deo numerus, per totum orbem terrarum disseminatus, caput habens in cælis ipsum Jesum Christum, dicitur et est vera ecclesia catholicissima et unica; illa quoque est, in quam credere profite-mur in fidei symbolo. Nulla enim alia est aut esse potest ecclesia catholica, si modo catholica sumatur pro omnibus simul Christianis. In Christianis enim civitatibus, regnum et ecclesia populus idem est. Itaque si alicui in terris concederetur, ut esset totius ecclesiæ Christianæ caput, eidem simul concederetur ut esset regnorum et rerumpublicarum omnium rex.

*A.* Quænam erant illa dogmata ab ecclesiis primitivis appellatæ *hæreses*?

*B.* Inter multas alias præcipuæ fuerunt, quæ pertinebant ad doctrinam Trinitatis, quæ continetur in fidei symbolo Niceno. Quod quidem symbolum constitui cœpit in Concilio Œcumenico Niceno; absolutum autem est a tribus Conciliis Œcumenicis sequentibus, nempe Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, et ab imperatoribus Romanis illo-

## CAP. II.

De hæresi.

rum temporum, qui illa Concilia indixerunt, confirmatum. Causa Concilii Niceni convocandi fuit Arius, presbyter Alexandriae, cui cum Alexander, ejusdem urbis episcopus, dixisset Filium Dei esse Patri ὁμοούσιον, id est, *ejusdem substantiæ* cum Patre, Arius contradixit; cumque, multis presentibus presbyteris, ferveret disputatio, negavit quoque Jesu Christi divinitatem: unde nata est paulo post in urbe Alexandrina seditio et cædes. Conservandæ autem pacis causa, imperator Constantinus Magnus Concilium illud Nicenum convocavit, in quo symbolum usque ad hæc verba, *credo in Spiritum Sanctum*, Patres constabiliverunt, et damnata sententia Arianorum, ipsum cum sociis ejus quibusdam episcopis et presbyteris excommunicaverunt, et ab ecclesiis deposuerunt; quanquam, propter sequentes imperatores aliquot Arianos, hæresis illa extinguere non potuit. Concilium aliud generale post annos quinquaginta habitum est Constantinopoli, ubi damnata est hæresis Macedonii, negantis divinitatem Spiritus Sancti. Deinde, post annos alios quinquaginta in Concilio generali Ephesino damnata est doctrina Nestorii negantis, sicut Arius, divinitatem Christi. Postremo, in Concilio generali Chalcedonensi damnata est hæresis Eutychetis et Dioscori, qui negaverunt duarum naturarum in Christo, divinæ et humanæ, unionem. Et ita symbolum, quod vocatur Nicenum, tandem perfectum fuit, et cum dictis hæresibus etiam aliæ his affines condemnatæ sunt.

*A.* Post hæreses illas damnatas, nullæne postea subortæ sunt novæ?

*B.* Etiam multæ, nescio quot. Postquam enim ecclesia Romana decretis suis arrogasset sibi, circa

articulos fidei errare se non posse; et primatum super omnes episcopos concessisset Papæ imperator Phocas; et imperii in Italia vis languesceret, et metus Saracenorum principes Christianos occupasset; Papa, jam ante divitiis et potentia multum auctus, Concilia generalia propria autoritate convocabat, neglecta imperatorum et Italiæ regulatorum autoritate, quorum etiam aliquos reges et imperatores, ut hæreticos, excommunicare ausus est. Itaque progressu temporis omnes doctrinas, quæ potentiam ecclesiasticam aut surgentem impedire, aut consummatæ detrudere videbantur, pro hæresibus condemnabant. Atque inde ortæ sunt hæreses illæ numerosæ, propter quas, post edita Lutheri scripta, tot Christiani in hoc regno Angliæ aliisque in locis combusti sunt; donec, evigilantibus tandem illorum locorum principibus, a tam gravi persecutione et servitute Romana liberati fuerunt.

*A.* Ecclesia Romana quos comburi jussit, Lutheranos, Anabaptistas, aliosque, habuitne pro Christianis, an pro ethnicis?

*B.* Pro Christianis sine dubio; nec hos tantum, verum etiam Arianos, et eos omnes quos damnavit synodus Nicena. Neque eos aliter vocavit quam hæreticos. Nam etsi philosophicis rationibus usi, de naturis Salvatoris et de sancta Trinitate aliter senserunt quam oportuit, contra Scripturas Sacras; Christum tamen pro vero Messia habuerunt, et Filium Dei Jesum Christum, et nomen ejus invocarunt.

*A.* Si ita est, ecclesia Romana de imperatorum ethnicorum antiquis persecutionibus, ut mihi quidem videtur, inique conqueruntur. Christiani enim temporum illorum sectæ quædam erant, eandem

## CAP. II.

De hæresi.

habentes rationem ad religionem in Romano imperio stabilitam, quam hæresis hodie ad ecclesiam catholicam. Gravius autem aliquanto est Christianos a Christianis, quam ab infidelibus cruciari.

*B.* Idem videtur et mihi. Sed tamen in regnis et rebuspublicis, ut cautio adhibeatur ne seditiones et bella civilia oriantur, omnimodo necessarium est. Quæ cum sæpissime nascantur a diversitate doctrinarum et concertationibus de ingenio, pœna certe aliqua illi coercendi sunt, qui in concionibus vel libris ea docent, quæ doceri principum et rerumpublicarum legibus prohibentur. Itaque Angliæ regina Elizabetha, sorori Mariæ succedens, sub qua multi hæretici combusti sunt, (nec ipsa Elizabetha sine periculo erat), accepto regno, jus regendæ ecclesiæ Anglicanæ, jure naturali omnibus regibus in suis dominiis debitum, ante omnia, consensu procerum et populi, omnibus potestatibus extraneis ecclesiæ Anglicanæ suprematum abstulit ; et administrationem ejusdem sub seipsa episcopis suis, una cum paucis ex consilio suo privato, diplomate sub sigillo magno Angliæ commisit et confirmavit. In quo diplomate provisum erat ne quam doctrinam hæreticam esse pronuntiarent, quæ hæretica declarata non fuisset in aliquo eorum, quæ dixi, Conciliorum quatuor primorum generalium. Itaque quod attinet ad hæreses, status ecclesiæ Anglicanæ similis erat ejus qui erat ecclesiæ Romanæ sub Constantino Magno ; et sic remansit usque ad annum decimum septimum regis Caroli I, qui subditorum suorum, tantam potestatem episcoporum non ferentium, precibus fere coactus, diploma illud Elizabethæ revocavit, relicta episcopis potestate tantum ordinaria, nimirum faciendi canones, qui consentiente rege leges fierent ecclesiasticæ.

*A.* Ecclesiæ ergo Anglicanæ conditio qualis hodie cernitur, tum puritate doctrinæ conditioni ecclesiæ, quæ erat tempore Constantini, æqualis est; tum æquitate legum ecclesiasticarum, superior. Iniquum enim videtur, ut homo, cujus fides suo solius periculo sumitur, eo nomine puniatur quod sit erronea, præsertim ab illis quibus alienus error damnosus non est.

*B.* Errare, decipi, male sentire, natura sua crimen non est; nec, dum intra pectus continetur, error fieri crimen potest. Nam quo indice accusabitur, quo teste convincetur? Quomodo ergo judicabitur? At verba crimen esse possunt, et quibus legislatores volunt pœnis puniri sine injuria; et quidem supplicio ultimo. Si blasphemia in regem morte puniri potest, multo magis blasphemia in Deum. Veruntamen æquitatis est, ut in tali lege aperte definitum sit, tum quid sit crimen quod condemnatur, tum quis sit modus puniendi; eo fine ut expectatione pœnæ malus a malefaciendo absterreatur. Legitimæ enim pœnæ finis non est iræ contra hominem satiatio, sed, ad commodum humani generis, injuriarum quantum fieri potest preventio; et iniqua est lex omnis, quæ non ante comminatur, quam ferit; et quantumvis summarum potestatum in legibus condendis jus arbitrium sit, arbitrium tamen non est in sumendis pœnis quæ non sint ante legibus definitæ. Præterea, lex nisi declarata sit et promulgata, ita ut ignorationis excusatio omnis probabilis auferatur, ne id quidem, quod contra legem factum est, recte puniri aut crimen appellari potest.

*A.* Quod factum est contra legem naturalem, nonne crimen est, et puniri potest, etiamsi nullus legi adscriptus sit puniendi modus? N N 2



## CAP. II.

De hæresi.

*B.* Lex naturalis æterna, divina, et cordibus solummodo inscripta est. Pauci autem sunt, qui in sua ipsorum corda inspicere, et quæ illic scripta sunt sciunt legere. Itaque quæ facienda, quæ fugienda sint, a legibus scriptis discunt; faciuntque et fugiunt, prout prævisis pœnis videbitur sibi met ipsis utile vel damnosum. Præterea si quid factum sit contra legem naturalem, non id crimen vocari solet, sed peccatum, idque sibi pœnitentibus statim condonandum existimant, nisi cum aliquo damno civitatis vel proximi conjunctum sit: neque tunc ulterius puniri se posse putant, quam ut pro damno illato satisfaciant; malitiam autem soli Deo puniendam relinqui. Nam si peccator peccatorem puniat peccati solius nomine, postquam legi satisfactum sit, simile est belli civilis.

*A.* Quid, si quis atheus sit, nec sit lex scripta quæ modum pœnæ definiat, nonne punietur?

*B.* Punietur profecto, et gravissime. Sed prius accusandus, audiendus, et damnandus est. Accusari autem præter dictum et factum, nihil potest. Quibus autem factis arguetur atheismus? Quodnam enim factum audivisti unquam tam sceleratum aut impium, cujus simile non commissum sit aliquando ab illis, qui non modo non putantur athei, sed etiam professione tenus sunt Christiani? Non ergo ex factis judicatur atheus. Dicto igitur aliquo, sive prolato sive scripto, reus fieri, neque ullo alio modo, potest; nempe, si directe negaverit Deum esse.

*A.* Nonne atheus dicetur etiam is, qui dixerit scripseritve id, ex quo Deum non esse necessario sequitur?

*B.* Ita sane, si ipse, quando id dixit vel scripsit, consequentiæ talis necessitatem vidit. Nam si dic-

tum vel factum sit id quod lege prohibetur, et proinde puniri possit, illud definiri ita debet, ut illi omnes, qui lege illa obligandi sunt, cognoscant hoc et illud factum, prout lege cum circumstantiis definitum est, vel hæc vel illa verba, quæ in lege ipsa scribuntur, punienda esse. Nam verborum consequentiæ difficillimæ judicatu sunt. Itaque si reus, ignoratione bene ratiocinandi, contra literam legis loquutus sit, nullo cuiquam damno facto, excusabit illum ignorantia. Sin judex per ignorantiam alicujus consequentiæ hominem innocentem pœnæ tradiderit, excusari non potest. Quod si verba ipsa sciat contra legem esse, puniri potest. Quare qui Deum esse negat, vel aperte profitetur dubitare se an sit vel non sit, etsi modus puniendi adscriptus legi non sit, puniri potest, sed exilio, etiam æquitate naturali. Nam religio et agnitio potentiæ divinæ in omni civitate lege imperatur : et est civitati omni essentielle, ut in pactis servetur fides, et præcipue si sit jurejurando confirmata. Quia ergo atheus jurejurando obligari non potest, a republica ablegari debet, non ut contumax, sed ut nocumentum publicum. Cur autem, cessante damno publico, occidendus sit non video, cum ab impietate converti possit aliquando. Nam a longanimitate divina quid est quod sperare homo non potest, antequam moriatur ? Similiter dicendum est de blasphemia, quæ est oratio in Deum contumeliosa, et, consentiente animo cum oratione, atheismus.

*A.* Quare autem non relegati potius erant blasphemi, per legem Mosaicam, quam occisi ?

*B.* Quia quo jure rex terrenus blasphemum, lege lata, regno suo potest expellere, eodem jure rex

## CAP. II.

De hæresi.

populi Israelitici, qui tempore Mosis erat Deus ipse per pactum constitutus, idemque rex per naturam totius orbis terræ, blasphemum, lege lata, expellere potuit ex universa terra, id est, occidere. Sed ad quæstionem tuam responsum hoc meum ita accipe, non ut consilii divini in lege condenda causam explicans, sed ut conditæ æquitatem defendens.

*A.* Intelligo jam quid sit *hæresis*; nempe, quod, primo, erat opinio tantum sectæ; deinde, opinio sectæ Christianæ; tertio, opinio sectæ Christianæ ab ecclesia Catholica damnatæ. Vellem et hoc scire, a qua potestate, et quo modo, ab origine usque hodie puniri consuevit.

*B.* Ante Constantinum Magnum, imperatorem Christianum primum, neque pastores neque ipsi apostoli potestatem habuerunt hæreticis a se condemnatis pœnam ullam infligendi, neque illos in exilium mittendi, neque libertate corporis privandi, neque quomodocunque molestandi; quippe quod soli summo imperanti ad conservationem pacis competeat. Excommunicare potuerunt, id est, eorum societatem, convictum, congressum declinare et fugere, tanquam ethnicorum vel publicanorum; quæ pœna non est, et sæpenumero excommunicanti magis quam excommunicato incommoda erat. In Concilio Niceno pœna, damnatis hæreticis, in clericos tantum constituta est, eaque erat ut ecclesiis suis privarentur. Sed contra discipulos illorum statutum est nihil, quia laici forte de pastorum suorum doctrinis judicare minime tenebantur; vel forte, quia plerique eorum milites erant qui sub imperatore ipso meruerant, nec irritandi sine periculo erant. Etiam doctores hæresium ipsi citabantur ad Concilium, eorum rationes audiebantur,

disputabantur, et ex Scripturis Sacris refutabantur. Ad extremum si ecclesiæ judicio subscribere recusarent, tum demum privabantur ecclesiis. Et siquidem postea populum hæresi sua pergerent inficere, in exilium quandoque mittebantur. Cæterum illi iidem, si posita contumacia postea subscriberent, ab imperatore restituebantur; sicut ipse Arius, postquam fidei suæ confessionem imperatori scriptam dedisset, quæ a judicio Patrum reliquorum, ut imperatori videbatur, non discrepabat, restitutus fuit; et Athanasius, qui eum recipere noluit, ob eam rem in exilium missus est.

*A.* Athanasius ille magnus summi imperatoris mandato obedientiam negare, peccatum esse non putavit?

*B.* Ita videtur; loca tamen Testamenti Novi illa, quibus obedientia potestatibus etiam ethnicis a Christo et apostolis præcipitur, obscura non sunt. Sed Athanasius quo zelo hæresim Arianam in Concilio Niceno paulo ante oppugnaverat, eodem postea de Ario restituendo ipsi imperatori se opposuit. Neque mirum id videri debet; cum theologiæ doctores, dum in loca illa Scripturæ Sacræ, quæ pertinent ad præsentem controversiam, intentissime inspiciunt, loca alia quæ spectant ad jura principum aut negligentia, aut aliquando etiam studio spreisque legibus humanis, prætereunt. Sed (ut redeamus ad hæreticorum pœnas) sciendum est, inter ecclesiastica supplicia ultimum esse quod vocatur anathematizatio sive excommunicatio, et propterea aliam omnem pœnam dependere a potestate civili. Causa autem quare Constantinus et cæteri imperatores Romani multas pœnas in hæreticos constituerunt, ut exilium, publicationem bonorum, librorum

CAP. II.

De hæresi.

## CAP. II.

De hæresi.

combustionem (etiam mortem, sed non in scriptores hæreticos ipsos, sed in eos qui libros illos damnatos ad ignem non protulerint), erat ne Christiani et præcipue milites secederent in partes, et mutuo se occiderent. Nullam tamen legem imperatoriam invenire possum, qua hæretici necandi sunt, exceptis Manichæis, quos ego non tam pro hæreticis, quam pro fictis Christianis et sceleratis habeo. Legem quidem invenio, qua homo ethnicus vel Judæus, si gentilem suum factum Christianum tentaverit a fide Christiana revocare, comburendus esset. Sed hoc nihil attinet ad supplicium hæreticorum. Audivi quidem imperatorem Fredericum Ænobarbum de comburendo hæretico legem tulisse; sed, etsi in codice Justiniani constitutionem reperio Frederici illius, confirmantem imperatorum præcedentium constitutiones de pœnis hæreticorum, nulla tamen extat de combustione hæreticorum. Itaque, quantum conjectura assequi possum, modus ille puniendi hæreticos paulo post tempora Papæ Alexandri III cœpit, qui primus una cum imperatore illo imperium ipsum et principum omnium leges conculcavit. Utcunque id sit, certum est in Anglia nostra, ab illo fere tempore usque ad tempora Reginæ Elizabethæ, consuetudine quadam in legem transeunte hæreticos comburi solitos esse.

*A.* Definitioni ergo hæreseos ab hoc tempore voculæ aliquot adjiciendæ sunt: nimirum, ut hæresis sit doctrina contra fidem Catholicam, vindicanda igne.

*B.* Ita est.

*A.* Quo iudice, qua judicandi forma, condemnandi erunt hæretici?

*B.* Antequam imperium in imperatores exerce-

rent Papæ, iudices plerumque erant illi ad quos rescripta imperatorum de pœnis hæreticorum missa erant, nempe prætores urbis, provinciarum præfecti. Sed de forma hæretici convincendi nihil scio. Cæterum, postquam viguerat authoritas pontificia, cognitio causæ ad episcopum unum vel plures attingebat; et siquidem reus doctrinæ quam docuerat, publice bis, si opus esset, requisitus, renunciaret, pœnitentiamque ageret ea forma quam præscriberet curia, absolvebatur. Quod si in eandem hæresin post relaberetur, vel in aliam (nam innumeræ erant), potestati seculari comburendus tradebatur: neque omnino veniæ locus erat, propter potestatis ecclesiasticæ et civilis distinctionem, sine consensu Papæ.

CAP. II.

De hæresi.

*A.* Ab anno primo Elizabethæ ad annum decimum septimum Caroli I, quomodo convincendi et puniendi erant?

*B.* Per totum illud tempus apparuerunt quidem valde pauci hæretici, propterea quod illis, quibus regina commiserat regimen, sub se ipsa, ecclesiasticum, prohibitum lege erat, ne quam doctrinam hæreticam esse judicarent, quæ non ante pro hæresi condemnata fuisset in aliquo quatuor Conciliorum generalium primorum, id est, ut ex illis ipsis Conciliis manifestum est, quæ non erat contra fidem in symbolo Niceno declaratam. Sed qui convicti erant, comburebantur.

*A.* Quomodo cognosci potest, quid sit symbolo contrarium vel non contrarium, nisi ipsa verba symboli ea formula, qua scripta sunt, negentur esse vera vel dicantur esse falsa?

*B.* Neque lege puniendus est hæreticus, nisi ipsis symboli verbis contradicat. Nam ut quis dicat negari fidem per consequentiam, utque ea de causa

## CAP. II.

De hæresi.

aliquis puniendus sit, iniquum est. Æquumne est ut hominis vita argutiis petatur consequentiarum; vel in adversariorum, aut etiam iudicis peritia in arte logica periclitetur? An lex, quæ nihil exigit præter obedientiam, ulciscetur paralogismum? Patres ipsi in Concilio Niceno aliter censuerunt. Cum enim essent inter illos aliqui, sed pauci, qui propter vocem *ὁμολοσιον*, subscribere symbolo dubitarent, et explicationem illius vocis plenioram poscerent; illis morem gerentes Patres cæteri, vocem *ὁμολοσιον* ita intelligendam esse declararunt, ut Filius Dei ex substantia quidem Patris esset, ut non tamen esset Patris pars. Ex illis qui explicationem hanc a Patribus impetraverunt, erat Eusebius episcopus Cæsariensis; idemque ad clerum per omnes dioceses epistolam scripsit, quæ vocatur epistola circularis, in qua certiores facit, quid decretum erat in synodo de fide circa sanctam Trinitatem, et de causa quare ipse et cæteri, qui prius subscribere recusaverant, nunc subscriberent; ubi pro causa subscriptionis suæ posuit hanc, *quod formula a Patribus præscripta esset, per quam cautio adhibebatur ne a rectæ fidei sententia excideret, et quod ob eam causam vocem ὁμολοσιον non rejiceret, nempe, quia pax nobis tanquam scopus ante oculos versabatur.* Ex quo intelligitur, quoties verba fiunt crimen, juxta Concilii Niceni sententiam, verba illa in formulam debere redigi; ut unusquisque quæ verba crimen habent, quæ non habent, sine pluribus syllogismis certus esse possit: eodem plane modo, quo id quod in factis crimen est ab eo quod crimen non est, distinguitur per legis formulam. Idem senserunt et Papæ omnes. Nam ubi in Conciliiis generalibus doctrinam aliquam damnant

ut hæreticam, ejusdem doctrinæ consequentias quotquot nasci posse prævident, totidem formulas expressas in decreto ipso perscribunt.

CAP. II.  
De hæresi.

*A.* Dixisti modo prohibitum lege fuisse anno primo Reginæ Elizabethæ, ne qui sub illa regimen ecclesiasticum exercerent, quicquam pronuntiarent esse hæresin, quod non esset ab aliquo primorum quatuor Conciliorum generalium condemnatum. Quæro igitur an rectores illi ecclesiastici, a regina tunc constituti, promulgaverint per omnes ecclesias parochiales, quænam doctrinæ illæ erant, et formulæ verborum, quibus contradicere capitale esset? Non enim credo homines imperitos, et quibus nihil ad salutem suam legendum præscriptum erat præter Biblia Sacra, obligatos fuisse habere apud se exemplar Conciliorum, quod nescio an extet, verum. Sunt enim qui extare illa negant, ut ab Arianis corrupta, et ob eam causam suppressa a Catholicis.

*B.* Dubitari non potest de ea parte Conciliorum, qua symbolum stabilitur, quin pura extet. Quod autem ad disputationes inter Catholicos et Hæreticos attinet, utrum ea pars periit necne, haud magni interest. Cæterum quod quæris, utrum promulgatæ erant per ecclesias formulæ verborum illæ, quibus sub Elizabetha continetur hæresis, nullæ promulgatæ erant, ne ipsæ quidem literæ regiæ publicatæ fuerunt, nisi longo post tempore; adeo ut quid esset hæresis, quid non, sciri a reo non poterat antequam citaretur. Etsi enim propter literas illas regiæ hæresis declarari potuit, quicquid erat ita declaratum a prædictis Conciliis; potuit tamen per easdem non declarari. Negligentiam hanc rectorum ecclesiasticorum sub Elizabetha, quod lite-



## CAP. II.

## De hæresi.

ras illas regias non citius publicaverint, reprehendit clarissimus ille jurisconsultus Eduardus Cocus in tertio libro Institutorum.

*A.* Nonne ipsum symbolum in liturgia Anglicana publicatum, legis de hæresi sufficiens erat promulgatio ?

*B.* Ita, si in lege id scriptum fuisset. Sed nulla ibi facta est mentio symboli Niceni ; neque indocti, neque aliqui fortasse clerici, quid symbolum illud cum Conciliis commune haberet, aut quomodo decretum Constantini lex Anglicana facta esset, intellexerunt.

*A.* Quum rectorum illorum, penes quos erat de hæresi judicare, autoritas lege sublata erat, anno, ut dicis, Caroli Primi decimo septimo ; quomodo fieri potuit, ut autoritas legibus de hæresi, quæ extiterunt tempore Reginæ Mariæ, non rediret ?

*B.* Quia lex de omni alia potestate ecclesiastica præter regiam abolenda, ante lata erat, quam potestas illa rectorum ecclesiasticorum erigeretur ; itaque sublata illa lege, rectores illi autoritatem, præter ordinariam illam excommunicandi, in puniendis hæreticis nullum habuere, neque habent hodie.

*A.* Hæreticus ergo hodie alia pœna præter excommunicationem puniri non potest ?

*B.* Etiam pœnis iis, quæ excommunicationem, virtute legum civilium, consequuntur. Citabitur enim ad curiam ecclesiasticam, ubi, nisi errorem suum ipse damnet, tradetur potestati seculari in carcerem conjiciendus ; ibi mansurus, donec hæresi suæ renuntiet, penitentiamque egerit legibus constitutam.

*A.* Qui sciri potest an vere renuntiaverit necne ?

*B.* Omnino sciri non potest, præterquam a Deo solo.

*A.* Nonne cogi potest hæresin suam abjurare?

*B.* Non potest. Solebant quidem, stante auctoritate dictorum rectorum ecclesiasticorum, examinari aliquando cum juramento de sententia ipsorum interna. Sed ea potestas una cum ipsa auctoritate ablata est, ut iniqua; propterea, quod cogitationum vindicta ad solum videtur pertinere Deum, cogitationum inspectorem. Leges enim humanæ in contumaciam tantum animadvertunt.

*A.* Nullane hæreticorum pœna constituitur in evangelio?

*B.* Nulla, nisi quod fugiendi sunt, et communionem sanctorum, qui illo tempore de divitiis communibus alebantur, prohibendi. Nullam pœnam sancitam invenio secularem. Neque excommunicationem reperio propter hæresin, sed propter vitam, et scelera quibus religio dedecorabatur. Contra autem, si ad doctrinam Christianam parabolæ Novi Testamenti adhibendæ sunt, puniri hæreticum a Christiano homine pœna civili prohibitum puto (Matth. xiii. 27-30): *Unde hæc zizania? Dixit illis Jesus, Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt illi, Vis colligamus ea? Ille autem dixit, Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis una granum. Sinite ambo simul crescere usque ad messem.* Nonne manifestum hinc est, zizania, id est hæreses reservandas esse ad iudicium ultimum? Quomodo ergo revellendæ sunt in hoc mundo morte vel exilio? Item 1 Cor. iii. 11-15: *Fundamentum aliud ponere nemo potest, præterquam quod Jesus est Christus. Sin quis huic fundamento superædificaverit aurum, argentum,*

## CAP. II.

De hæresi.

*lapides pretiosos, lignum, fœnum, culmum: unuscujusque opus manifestum fiet. Si alicujus opus comburetur, damnum sustinebit; ipse autem salvabitur, ita tamen ut per ignem.* Quid hoc, nisi quod qui fundamentum tenet hoc, *Jesum esse Christum*, id est, is, qui vere Christianus est, etsi superædificaverit lignum, fœnum, culmum, id est, dogmata falsa, operam perdet, ipse tamen salvabitur; sed quasi per ignem, id est, animo erroribus expurgatis. Etiam 2 Tim. ii. 25: *Ministrum Domini docere oportet eos qui se opponunt, in mititia, si forte Deus ipsis det resipiscentiam ut agnoscant veritatem.* Nonne hoc contra eos est, qui hæreticum bis citatum, nisi renunciet doctrinæ suæ, statim comburi faciunt aditumque, homini Christiano ad misericordiam divinam, quantum in ipsis est, ocludunt? Quibus locis Scripturæ Sacre sententiam adde theologorum omnium, neminem a Christo recipi, qui metu mortis ad illum cogitur.

*A.* Quomodo puniri solet blasphemia?

*B.* Blasphemia, si procedat ab animi sensu, atheismus est. Quis enim blasphemare Deum auderet, quem esse et curam rerum humanarum gerere existimaret. Sed id quod vulgo blasphemia dicitur, nihil aliud est, præter affectatum divinitatis in juramenti non necessariis abusum. Quod crimen definitur a Justiniano (Novella LXXVII.) hoc modo: "Blasphema sunt, *per Dei capillos, et caput*, et his proxima verba." Deinde pœna constituitur supplicium ultimum.

*A.* Ejusmodi juramenta nullane lege puniuntur apud nos?

*B.* Nescio. Quin tamen puniri ea posse censuris ecclesiasticis non dubito. Nam et scandalum est

ecclesiæ, et tertii præcepti Decalogi transgressio in primis audax. Juramentum quodlibet non necessarium, peccatum est non parvum, ortum habens ab eo, quod soleant homines mentiri. Itaque qui verum dixerit, videtque sibi creditum non esse, ne non serio dixisse videatur, jurat per quem, si jurare omnino necesse esset, jurare debet, Deum. Horum impunitatem cum videant ingenia quædam luxuriantia, Deum in membra dividentes more anthropomorphitarum, per singula jurare cœperunt, nonnullam ex novitate juramentorum laudem aucupantes; atque inde verba illa, *per corpus, per ungues, per capillos*, blasphema simul et hæretica. Quomodo punienda sint, viderit ecclesia.

CAP. II.

De hæresi.

---

### CAPUT III.

DE QUIBUSDAM OBJECTIONIBUS CONTRA LEVIATHAN.

A. PRODIIT anno Domini MDCLI. liber quidem Anglico sermone scriptus, cui titulus est *Leviathan*, cujus quatuor sunt partes; prima, de *natura hominis*, et *legibus naturalibus*; secunda, de *natura civitatis*, et *jure potestatis summæ*; tertia, de *republica Christiana*; quarta, de *regno tenebrarum*. Insunt in singulis partibus paradoxa quædam, tum philosophica tum theologica; et ita multa contra potestatem Romanorum Pontificum in alios principes, ut facile appareat authorem existimasse causam belli civilis, quod eo tempore per Angliam, Scotiam, et Hiberniam gerebatur, aliam non fuisse quam dissensionem, primo inter ecclesiam Romanam et Anglicanam, deinde in ecclesia Anglicana inter pastores Episcopales et Presbyterianos, circa quæstiones theologicas. Bellum illud civile incepit in Scotia anno

CAP. III.  
 De quibus-  
 dam objec-  
 tionibus con-  
 tra Leviathan.

MDCXXXIX ; sed concessionibus quibusdam regiis, quarum una erat sublatio potestatis episcopalis e regno Scotiæ, illico sopitum est ; sed cito, instigantibus Presbyterianis Anglicis, anno MDCXL resuscitatum. Erat eo tempore regimen ecclesiasticum administratum virtute literarum regiarum per episcopos. Sedebat etiam Parliamentum, totum fere Presbyterianum. Factio enim Presbyteriana factionem episcopalem potentia et favore populi longe superabat. Itaque anno proximo coactus est Rex, quo Parliamentum placaret, episcopos etiam a regimine omni ecclesiastico extraordinario removere. Quo facto, nulla amplius potestas remansit inter Anglos cognoscendi hæreses, sed omnimodæ sectæ apparuerunt scribentium et publicantium qualem quisque voluit theologiam. Jam Parisiis debebat author dicti libri, vulgata jam libertate scribendi utens. Et jura quidem regis, tum in temporalibus tum in spiritualibus, egregie vindicavit. Cæterum dum hoc ex Scripturis Sacris conatur facere, in dogmata lapsus est inaudita, quæ a plerisque theologis hæreseos et atheismi accusata sunt.

*B.* Quænam sunt illa dogmata ?

*A.* Quid tibi videtur oratio hæc, capite secundo versus finem ; *Opinionem hominum de spiritibus mortuorum ambulantis, de industria puto, traditam fuisse, aut non confutatam, ad sustentandam existimationem exorcismorum, signi crucis, aquæ benedictæ, aliarumque artium cleri.*

*B.* Mihi quidem vera, prudens, et Christiana videbitur, nisi contrarium evincas ex Scriptura Sacra. Equidem lego (Matth. xxvii. 52), Christo in cruce moriente corpora mortua e sepulchris excitata esse, non autem animas.

A. Deinde, capite quarto sub initium, negat *substantias* ullas esse *incorporeas*. Quid aliud est hoc, quam negare Deum esse, vel affirmare Deum esse corpus?

## CAP. III.

De quibusdam objectionibus contra Leviathan.

B. Affirmat quidem Deum esse corpus. Sed ante eum idem affirmavit Tertullianus. Disputans enim contra Apellem aliosque sui temporis hæreticos, qui Salvatorem nostrum Jesum Christum non corpus sed phantasma esse docuerunt, dictum hoc universale pronuntiavit: *quicquid corpus non est, non est ens*. Item contra Praxeam: *Omnis substantia est corpus sui generis*. Neque in ullo ex quatuor Concilii primis generalibus doctrina hæc condemnata est. Ostende, si potes, vocem *incorporeum* vel *immateriale* in Scripturis. Ego vero ostendam tibi *plenitudinem divinitatis habitare in Christo corporaliter*, id est, ut exponit Athanasius, *Dealiter*. *Omnes sumus et movemur in Deo*, sunt (Act. xvii. 28) verba Pauli apostoli. Quantitatem autem habemus omnes. An *quantum* inesse potest in *non quanto*? Magnus est Deus, sed magnitudinem intelligere sine corpore impossibile est. Ne a Concilio Niceno quidem definitum est Deum esse incorporeum. Patres autem qui aderant, nescio an omnes, ita senserunt; et ipse Constantinus vocem illam, *ὁμόουσιον*, id est, coessentialem, ideo comprobavit, quod ex ea voce videretur illi sequi *Deum esse incorporeum*. Nihilominus, vocem illam, *incorporeum*, quæ non est in Scriptura Sacra, in symbolum inferre noluerunt. Neque vero ex voce *coessentialis*, quanquam essentia corpus non sit, inferri potest Dei incorporeitas. Pater Davidis, et filius Obedi, cum fuerit unus et idem Jesseus, erant *coessentialis*; sequitur inde Patrem Da-

## CAP. III.

De quibus-  
dam objec-  
tionibus con-  
tra Leviathan

vidis et Jesseum fuisse *incorporeos*? Præterea, Patribus Concilii Niceni in animo erat condemnare per illud symbolum non modo Arianismum, sed etiam hæreses omnes quæ post mortem Domini in ecclesiam irrepserant; quarum una erat anthropomorphitarum, qui Deo corporis humani membra attribuerant; non autem condemnare eos qui verum, realem, et purum spiritum, corporeum esse cum Tertulliano scripserant. Illi quidem, qui Deo puritatem tribuunt, recte faciunt; est enim honorificum. Sed tenuitatem attribuere, quæ gradus quidam est ad nihilitatem, periculosum est. Johannes Damascenus, exponens fidem Nicenam, libri primi capite decimo tertio: *Divinorum nominum, inquit, alia negativa sunt, significantia id quod est supra substantiam, ut ἀνούσιος, id est, sine essentia; ἄχροτος, sine tempore; ἀναρχος, sine principio; non quod his inferior sit, sed quod supra hæc omnia elatus sit. Deus enim in numero entium non est, sed supra ea omnia.* Vides Johannem Damascenum, philosophum Aristotelicum, (ut videre est ex opere ejus dialectico), eundemque patrem ecclesiæ et doctorem pium, dum metuit dicere cum Tertulliano Deum esse corpus, et studet crassitudinem corpoream attenuare, quam (nescio quare) Deo indignam putat, in verba athea incidere, dicentem Deum ἀνούσιον esse, et nihil eorum quæ sunt.

*A.* Per ἀνούσιον nihil ille (credo) significare voluit, præter increatum.

*B.* Fortasse. Quid autem opus erat, postquam paucis ante versibus de attributo illo, *increatum*, satis locutus esset, rursus idem dicere per nomen illud non ferendum, ἀνούσιος? Cum denique sciret spiritum omnem, utcunque tenuem, esse tamen

corpus; quam substantiam sive ens reale potuit ille sibi fingere, quod substantia videretur esse incorporea, præter idola seu phantasmata qualia videmus in speculis, in somno, in tenebris, et quæ Paulus apostolus dicit esse *nihil*?

## CAP. III.

De quibusdam objectionibus contra Leviathan.

*A.* Tertio, capite sexto versus finem, *Timor*, inquit, *potentiarum invisibilium, sive potentia illæ fictæ sint a timente, sive conceptæ a fabulis publice permissis, religio est. A non publice permissis, superstitio est. Quando vero potentia quæ timentur, veræ sunt, vera religio.*

*B.* Idem hoc dicitur ab Ecclesiaste (Ecclesiastici i. 16): *Timor Domini est initium sapientiæ*; et a Psalmista (Psal. xiii. 1): *Stultus in corde suo dixit, non est Deus.*

*A.* Quarto, capite decimo sexto, *Etiam Dei veri personam gerebat, primo, Moses, cum regeret populum non suum, sed Dei, dicendo hoc dicit Dominus; secundo, Filius, qui venit in mundum ad reducendos Judæos, et inducendos omnes populos in regnum cæleste: tertio, Spiritus Sanctus, qui missus est ad sanctificandum Dei populum.*

*B.* Videtur author voluisse hoc loco doctrinam explicare Trinitatis, quanquam Trinitatem non nominat. Pia voluntas, sed erronea est explicatio. Nam Mosem, quoniam is quoque aliquo modo gessit personam Dei, ut faciunt omnes reges Christiani, unam videtur facere personam in Trinitate. Valde hoc negligenter. Si dixisset Deum, in persona propria, creasse mundum; in persona Filii, redemisse genus humanum; in persona Spiritus Sancti, sanctificasse ecclesiam; nihil aliud dixisset, nisi quod est in catechismo ab ecclesia edito.

*A.* Sed idem repetit in pluribus locis.



## CAP. III.

De quibusdam objectionibus contra Leviathan.

*B.* Sed unoquoque loco facile emendari potest. Vel si dixisset Deum, in persona propria, constituisse sibi, ministrante Mose, ecclesiam; in persona Filii, eandem redemisse; in persona Spiritus Sancti, eandem sanctificasse; non errasset.

*A.* Capite trigesimo quarto, negat probari posse ex canone Veteris Testamenti, angelos reales et permanentes substantias esse, sed phantasmata supernaturalia; quæ, quia illis Deus utitur ad voluntatem suam declarandam, appellantur angeli.

*B.* Certum est, angelum nomen esse officii, spiritusque omnes, propter diaphanitatem substantiæ spiritualis, invisibiles esse, nisi eo sensu quo videri dicuntur phantasmata in speculo, somno, vel tenebris. Itaque quoties aliquis dicitur in Scripturis Sacris vidisse angelum, visio illa non est sensio humana quæ fit per oculos, sed qualem habuit Jacob, cum videret angelos ascendentes et descendentes per scalam, cum dormiret. Sadducæi negabant angelos esse substantias. Quare? Non quod non crederent Testamento Veteri, sed quia creationis angelorum in Veteri Testamento nulla est mentio. Neque tamen a Judæis excommunicati sunt. An etiam negat probari posse angelos substantias esse ex Testamento Novo?

*A.* Non negat; sed si sunt, probari inde posse dicit substantias corporeas esse.

*B.* Hoc neque antiquis Patribus omnibus, neque Doctoribus omnibus ecclesiarum reformatarum, paradoxum est; neque ab ecclesia Anglicana condemnatur.

*A.* Capite trigesimo octavo, animam humanam sua natura, id est, ab ipsa creatione, immortalem esse negat, sed gratia Dei, præbentis Adamo et Evæ

fructum arboris vitæ, dum non gustarent de fructu arboris scientiæ boni et mali. Quando autem præceptum Dei, de esu fructus arboris scientiæ boni et mali, transgressi erant, tunc exclusi aditu ad arborem vitæ, facti sunt mortales, et ipsi et eorum posteritas ; morientesque mortui manserunt, donec per mortem Christi remissis peccatis, reviviscant ad vitam æternam in resurrectione mortuorum generali. Sed juxta hanc doctrinam, animæ mortuorum nullæ omnino existent immortales, impiorum nec piorum, ante diem judicii.

*B.* De hac re sententiam meam satis ampliter modo explicavi. Addo autem, quod non intelligo quomodo contra fidem Christianam peccare dicatur is, qui vitam æternam confitetur, sive eam creationi, sive redemptioni acceptam ferat. Neque quomodo contra doctrinam vel cultum Christianum esse possit, cum neque in Scriptura Sacra, quæ doctrinam, neque in liturgia, quæ cultum Christianum continet, inveniatur usquam vox illa, *immortalis anima*; sed *vita æterna per Christum*, frequentissime.

*A.* Eodem capite, regnum Dei post resurrectionem futurum esse dicit in terra.

*B.* Ex suane philosophia hoc dicit, an ex Scriptura Sacra ?

*A.* Loca aliquot adducit ex prophetis Isaia, Obedia, Joele, mihi quidem non satis intellecta ; et præterea, id quod a S. Petro dicitur de conflagratione et renovatione hujus mundi.

*B.* Adde ergo illis, locum ex Apocalypsi (v. 8-11) manifestiorem : *Animalia quatuor et viginti quatuor presbyteri coram Agno prociderunt, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas thuris, quæ sunt sanctorum preces ; et cantaverunt can-*

## CAP. III.

De quibusdam objectionibus contra Leviathan.

## CAP. III.

De quibus-  
dam objec-  
tionibus con-  
tra Leviathan.

*tilenam novam, dicentes, dignus es accipere librum et aperire sigilla ejus, quia occisus fuisti, et redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ab omni tribu, et lingua, et populo, et gente; et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes, et regnabimus in terra. Quid hoc clarius?*

*A.* Eodem capite, punitionem reproborum in terra quoque fore dicit, nec æternam.

*B.* Dubitandum non est, quin si reprobi a sanctis militantibus destruendi sint, destruentur super terram; neque quidem æternæ, si verum sit morituros esse mortem secundam.

*A.* Capite trigesimo nono, definit ecclesiam hoc modo: *Ecclesia est hominum numerus profitentium religionem Christianam, unitorum in persona una suprema, cujus jussu convenire debent, et sine cujus autoritate convenire non debent.* Ex qua definitione sequitur, quod tempore imperatorum ethnicorum, neque Concilium Apostolorum, neque aliud Christianorum Concilium ante Nicenum, erat licitum.

*B.* Conventiones, id est, synodi fuere aliquot Christianorum sub imperatoribus ethnicis. Sed per *ecclesiam*, intelligit synodum cum autoritate discernendi, et cujus decretis non obtemperare injustum erat. Tales autem synodi sine summa potestate existere non possunt.

*A.* Capite trigesimosexto, ubi dicitur (Joh. i. 1), *Verbum erat apud Deum*, et (Joh. i. 14), *Verbum factum est caro; verbum* dicit idem significare quod *promissio*, et *promissionem* idem quod *res promissa*, id est, Jesum Christum: ut Psalm. civ. 19, et Genes. xl. 13, aliisque locis similibus.

*B.* Quidni? Nam vocem hanc, *verbum*, an

rem *verbo* significatam, carnem factam esse putas? Quid significant illa verba ejusdem apostoli (Apoc. xiii. 8): *Agnus occisus a fundatione mundi*? Potuitne occidi antequam incarnaretur? Nonne sequitur inde, tum incarnationem tum passionem Domini, quæ in tempore erant, fuisse tamen a fundatione mundi? Qui potest hoc esse aliter, quam in decreto æterno Patris? Quod decretum, quid aliud est, quam res decreta? Nonne eodem modo etiam Spiritus Sanctus dicitur (Luc. xxiv. 49), promissio Patris? *Ego*, dicit Christus, *mittam in vos promissionem Patris mei*.

## CAP. III.

De quibusdam objectionibus contra Leviathan.

*A.* Capite quadragesimo secundo, ad quæstionem, "Quid si quis fidelis a principe suo legitimo jubeatur negare Christum," respondet, licitum esse obedire; exemplo Naamani Syri, cui dictum est a propheta, *vade in pace*. Quæ verba non mihi videntur permissio, sed formula valedictionis.

*B.* Ita fortasse, si aliquid aliud illi vel approbando vel improbando respondisset: at in hoc loco aliter quam pro permissione intelligi non possunt. Scis permultos fuisse Christianos, paulo ante synodum Nicenam, bonos quidem, sed non fortissimos, qui, morte et tormentis ostentatis, fidei Christianæ renuntiaverunt. Quas putas pœnas in tales statuisse Nicenam illam synodum generalem? In canonibus illius synodi decimus nonus est, quo statuitur eos, *qui citra tormenta et periculum id facerent*, redire debere ad catechumenos. At de illis qui negarent intentata morte, nihil statuitur. Non tamen nego quin in apostolo vel in discipulo, qui doctrinam Christi prædicare inter Christi hostes in se receperat, peccatum id esset; et in Petro mag-

## CAP. III.

De quibusdam objectionibus contra Leviathan.

num, sed infirmitatis, et a Christo facile condonatum.

*A.* Eodem capite, affirmat licitum esse regibus Christianis administrare sacramenta.

*B.* Omnes fere ministri ecclesiæ Anglicanæ, anno primo reginæ Elizabethæ, idem senserunt cum illo. Simul enim ac regina suprematum ecclesiæ sibi vendicasset emisit mandata quædam, per omnes dioceses, quæ mandata appellavit injunctiones. Quarum una erat, ut clerici omnes cum juramento recognoscerent ecclesiæ suprematum jure pertinere ad reginam et successores suos. Multi autem erant, qui jurare noluerunt, hanc, ut ipsi dicebant, ob causam; quod eo concesso, una conceditur reginam, si velit, posse administrare sacramenta. Manifestum hinc est, clerum illum credidisse, in quocunque resideret ecclesiæ suprematus, eidem quoque licere, quoties vult, ea omnia administrare, quæ a sacerdotibus administrari solent. Cæterum ad tollendum scrupulum hunc rescripsit regina, nunquam sibi in animo fuisse aliam sibi administrationem aut potestatem assumere, quam qua usi sunt Pater ejus Henricus et frater Eduardus. Atque hoc rescripto nec successoribus suis masculis potestatem illam derogavit, nec sibi arrogavit; sciens prohibitum esse fœminis loqui in ecclesiis.

*A.* Caput quadragesimum tertium totum in eo consumitur, ut probet peccatori pœnitenti fidem aliam ad salutem necessariam non esse, quam quæ continetur in hoc uno articulo, *Jesum esse Christum.*

*B.* In illo articulo multa continentur, ut Jesum esse Filium Dei, regem Judæorum, restauratorem regni Dei. Etiam scopus Evangelii alius non est, ut testatur Johannes apostolus (xx. 31), quam ut

sciamus *Jesum esse Christum Filium Dei viventis*. Præterea, dicit idem apostolus (1 Epist. iv. 2): *Omnis Spiritus qui confitetur Jesum esse Christum et venisse in carne, ex Deo est*. Multa item alia loca sunt in Testamento Novo hujus similia.

*A.* Sed contra est, quod legitur in fine symboli Athanasii, nempe hoc: *Hæc est fides catholica, quam nisi quis pro certo credat, salvari non potest*.

*B.* Tunc Sacræ Scripturæ et verbis apostoli oppones verba Athanasii? Cujus symbolum recipitur quidem ab ecclesia ut expositio vel paraphrasis symboli Niceni; sed hæc verba Athanasii nulla est pars illius symboli.

*A.* Sunt et alia paradoxa non pauca in eodem libro; sed quia minoris sunt quam ut illis nunc immoraremur, non proferam.

*B.* Ut libet. Sed in his quæ protulisti, nihil invenio contra fidem ecclesiæ nostræ, quamquam non pauca doctrinam theologorum privatorum superantia.

CAP. III.

De quibusdam objectionibus contra Leviathan.

FINIS VOLUMINIS TERTII.

## SCRIPTURÆ SACRÆ

INSIGNIORA LOCA ANNOTATA, IN LEVIATHANE EXPLICATA AUT  
ADDUCTA, QUORUM INDICIO MULTA ALIA SE ULTRO  
OCCULIS OFFERENT.

CAP. VER.		PAG.	CAP. VER.		PAG.
	Gen.			Matth.	
I. 2		282	XII. 32		469, 470
II. 18	<i>morte morieris</i>	321, 523	XIX. 21	<i>Vende omnia.</i>	192, 193
III. 5		157		Luc.	
	Exod.		XVI. 20	<i>De divite et Lazaro.</i>	466
XX. 1, 2, etc.	Decalogus, 192, 243, sqq			Joh.	
	I Sam.		I. 3		300
VIII. 11		155		Act.	
	Job.		XIX. 38		18
XLI. 24, 25		230		I Cor.	
	Psal.		III. 12		557
LI. 6	<i>Tibi soli peccavi.</i>	162		Apocal.	
LXXII. 1, 2, 3,		257	v. 9, 10, 11.		565, 566
	Ecclesiastæ.				
III. 17, 18, etc.		526			

# INDEX IN LEVIATHANEM,

SIVE

## DE MATERIA, FORMA, ET POTESTATE CIVITATIS, ECCLSIASTICÆ ET CIVILIS.

- AARON** non habuit summam potestatem in populo Israelitico, pag. 342; a Mose summus Sacerdos consecratus, 463, 464; vitulum aureum conflando idololatricam exercuit, 486; pro se et sacerdotibus sacrificare necessum habuit, 349, 350.
- Abaddon** nomen officii vel qualitatis, 329.
- Abiathar** summus Sacerdos a Salomone rege depositus, 346, 423.
- Abrahami** principatus, 208, 328: jus religionis inter suos, 339; cui nulla privati revelatio obstabat, 208; nec ulli suorum facta, 208; ipse divini verbi interpretes, 339; Abrahamum, Isaacum, et Jacobum non actu vivere, sed promissione, 466.
- Absolutio** ex poenitentia notis innititur externis conjecturis, 367, 368.
- Abstractum**, concretum, 532.
- Absurdum** et error quomodo differant, 34; absurdum privilegium solius hominis, 35.
- Academiae** locus et origo, 491; academiarius et scholarum usus atque abusus, 6, 14, 246, 497; doctrina de sensibus, 7; in academiis reges et principes publice docere possunt, 398. *Vide* Universitas.
- Academicorum** veterum secta, 491.
- Acta** conciliorum per se non sunt leges, 385.
- Actiones** ab opinionibus, 135, 396.
- Actor** quis, 123; actoris personam plures possunt representare, 124, 125.
- Adam** primus actor sermonis, 21; non tamen fuit orator, nec vocabula technica reperit, 21, 22; minime entitatem et quidditatem, 22; potuisset in aeternum vivere, nisi mandatum violasset, 320, 321; potuisset vero et affligi, etiamsi non peccasset, 257; an in statu innocentiae liberis procreandis operam dedisset, 323; immortalis creatus fuit non virtute naturae, sed per gratiam et virtute arboris vitae, 321.
- Αδης** quid, et unde dictum, 326, *et seqq.*
- Advocatorum** et legislatorum certamen, 250.
- Affectus** in homine enumerantur et describuntur, 40 *et seqq.*
- Agriculturae** studium civitati commendatur, 249.
- Alexander, P. III.** sic forsan contra haereticos primus saevire coepit, 552.
- Amazonum** pactum cum vicinis maribus, 152.
- Ambarvalia**, 489.
- Ambrosianae** excommunicationis gravis censura, 433.
- Anabaptistae** combusti, 545.
- Anathema**, anathematizatio, 541, 551.
- Angelus**, omne id per quod Deus supernaturaliter aliquid manifestat, 286; angelos res esse permanentes, et simul incorporeas, non posse ex Scripturis probari, 286, 564.
- Anglicanae** ecclesiae suprematus penes summam potestatem, regem, reginamve, 402, 568; Angliae status, 509, 559.
- Animam** immortalem esse an in Scriptura inveniat, 325, 521; an in liturgia Anglicana, 565; animam citra corpus naturaliter non subsistere, 458 *et seqq.* rationes contrariae excutiuntur, 464 *et seqq.* 521 *et reliq.*

P P 2



## INDEX.

- Animæ immortalitas** excitat ad virtutem, 525; sed et quid, 525; animæ citra corpus subsistentis auctores Plato et Aristoteles, 525; animam non sua natura et subsistentem, sed per gratiam et resurrectionem immortalem esse, 564, 565
- Animal artificiale** respublica, 1; animal brutum unius anni prudentius homine decenni, 19; animantium afflictiones, 257.
- Ἀνοήτως** de Deo apud Damascenum, 562
- Antichristum** papam esse nondum satis probatum, 408, 409.
- Apostolos** et eorum successores non imperatores, sed ludimagistros, nec eorum prædicationem leges, sed monita et consilia fuisse, 358, 359, 382, 383; apostolorum officium informare et attestari, 386.
- Apparitiones, lemures, spectra, vide** Dæmonologia, Spiritus.
- Aqua lustralis**, 489.
- Arbiter inidoneus** quis, 120.
- Archiva consiliarium instruunt**, 194; et causam meditantem in quæstione juris, 201.
- Aristoteles** carptus, 118, 163, 505; ejus philosophia cum sacris confusa, 451; ubi docuerit, 491, quanto in pretio doctrina fuerit, 492, quæ nova, notha, etinania excogitarit, 496, 497, 498; contradicit sibi in æternitate mundi, 513.
- Arius, et Ariani**, 544.
- Articulus fidei unus omnes complectens, Jesum esse Christum**, 444, 445, 568.
- Athanasius** zelo hæresis Arianæ obedientiæ potestatibus præstandæ oblitus, 551; illius symbolum tantum est paraphrasis Nicæni, non pars, 569.
- Atheus** quis, et quando puniendus, 548, 558.
- Augustus Cæsar** tribunus plebis et pontifex maximus, 488.
- Author, autoritas**, 123, 124.
- Automatum, hominis et civitatis comparatio**, 1.
- B.**
- BAPTISMUS**, 298, 355, 366, 367, 432; baptizare regi an competat, 398; per baptismum rex subditus Christi, 432; baptismi incantatio, 456; baptizari pro mortuis quid, 472; baptisma unum, 520
- Batavorum industria** ditat, 235; Bataviæ mendicorum facinora, 247.
- Beelzebub rex phantasmatum, filiorum tenebrarum**, 449.
- Bellarminus** quoad potestatem pontificis debellatur, 358, 404 *et seqq.* 433; in causa Trinitatis accusatur, 534.
- Bellum** non in pugna sed manifesta decertandi voluntate consistit, 99; bellum omnium contra omnes, quando, 101; belli status et cura in summo principe, 253.
- Beza** an regnum Christi a resurrectione incepisse et ecclesiam esse asseruerit, 460, 461, 462.
- Blasphemia** vel ex atheismo, vel levitate procedit, 558; blasphemum promiscue cur Deus in regno suo morte punire jusserit, 550.
- Boni et mali** iudicium in civitate non est privati, sed summæ potestatis, 232, 245.
- Bonorum suorum** civis ita est dominus, ut jus civitatis non excludatur, 234, 245; boni tamen publici causa, non imperantium, 508.
- C.**
- CANON** Scripturæ *vide* Scriptura.
- Canonizatio** sanctorum, 488, 504.
- Cassii Romani dictum, cui homo**, 503.
- Catholicus** et hæreticus voces relativæ, 543; tot vero sunt ecclesiæ catholicæ quot ecclesiarum capita, 543; tot capita quot regna, 543; Catholica fides Athanasii, 569.
- Cereorum derivatio** unde, 489.
- Christus** *vide* Servator Jesus.
- Christianæ** politicæ principia, 265 *et seqq.*
- Christianis** etiamnum nox, aut saltem spissæ errorum nebula, 450.
- Christianismi, Judaismi, etc. sectæ**, 540, 541; Christianismi hæresis sub ethnicis potestatibus, 545.
- Civitas** homo artificialis, et persona unica, 2, 262; extra civitatem jurijurando non esse locum, 24; nec personæ rei inanimatæ, 88; extra potentiam coercentem status belli, 99, 127; civitatis causæ, generatio, et definitio, 127 *et seqq.*; civitas acquiritur, instituitur, 131; civitas per institutionem, 132 usque 150; cætus sub uno homine vulgus, secus regnantis pars, 134; extra civitatem justum vel injustum nullum, 135, 211. civitatum genera, 141 *et seqq.*; civitas non est, quæ subjici sine bello potest, 154.

INDEX.

- Civitas a legibus libera, 163; civitas systema regulare absolutum, 170; civitatis facultas nutritiva et generativa, 185.
- Civitatis sanguis, 189; proles, *ib.*; extra civitatem nullius rei proprietas, nec tranquilla communitas, 186; omnium omnia, 234; civitati semper externe obediendum, non vero continuo interne credendum, 208.
- Civitas populi Israelitici in deserto, 186.
- Civitatem labefactantia et dissolventia, quæ, 230 *et seqq.*
- Civitatis Romanæ sub senatu et populo innumeræ seditiones, 232; etiam Athenis, 238; civitas et ecclesia idem, ibi homines, hic Christiani, 279.
- Cives subditi, 131; cives omnes regis servi, 155; commodum et solatium, 140, 158.
- Civis libertas erga summam potestatem quam anguste pateat, 164 *et seqq.*
- Civium bona reipublicæ tuendæ causa imperantibus obligata, 234, 245, 508.
- Cogitationum series discursus mentalis, 14; cogitationum series irregularis, 15; regularis, 16.
- Collegia, *vide* Systema.
- Coloniæ hominis civitatis artificialis proles, 189; quando mittendæ, 294.
- Concilio Laodicensi debetur canon Scripturæ, 276, 385; an quid piarum fraudium admissum, *ib.*; Conciliorum acta consilia, non leges, *ib.*; Concilii Lateranensis decretum in reges, hæreticos foventes, 452; Conciliorum tomii an sinceri, 555; Concilia quatuor Œcumenica, 543, 554.
- Confessio auricularis exploratrix consiliorum, 504.
- Conjector propheta, 18; conjectura temporis est præteriti, 19.
- Conscientia recta, 52; vana, 52; erronea, opiniones, 232; conscientia curia naturalis justitiæ, 253.
- Consecratio, conversa in conjurationem, 454; qualis esse debeat, 463.
- Consilia ex ore Christi, J. Baptistæ, etc. 193, 382, 417; consilia non leges acta consiliorum, 276; consilia sunt traditiones, 417; vide Obediencia.
- Consiliarius tantum, non est minister publicus, 184; consilium dare quid, et quales esse debeant consiliarii, 190 *et seqq.*; consilium comparatum ludopiliæ, 196; quales porro debeant esse consiliarii, 252, 253.
- Constantini Magni tempore non nisi in hæreticos clericos animadversum, qui ecclesiis privati, 550.
- Consuetudo longa lex, 197, 206; consuetudo quæ ignorantiam involvit, nihil probat, 241.
- Contemnere est nec cupere nec odisse, 41.
- Contractus mutua juris translatio est, 105.
- Contributionum æquitas et utilitas, 140, 234; exitus, reditus, 189; æqualitas, 247.
- Conversio ad Christum, quid præcise, 376.
- Corpus quid significet, 280; incorporeum an nihil, 492; corpus, incorporeum, spiritus quid, 536.
- Creatio, 513.
- Criminum principia, genera, excusationes, extenuationes, 210 *et seqq.*
- Cruciatu damnatorum non fore æternos, sed dari mortem secundam, eamque æternam, 467; nec id justitiæ Dei obstare, quam utique infinita misericordia committatur, 522.
- Cultus et honor, ut differant, 482; cultus duplex, divinus et civilis, 482.

D.

- DÆMONIACOS apud Judæos habitos mente captos, lunaticos, etc. 64, 286, 476, 480.
- Dæmonia phantasmata, filii tenebrarum, Beelzebub rex, 449; dæmones an nihil, 512.
- Dæmonologia ethnicorum et poetarum inter Christianos, 450; de dæmonologia et reliquiis aliis religionum ethnicarum copiose, 475 usque 489.
- Damnandos non æternum victuros, sed dari mortem secundam, 467, 522, 565.
- David cur pro Saulo et Jonathano jejunavit, 468.
- Decimæ, 394; nullo jure exiguntur, 453.
- Defensionis ima radix, 165.
- Definitionum usus, 25.
- Deliberatio boni et mali, 50.
- Despoticum dominium, 150, 153.
- Deus nominatur ut honoretur, non ut concipiatur, 20; Deum et ejus cultum natura dictat, 85, 90; Deum Spiritum esse incorporeum, an dogmaticæ statuerint theologi illi naturales, 87, 282, 537; Deum in persona propria creasse mundum, 125, 533, 563; de Dei regno naturali, ubi de honore, et ejus causis, attributis divinis late, 254 *et seqq.*; Dei misericordiam vix admittere, ut cruciatu sint æterni, 466; Dei justitiam

## INDEX.

- non impedire quo minus cruciatus æterni relaxentur, 522; Deum affirmatur esse corporeum cum Tertulliano, ab Œcumenicis Conciliis non damnato, 561; Deum *ἀνούσιον* dixit Joannes Damascenus, 562.
- Diabolum, Satanam, Abaddon, non nomina individuorum, sed qualitatum et officiorum esse, 329.
- Diaconus ecclesiæ, et verbi differunt, 390; diaconorum officia, 390, 400.
- Dignitas est valor hominis, 69.
- Disciplina ecclesiastica causa civilis belli in Scotia, per Angliam, et Hiberniam, 509.
- Discursus mentalis, imaginationum series, 14; discursus, investigatio, sagacitas, solertia, 17; discursuum determinationes, 51.
- Disputari possunt pastorum doctrinæ, at non potestatum leges, 418.
- Divitiæ conjuncta liberalitate potentem faciunt, 68.
- Dominium paternum et despoticum, 150.
- Dominium rei privatæ debetur protectioni summæ potestatis, 234.
- Δουλεία, λατρεία* imperite distinguitur, 483
- Dubitatio veri et falsi, 51.
- Duella, quomodo tandem efficaciter inhibenda, 244.
- Dii gentium qui, quot, 89, 90.
- E.
- ECCLESIA et civitas idem: ecclesia homines Christiani, civitas homines pactis mutuis in unum consociati, 279; ecclesia ergo universalis non datur; quia nec civitas, 279, 335, 337, 428, 542, 543; de ecclesiastica potestate amplissime, 357, usque 434; Vide *Apostolos*. Ecclesiastica officia magisterialia, ministerialia, 386 *et seqq.*; electio, 389; ecclesiasticorum sustentatio unde, 393, 394; caput summus imperans, 397; ecclesiam in terra non esse regnum Christi, 451; ecclesiæ ante Constantinum Magnum sine auctoritate decernendi, 566.
- Ecclesiæ ministri ministri publici, 183.
- Electio *χειροτονία*, 389; electio nunc doctorum ecclesiæ penes summam potestatem, et cur, quomodo, 397.
- Elizabetha regina pastoralibus ecclesiæ functionibus per diploma renuntiat, 402, 546; lemures Anglia ejicit, 507; non absque periculo combustionis fuit sub Maria Regina 546.
- Eloquentia potentia est, 69.
- Ens substantia, 530.
- Enthusiasmus, 267, 269.
- Episcopus, pastor, presbyter, doctor, idem, 388.
- Episcoporum Angliæ et Scotiæ ampla potestas, 402, 546; minuitur, 546, 556; nimium, cum damno religionis, 560.
- Error et absurdum unde, quotuplex, 34; ab errore nascuntur crimina, 212; error ab auctoritate mitigat, 218; errare, decipi, male sentire, si factum nullum sequatur, sua natura crimen non est, 547 *et seqq.*
- Eucharistia, *vide* S. Synaxis.
- Essentia nomen artis, non res, 498; inventum Aristotelis occasio, 496.
- Essentiæ separatæ, 499; nullæ, 499, 531; essentia et ens tandem coincidunt, estque essentiæ terminus supervacuus, et noxius, 532.
- Est copula, verbum substantivum, 497, 498, 512; Hebræi eo ut copula nunquam utuntur, 498, 513.
- Ethica legum naturalium scientia, 121.
- Ethnicismi reliquiæ inter Christianos, 475 usque 489.
- Excommunicandum tantum ob mores, 371, 557; nec tamen summam potestatem, 373; excommunicationis fulmen quale poetici Jovis, 374; excommunicatus ut fugetur, a summa est potestate, 395, 403; excommunicationem Theodosii crimen fuisse læsæ majestatis 433.
- Excommunicatio ob hæresin, 550, 551, 556.
- Exemptio clericorum, 504.
- Exilium subditum a summa potestate liberat, 169; vix pœna est, 227.
- Exorcismus, 457, 499, 505.
- Experientia rerum multarum memoria, 9; mater prudentiæ, 38.
- F.
- FACTIO famulorum, 180.
- Falsarii, 221.
- Familia magna, parva civitas, 154.
- Famulorum et servorum factio, 180.
- Fides, 52; actus a Deo non jussus sed factus, 208; non credere negatio, non transgressio est, *ib.*; civitati non semper credendum, *ib.*; fides et sanctitas procedit ab educatione, disciplina, aliisque naturalibus, Deo his utente ad suos instruendos, 233; fides suaderi, non

INDEX.

- cogi vult, 360; potest tamen contradictor a civitate puniri, *ib.*; fidem, jubente eam abnegare summo principe, voce posse dissimulari, 361; ad credendum nemo obligari potest, 417; fides conversa in scientiam, interit, 516; fides hypostasis, 530; credens Jesum esse Christum, omnia tenet credenda ad salutem necessaria, 445.
- Formula pacti hominum ex statu belli omnium contra omnes sese vindicantium, 131.
- Fredericus Enobarbus an legem de comburendo hæretico tulerit, 552.
- G.
- GERMANIA auctor hæreditariæ nobilitatis, 75; primi palparunt tenebras spirituales, deinde Angli, 505.
- H.
- HÆRETICUS quis, et an excommunicandus, 371; hæresis doctrina publice in civitate recepta nulla, 430; de hæresilate, 539 usque 559; hæresin a civitate posse puniri, sed quam, quomodo, 546 *et seqq.*
- Henricum II persequitur Papa, 231; et Henricum VIII 246; sed hic lemurum potestatem Anglia ejicit, 507.
- Heraldi ministri publici, 184.
- Homo artificialis, civitas, 2; hominum passiones eadem non qua objecta, sed causas, 3; humani generis conditio naturalis, 97 *et seqq.*; conditio belli omnium contra omnes, *ib.* et 101, 112, 127; homines natura omnes æquales, 97, 150; hominum consensio a pactis, formicarum a natura, 130.
- Hominis substantia unde, 527.
- Honorar: est opem poscere, 70; honorare est obedire, 70; honori olim datum egregium egisse prædonem, 73, 128; honorum tituli, *ib.* *et seqq.*; honoris et cultus causa potentia, 258, 259, 482; honor interna æstimatio, cultus externa significatio, *ib.*
- Hypostases esse totidem substantias, 494, 515, 519, 528, 529, 539; hypostaseos Dei character, 529.
- I. J.
- IDOLUM nihil, 481, 512; idololatria vero in Deum rebellio, *ib.*; idololatriam esse cultum reliquiarum et imaginum, 486.
- Jehoiadæ Athaliam interficientis factum examinatur, 460.
- Jejunii Davidici pro Saulo et Jonathano scopus, 468.
- Jesus persona Dei in redimendo, 125, 533, 563; Jesum esse Christum credere, et legem implere conari, sufficere ad salutem, 445.
- Ignominia: pena, 226, 227.
- Ignorantia: pena neminem excusat, 212; ignorantia: inter Christianos obscura nox in quo consistat, 450 *et seqq.*
- Imaginatio quid, 7; rectius phantasia dicitur, 8; differt a memoria non nisi diverso considerandi modo, 9; imaginationes dormientium somnia, 10; imaginatio nascens a signis, intellectus est, 13, 14; imaginationum series discursus mentalis, 14.
- Imaginum figuræ contra honorem sunt Dei, 260; absurdæ, 262; reliquiarum ethnicismi, 481 *et seqq.*
- Incantatio facta consecratio, 454 *et seqq.*
- Incarceratio diuturnior juri naturæ reluctatur, 227.
- Incarnatio, 527.
- Indulgentiæ quid, 459; quæstus, 505.
- Infernus quid, 326; non videri locum, sed nomen perditionis, *ib.* et 328; inferi respectu cælicolarum, 517; Gehenna, Tartarus, etc. *ib.* et 518; infernus in lacum ignis conjiciendus, 522.
- Infiniti non est conceptus, 20.
- Ingenium naturale, 54; bona phantasia, 55; ingenium acquisitum, 58.
- Injuriæ verbales, 221.
- Insania enormium est passionum, 59 *et seqq.*; insaniunt ebrii, 60, 61; insaniunt virgines pudoris memoris, *ib.*; insani energumeni, 61; insanos sanasse Servatorem nostrum, 64.
- Inspiratio quid significet in sacris, 290.
- Intellectus hominis duplex: communis, et proprius, 14; intellectus conceptus natus a sermone, 30.
- Interpretatio legum quam necessaria, 201, 202; sacrarum Scripturarum penes summam potestatem, 279; interpretari legem actu regnantis est, 376; aut in defectu penes ecclesiam, 377; tenebræ ab interpretatione non recta Scripturarum, 449.
- Josua: liber post mortem ejus scriptus, 272
- Jovis simulachrum, 487.
- Judicium determinatio discursus, 51; judicium est bene distinguere, 55.

INDEX.

Judicialia potestas ministerium publicum, 183; judicem bonum quæ faciunt, 205.  
 Jus causa legis, ut libertas obligationis, 102; juri vel renuntiat, vel transfertur, 104; juris translatio contractus est, 105; jus in omnia quod, quando, 107; jus regni Dei, *vide* Regnum Dei.  
 Jurisdictio ecclesiastica summæ potestati in civitate subjicitur, 413, 419.  
 Jurijurando extra statum civilem non esse locum, 88; juramentum quid, 110; fiat secundum religionem jurantis, 111; nec tamen obligationi aliquid addit, *ib.*; jurandum non nisi per Deum, *ib.* et 261; hinc atheus relegendus, 549.  
 Justitia et injustitia, 112 *et seqq.*; justum aut injustum ante civitatem constitutam nullum, 135, 211; injustum non est, quod non sit transgressio alicujus legis, 211.  
 Justitia est conari, velle, 447; justitia Dei potest pœnam commutare, 522.

L.

LAODICENSE Concilium, *vide* Concilium.  
 Lapsos ob tormenta et metum quo loco Concilium Nicenum habuerit, 567.  
 Λατρεία et δολεία, an differant, 483.  
 Latrocinium olim licitum et honorificum, 127, 128.  
 Leges duæ naturales: defensionis, et concordie seu societatis, 102, 103; lex effectus juris, ut obligatio libertatis, 102, 209; lex nulla antequam in legislatorem consensum, 100; leges reliquæ, septendecim naturales: justitiæ, et virtutum aliarum ethnarum, 111 *et seqq.*; semper naturales in foro externo non leges obligant, 121; legum naturalium scientia, ethnica, *ib.*; leges civiles, 136; proluxe explicantur, 196 *et seqq.*; dividuntur, 205; lex civilis etiam lex naturæ, et cur, 128, 447; leges bonæ, quæ, 249; non debent innoxia libertate populum privare, *ib.*; de legibus non licet disputare, 418; leges canonicæ quando et quomodo cœperint, 453; leges humanæ in contumaciam tantum animadvertunt, 556.  
 Legati ministri publici, 184; aliqui non, *ib.*  
 Legislatarum axioma rejicitur, 204.  
 Lemuribus confertur hierarchia Romana, 505.  
 Leonis papæ nobile problema, 496.

Leviathan civitas, 1; Leviathanis magni generatio, 131; mortalis Deus, *ib.*; describitur ex Jobo, 230; Leviathanis, id est tractatus de civitate, ἀνακεφαλαιώσις, 507 *et seqq.*; Leviathan objectionibus impetitur, et respondetur, 559 usque ad finem.  
 Libertas fons obligationis, ut jus legis, 102; libertas civium in quo consistat, 159 *et seqq.*; libertas et necessitas pugnant, 160.  
 Libertas populi innoxia legibus non excludenda, 249: liberæ a legibus ipsæ civitates, 163.  
 Liberum arbitrium, 501.  
 Libri qui politici et historici sub monarcha non legendi, 163, 235.  
 Liturgia Anglicana, 519, 538.  
 Lumen de lumine quid, 514.  
 Lutherani combusti, 545.

M.

MAGIA et incantationes, an meræ impostura; 317.  
 Magistratus et præfecti, 1, 182 *et seqq.*  
 Manichæi non tam hæretici, quam hæti Christiani et scelerati homines, 552.  
 Manuum impositio, 357 *et seqq.*  
 Maria Virgo Θεοτόκος, 527.  
 Martyrem quid proprie faciat, 363.  
 Mathesis in scholis prætermissa, 437.  
 Matrimonii sacramentum quo tendat, 504.  
 Memoria et imaginatio non nisi diverso considerandi modo differunt, 9; memoria, ipsa sensio deficiens e: phantasma dilutum, 9; memoria multarum rerum experientia, 9; memoria et sensus facti sunt cognitio, 37.  
 Mercatorum systema subordinatum, 176; negotiandi modus, 188.  
 Mercurii simulacrum, 487.  
 Metus quid, 45; vinculum religionis, 45, 85, 261; causa pacis, 102; passio omnium innocentissimas, 214; non omnis tamen actionem excusat, *ib.*  
 Mornarchia, aristocratia, etc. 141 *et seqq.*; monarchicum fuisse imperium populi Romani in Judæos, 147; mornarcham successorem posse constituere etiam alienigenam, 150.  
 Monarchia mixta an detur, 404; mornarcha an fuerit S. Petrus, 405.  
 Militares duces, portuum præfecti, etc. ministri publici, 183; miles extra hos non est minister publicus *ib.* militum infimus jure stipendium postulat, 229.

## INDEX.

**Ministri ecclesiæ, vide Ecclesia.**  
**Ministri in civitate publici qui, quales, 181 et seqq.**  
**Minister ecclesiæ et verbi, differunt, 390.**  
**Miracula contra Sacram Literam nihil probant, 268.**  
**Miracula et cautela late traduntur, 313 et seqq.**  
**Monetæ aureæ et argentæ valoris auctio vel diminutio a plurium civitatum consensu pendet, 189.**  
**Monopolium, 176.**  
**Mores hominum et gentium, 77 et seqq.**  
**Moralia parva quæ docentur pueri, 77; moralibus de controversiis suprema judicatio quam sibi vindicat Papa, et summum imperium civile, idem, 413.**  
**Mors secunda, 328, 522; Mors æterna, 457; morte morieris quid, 321, 523.**  
**Motus voluntarii, vulgo passiones, 39; motus vitalis, animalis, 39, 40.**  
**Moysi populus Israeliticus ad obediendum se submiserat, 208.**  
**Moysen totum Pentateuchum non concinnasse, 271; Moysi quomodo Deus extraordinarie locutus, 304; Moyses prorex Dei, 338, 340; personam Dei gerens, 563.**  
**Mundus venturus, 334.**  
**Musica qua cultum divinum commendatur, 262.**

### N.

**NAAMANI Syri exemplum in dissimulanda fide seu religione, 361; non se periculo ultro obijcientis, 448.**  
**Naturales leges duæ: defensionis et concordiæ, 102, 103. Adde Leges. Natura omnes homines æquales, 97, 118, 130; naturæ lege iniquum, civili injustum, 135; naturalis æquitatis ouria conscientia, 253; naturale Dei regnum, 254 et seqq.; naturalis rationis dictamina circa honorem et cultum divinum, 257, 258; naturæ leges violans peccat contra Deum, 448; naturalem contra legem præcise crimen vocari non solet: mitius ergo ex hoc fonte contra quosdam agendum, 548.**  
**Nicænum symbolum per D annos expositum, 493, adde Symbolum.**  
**Nobilitatis, tunicarum, et scutorum pictorum hæreditariorum reperitrix Germania, 74, 75.**

**Nomina propria, communia, universalialia, 23, 24; res nominatæ, 28, 532; nomina positiva, negativa, insignificantiæ, 29, 30.**

### O.

**OBEDIRE apostolis, consilium est sequi, 417, 418.**  
**Obero rex lemorum, 506.**  
**Objectiones et responsiones contra Leviathanem, 559, usque finem.**  
**Obligant leges naturales in foro interno, non semper externo, 121.**  
**Olei benedictio, 456, 457.**  
**Ὁμολογίῶν vocis in Concilio Niceno declaratio, 554.**  
**Opificia fovenda, 249.**  
**Opinio determinatio discursus, 51.**

### P.

**PACTUM etiam metu extortum in curia naturæ validum, 108; pacto, si licitum sit, juramentum nihil addit. 111; Qui dicunt pactorum violationem legis supernaturalis esse violationem, 114; vitium personæ paciscenti non parit exceptionem, 114; pactum sine auctoritate scienter, invalidum, 124; pacta verba sunt, non timentur, 127; sine armis inutilia, 127; pactum civitatis, vide et formula, 130.**  
**Papatus prolapsi causæ, 96; papa an sit antichristus, 409, adde Primatus.**  
**Papatui tenebræ profuerunt, 503; quæ quantæ, 504; lemuribus comparatur, 505.**  
**Passiones animantium sensuales, 17; passiones motus voluntarii, 40, adde Affectus.**  
**Pastor summus summe imperans, 397.**  
**Paterna primitus imperia, 127; paternum dominium et despoticum, 150.**  
**Pax, tempus bello vacuum, 100.**  
**Peccatum, et crimen differunt, 211; peccata non omnia esse æqualia, 215; junge Bonum. Peccatum non esse quidquid contra conscientiam fit, et quando, ubi, 232, 233; peccatum in Spiritum Sanctum in ecclesiam videri, 470; peccati causa, 501: peccator peccatorem puniens, 501.**  
**Pecunia civitatis sanguis, 189.**  
**Peripatetici loquaciores, 491.**

## INDEX.

- Persona propria, representativa, 123 et seqq.**; persona rei inanimatae, 124; persona Dei propria, representativa, 125; persona civitas, 131; persona et hypostasis differunt, 494, 515, 519; persona quid proprie, 533, 539.
- Prudentia, providentia, pravisio, sapientia, 18**; prudentia praesumptio est futuri, 19; prudentius est animal unius anni homine decenni, 19; prudentia naturalis, 38; prudentia experientia multa, 38; prudentia sinistra, astutia, 58; prudentia omnis ab experientia, 97.
- Petrus an fuerit monarcha ecclesiae, 405**; an fuerit Romae, an ibi episcopus, 407.
- Phantasia, vide Imaginatio.**
- Phantasia, sine iudicio non laudatur, 55**; phantasmata objectorum imagines, 6, 475; substantiae incorporeae, 563.
- Philosophicae tenebrae late deducuntur, 495 usque 505**; philosophia genuina definitur et celebratur, 490; origo, sectae, 490; abusus, 495; mirabiles praestigiae, 533.
- Plebs robur civitatis, 247**; colenda propter potentiam, 247.
- Pœna præcedens justo major ad crimen hortatur, 212**; pœna subsequens major delinquentem decipit, 212.
- Pœnae et præmia, 223 et seqq. late explicantur.** Pœnarum infictio a iure pendet naturali, non submissione civium, 223; pœnae et præmia recte dispensanda, 250; puniri possunt contradictores fidei a civitate, 360; qui, quomodo quoad hæresin, atheismum, blasphemiam, 540 usque 559.
- Pœnitentiæ iudicium penes ecclesiam, non solum pastorem, 368.**
- Politica tam est scientia certa, quam arithmetica aut geometria, 159.**
- Politica Aristotelis et Ciceronis principatui periculosa, 163, 235, 502**; politicæ Christianæ principia explanatur, 265 et seqq.
- Pontifex maximus unde procedat, 488.**
- Potentia naturalis, instrumentalis, 68**; potentia causa cultus, 258, 259.
- Potestas summa anima civitatis, 1, 168, 428**; extra potentiam coercentem status belli, 99, 127, 234; reges et personae summam potestatem habentes hostes inter se, semper excubantes et suspicantes, 101, 162; iura summæ potestatis in civitate perinstitutionem, 132 et seqq.; summa potestas extra capis-
- trum, non potest cogi, 134; indivisibilis, singulis et universis major, 139; de iure successionis summæ potestatis, 141, 146, 147; potestatis summæ iura sunt omnia paterna et despotica, 154; potestatis summæ ministri publici, 181.
- Potestas regnantis justo minor ad dissolutionem civitatis tendit, 231, 239.**
- Potestas summa boni et mali iudex non quilibet privatus, 232**; potestas summa est extra vinculum legum civilium et pœnam, 234; summi imperantis officium ordine particulatim explicatum, 240 et seqq.
- Potestatis summæ jus iudicandi de doctrinis, 396**; summus imperans pastor supremus, 397; personam gerens ecclesiae, 448, *Vide Civitas.*
- Potestas ecclesiastica civitati subjecta, 357 usque 434.**
- Præmia et pœnae, 223, 228, 250**; præmiis ambitiosi non afficiendi, 251.
- Preces præcedunt, gratiarum actio sequitur, 261.**
- Presbyter et episcopus, idem, 388.**
- Presbyterianorum factio contra episcopos Scotiæ, Angliæ, 559.**
- Primatus, infallibilitas, et temporalis potestas summi pontificis, 279, 358, 404 usque 434**; probatio, 463, a Phoca, 545.
- Privilegii revocationi quando locus, 168, 217.**
- Probatio: quæstiones juris non sunt testibus determinandæ, 422**; consensus hominum, non hoc agentium quod in quæstionem venit, non probat, 525.
- Processio, pompa illa imaginum, reliquiae ethnicismi, 489.**
- Processus contra hæreticum, 552.**
- Propheta, bonus conector, 18**: prophetae veri *γυωπισματα*, 267 et seqq.; prophetae antiquissimi qui, 274; prophetis Deus locutus vel per visionem, vel per somnia, vel per gratias, 301 et seqq.; propheta per sortes, 309.
- Purgatorium expugnatur, 459 et seqq.**; quæstus regius, 505.

### Q.

**QUÆSTIONES stultis et indoctis rejicere, non est hominem excommunicare, 371.**

### R.

**RATIOCINATIO est computatio, 28**; rationes ingreditur res quadrupliciter, 29; ratiocinatio est additio, vel sub-

## INDEX.

- tractio, seu divisio et multiplicatio, 31, 32; rectæ rationis, æque ut arithmeticæ, ars certa est, 33; ratiocinari et invenire, connectere, discurrere, 526.
- Rebellionum causæ et remedia, 235.**
- Reactorum sanctitas sustinet ecclesiam et rempublicam, 94, 95, 96.**
- Redemptio quid, 334, 335.**
- Reges vide Potestas summa; reges circumscripti, summorum ministri, 146; regis servi omnes cives, 156; æquitas, 158; reges ipsi Deo et legi ejus, non doctores se submiserunt, 383; subditi Christi per baptismum, 432; etiam ethnici pastores vocati, et cur, 396; publice possunt docere, an etiam baptizare, 398; potestas juris civilis et ecclesiæ consolidatione quæ, quanta, 403.**
- Regnum Dei in Scripturis proprie sumptum pro regno Dei civili consensu populi Israelitici constituto, 291, 295; regnum Dei per proreges Abrahamum, Moysen, summos sacerdotes, et reges Judææ, 338 et seqq.**
- Regnum Christi non esse ex hoc mundo, 359; non esse ecclesiam quæ est in terra, 451; sed cum resurrectione demum incipiet, 451 et seqq. 565; futurumque tunc in terra, ib.**
- Regnum in cælorum ut quis recipiatur quæ sint necessaria, 434 et seqq.**
- Religio metus potentia invisibilis, 45; religio late explicatur, 85 et seqq.; religio medium consequendi, finis civitatis, qui est pax, 93; religionum libertas Romæ, 93; religionis, doctrinarum, et opinionum negotium in potestate summa, 135, 136, religio subest civitati, 208, 209; religionis crimen in doctore majus, 220; religionum ethnicarum reliquiæ et dæmonologia, 475 usque 489; *junge* Fides.**
- Reminiscentiæ facultas, 17.**
- Rerumpublicarum species, 141 et seqq.; 358; refutatur Bellarminus quoad monarchiam mixtam, 404, 405.**
- Res nominatæ, 28, 532.**
- Resurrectio hominis, 520, 522; resurgent etiam reprobi, 522.**
- Romæ religionum omnium libertas, præter Judaicæ, 93.**
- S.
- SACERDOTALE regnum Israelitarum, 341.**
- Sadducæos angelos substantias negantes, non fuisse excommunicatos a Judæis, et cur, 564.**
- Salis cum aqua benedictio, 456.**
- Saliva odor suavitatis, 464.**
- Salvari est a peccato et pœna liberari, 330.**
- Salutem ut quis adipiscatur æternam, quæ sint necessaria, 434 et seqq.; fides scilicet Jesum esse Christum, et justitia conantis licet non implentis, 445.**
- Samuelis libri post mortem ejus scripti, 272, 273.**
- Sanctitatis existimatio tollitur facienti contrarium, 94; sanctitas rectorum columen civitatis, 95.**
- Sanctum, sacrum, sacramentum, quid in Scripturis de regno Dei civili significant, 296, 297, 298.**
- Sanctorum canonizatio reliquiæ ethnicismi, 488.**
- Sapientia est scientia multa, 38; sapientiæ existimatio tollitur admittenti contradictoria, 94.**
- Saturnalia, 489.**
- Scandala quid in civitate et circa religionem operentur, 94.**
- Scholæ cur sic dicantur, et quomodo cœperint, 491.**
- Scholastici philosophi vapulant, 6, 13, 20, 96; antesignani qui, et doctrinæ summa, 496 et seqq.**
- Scientia consequentiarum facti est cognitio, 37; scientia multa, sapientia, 38; signa, 39; scire perfecte, conditionaliter, 52; scientiarum distributio, 66; scientia potentia est, sed parva, et cur, 69.**
- Scripturæ Sacræ auctoritatem fide niti ecclesiæ, 53; Scripturæ non præjudicant miracula, 268; de antiquitate, scopo, auctoritate, et interpretibus librorum sacrorum, 270 et seqq.; Scripturæ Sacræ extra revelationem leges non sunt, nisi ab auctoritate summam potestatem habentis, 278; quid in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio, significant, 280 et seqq.; quid vita æterna, infernus, salvatio, mundus venturus, et redemptio, 320; Scriptura canonica ut sit, id est, vim legis habeat in civitate, id obtinet a summa potestate, 377 et seqq.; Scripturæ canon apud Judæos ante Esdram, 380, 381; Novum Testamentum a proselytis privatim ut lex susceptum, 381; ut quisque suo periculo scrutetur, Scripturas Sacras vel non, 508, 539.**



## INDEX.

- Persona propria, repræsentativa, 123 et seqq.**; persona rei inanimatæ, 124; persona Dei propria, repræsentativa, 125; persona civitas, 131; persona et hypostasis differunt, 494, 515, 519; persona quid proprie, 533, 539.
- Prudentia, providentia, prævisio, sapientia, 18**; prudentia præsumptio est futuri, 19; prudentius est animal unius anni homine decenni, 19; prudentia naturalis, 38; prudentia experientia multa, 38; prudentia sinistra, astutia, 58; prudentia omnis ab experientia, 97.
- Petrus an fuerit monarcha ecclesiæ, 405**; an fuerit Romæ, an ibi episcopus, 407.
- Phantasia, vide Imaginatio.**
- Phantasia, sine iudicio non laudatur, 55**; phantasmata objectorum imagines, 6, 475; substantiæ incorporæ, 563.
- Philosophicæ tenebræ late deducuntur, 495 usque 505**; philosophia genuina definitur et celebratur, 490; origo, sectæ, 490; abusus, 495; mirabiles præstigiæ, 533.
- Plebs robor civitatis, 247**; colenda propter potentiam, 247.
- Pœna præcedens iusto major ad crimen hortatur, 212**; pœna subsequens major delinquentem decipit, 212.
- Pœnæ et præmia, 223 et seqq. late explicantur.** Pœnarum inflicto a iure pendet naturali, non submissione civium, 223; pœnæ et præmia recte dispensanda, 250; puniri possunt contradictores fidei a civitate, 360; qui, quomodo quoad hæresin, atheismum, blasphemiam, 540 usque 559.
- Pœnitentiæ iudicium penes ecclesiam, non solum pastorem, 368.**
- Politica tam est scientia certa, quam arithmetica aut geometria, 159.**
- Politica Aristotelis et Ciceronis principatui periculosa, 163, 235, 502**; politicæ Christianæ principia explanatur, 265 et seqq.
- Pontifex maximus unde procedat, 488.**
- Potentia naturalis, instrumentalis, 68**; potentia causa cultus, 258, 259.
- Potestas summa anima civitatis, 1, 168, 428**; extra potentiam coercentem status belli, 99, 127, 234; reges et personæ summam potestatem habentes hostes inter se, semper excubantes et suspicantes, 101, 162; iura summæ potestatis in civitate reinstitutionem, 132 et seqq.; summa potestas extra capitulum, non potest cogi, 134; indivisibilis, singulis et universis major, 139; de iure successionis summæ potestatis, 141, 146, 147; potestatis summæ iura sunt omnia paterna et despotica, 154; potestatis summæ ministri publici, 181.
- Potestas regnantis iusto minor ad dissolutionem civitatis tendit, 231, 239.**
- Potestas summa boni et mali iudex non quilibet privatus, 232**; potestas summa est extra vinculum legum civilium et pœnam, 234; summi imperantis officium ordine particulatim explicatum, 240 et seqq.
- Potestatis summæ jus iudicandi de doctrinis, 396**; summus imperans pastor supremus, 397; personam generis ecclesiæ, 448, *Vide Civitas.*
- Potestas ecclesiastica civitati subjecta, 357 usque 434.**
- Præmia et pœnæ, 223, 228, 250**; præmiis ambitiosi non afficiendi, 251.
- Preces præcedunt, gratiarum actio sequitur, 261.**
- Presbyter et episcopus, idem, 388.**
- Presbyterianorum factio contra episcopos Scotiæ, Angliæ, 559.**
- Primatus, infallibilitas, et temporalis potestas summi pontificis, 279, 358, 404 usque 434**; probatio, 463, a Phoca, 545.
- Privilegii revocationi quando locus, 168, 217.**
- Probatio: quæstiones juris non sunt testibus determinandæ, 422**; consensus hominum, non hoc agentium quod in quæstionem venit, non probat, 525.
- Processio, pompa illa imaginum, reliquiæ ethnicismi, 489.**
- Processus contra hæreticum, 552.**
- Propheta, bonus conjector, 18**: prophætæ veri *γνωρισματα*, 267 et seqq.; prophætæ antiquissimi qui, 274; prophetis Deus locutus vel per visionem, vel per somnia, vel per gratias, 301 et seqq.; propheta per sortes, 309.
- Purgatorium expugnatur, 459 et seqq.** quæstus regius, 505.

### Q.

**QUESTIONES stultis et indoctis rejicere, non est hominem excommunicare, 371.**

### R.

**RATIOCINATIO est computatio, 28**; rationes ingreditur res quadrupliciter, 29; ratiocinatio est additio, vel sub-

INDEX.

- tractio, seu divisio et multiplicatio, 31, 32; rectæ rationis, æque ut arithmetica, ars certa est, 33; ratiocinari et invenire, connectere, discurrere, 526.
- Rebellionum causæ et remedia, 235.
- Rectorum sanctitas sustinet ecclesiam et rempublicam, 94, 95, 96.
- Redemptio quid, 334, 335.
- Reges *vide* Potestas summa; reges circumscripti, summorum ministri, 146; regis servi omnes cives, 156; æquitas, 158; reges ipsi Deo et legi ejus, non doctores se submiserunt, 383; subditi Christi per baptismum, 432; etiam ethnici pastores vocati, et cur, 396; publice possunt docere, an etiam baptizare, 398; potestas juris civilis et ecclesiæ consolidatione quæ, quanta, 403.
- Regnum Dei in Scripturis proprie sumptum pro regno Dei civili consensu populi Israelitici constitutum, 291, 295; regnum Dei per proreges Abrahamum, Moysen, summos sacerdotes, et reges Judææ, 338 *et seqq.*
- Regnum Christi non esse ex hoc mundo, 359; non esse ecclesiam quæ est in terra, 451; sed cum resurrectione demum incipiet, 451 *et seqq.* 565; futurumque tunc in terra, *ib.*
- Regnum in cælorum ut quis recipiatur quæ sint necessaria, 434 *et seqq.*
- Religio metus potentia invisibilis, 45; religio late explicatur, 85 *et seqq.*; religio medium consequendi, finis civitatis, qui est pax, 93; religionum libertas Romæ, 93; religionis, doctrinarum, et opinionum negotium in potestate summa, 135, 136, religio subest civitati, 208, 209; religionis crimen in doctore majus, 220; religionum ethnicarum reliquiæ et dæmonologia, 475 usque 489; *junge* Fides.
- Reminiscentiæ facultas, 17.
- Rerumpublicarum species, 141 *et seqq.*; 358; refutatur Bellarminus quoad monarchiam mixtam, 404, 405.
- Res nominatæ, 28, 532.
- Resurrectio hominis, 520, 522; resurgens etiam reprobi, 522.
- Romæ religionum omnium libertas, præter Judaicæ, 93.
- Sadducæos angelos substantias negantes, non fuisse excommunicatos a Judæis, et cur, 564.
- Salis cum aqua benedictio, 456.
- Saliva odor suavitatis, 464.
- Salvari est a peccato et pœna liberari, 330.
- Salutem ut quis adipiscatur æternam, quæ sint necessaria, 434 *et seqq.*; fides scilicet Jesum esse Christum, et justitia conantis licet non implentis, 445.
- Samuelis libri post mortem ejus scripti, 272, 273.
- Sanctitatis existimatio tollitur facienti contrarium, 94; sanctitas rectorum columnen civitatis, 95.
- Sanctum, sacrum, sacramentum, quid in Scripturis de regno Dei civili significent, 296, 297, 298.
- Sanctorum canonizatio reliquiæ ethnicismi, 488.
- Sapientia est scientia multa, 38; sapientiæ existimatio tollitur admittenti contradictoria, 94.
- Saturnalia, 489.
- Scandala quid in civitate et circa religionem operentur, 94.
- Scholæ cur sic dicantur, et quomodo cœperint, 491.
- Scholastici philosophi vapulant, 6, 13, 20, 96; antesignani qui, et doctrinæ summa, 496 *et seqq.*
- Scientia consequentiarum facti est cognitio, 37; scientia multa, sapientia, 38; signa, 39; scire perfecte, conditionaliter, 52; scientiarum distributio, 66; scientia potentia est, sed parva, et cur, 69.
- Scripturæ Sacræ autoritatem fide niti ecclesiæ, 53; Scripturæ non præjudicant miracula, 268; de antiquitate, scopo, autoritate, et interpretibus librorum sacrorum, 270 *et seqq.*; Scripturæ Sacræ extra revelationem leges non sunt, nisi ab autoritate summam potestatem habentis, 278; quid in Scripturis Sacris vocabula spiritus, angelus, inspiratio, significant, 280 *et seqq.*; quid vita æterna, infernus, salvatio, mundus venturus, et redemptio, 320; Scriptura canonica ut sit, id est, vim legis habeat in civitate, id obtinet a summa potestate, 377 *et seqq.*; Scripturæ canon apud Judæos ante Esdras, 380, 381; Novum Testamentum a proselytis privatim ut lex susceptum, 381; ut quisque suo periculo scrutetur, Scripturas Sacras vel non, 508, 539.

S.

SACERDOTALE regnum Israelitarum, 341.

INDEX.

- Sectæ philosophorum, 540; Sadducœorum, Pharisæorum, etc. 541; Judaismi, Christianismi, 541.
- Seculum ante, seculum post resurrectionem, 468.
- Seditio in electione Damasi præ Ursino, 390, 394.
- Sensus quid, et modus sentiendi, 5 et 6; sensus et memoria facti sunt, 37.
- Sermonis origo et præstantia, 21; usus quadruplex, 23; totidem abusus, 23; sermonis copia quanto instructor, tanto vulgo sapientior aut stultior, 27.
- Servatoris nostri benedicti officium triplex, 349 et seqq.; Filius an ex Patre solo, 494.
- Signa, consequentiæ observatæ, 19.
- Solomonis Ecclesiastes et Canticum, 274.
- Solomon Abiatharum summum sacerdotem deposuit, 346; templum dedicavit, suprematum ecclesiasticum habuit, *ib.*; de Abiatharo per Regem deposito et p. 460.
- Somnia quid, unde, 10; somnium, non visio, M. Bruti fuit spectrum, 12; somnia causam dedere satyris, faunis, spectris et lemuribus, 13; somnia jactantes enthusiastæ, 269.
- Sphinx populo formidabilis, 538.
- Spiritus Sanctus persona Dei in sanctificando, 125, 533, 563; processio, 538.
- Spiritibus de mortuorum ambulantiibus opinio quo tendat, 12, 560; spiritum incorporeum non posse intelligi, 87; spiritum dici vel tenuissimum corpus, vel phantasma, 87; 278 et seqq.; 288; spiritualitatem vero Dei captum superare, 282; defenditur spiritum esse corporeum, 477; respondetur ad objectiones, 477 et seqq.; spiritus, corpus, incorporeum, quid, 536, 537; de tenebris spiritualibus ab interpretatione non recta Scripturarum, 449 et seqq.
- Spiritualis et temporalis potestatis distinctio inanis, 236; epilepsiam generans homini civitatis artificiali, 237.
- Status belli, 99, 127, 128, 103, 113.
- Stoicorum auctor et origo, 491.
- Subditi cives, 131; subjectionis solatium, 139, 140.
- Subjectum, suppositum, substantia, 528, 529.
- Substantia incorporea seu corpus incorporeum, significatio inconsistens, 30; substantias nullas videri incorporeas, 561.
- Substantia et ens idem, 530, *vide* Hypothesis. Substantiam incorpoream non nisi videri phantasmata in speculis, somnis, etc., 563.
- Successionis jus summæ potestatis, 146 et seqq.
- Syllogismus actus ratiocinandi, 28, 527.
- Symboli Niceni expositores, 493; symbolum Nicenum per modum colloquii explicatum, 511 usque 539; Symbolum Nicenum cœptum in concilio Niceno, absolutum in Constantinopolitano, Ephesiano et Chalcedonico, 543.
- S. Synaxis, 297, 298, 356; in conjurationem et incantationem abiit, 454, 455.
- Systemata quid, quot, 170 et seqq.; systema regulare independens civitas, 170.

T.

- TENEBRÆ spirituales, regnum tenebrarum, 449 usque 510; quibus quæstui fuerint, 503 et seqq.
- Thesaurarius minister publicus, 182; thesauri depeculatio, 221.
- Tituli et dignitas duorum, comitum, etc. quando cœperint, 75, 76.
- Traditiones consilia, 417.
- Trinitatis mysterium, 533, 535, 538, 542.
- Tutela summi principis pupilli, 145, 182.
- Tyranni minime tales, 236, 502.

V.

- VECTIGALIA in regno Dei, 296.
- Veneris et Cupidinis simulacrum, 487.
- Verbum Dei quid, et quotupliciter sumatur, 298; verbum de Filio Dei, 516, 517, 566.
- Virtutes intellectuales, 54 et seqq.
- Vita æterna quid in Scripturis significet, 320; comparatur statui Adami ante lapsum, 320 et seqq.; de iis quæ ad receptionem in regnum cœlorum sunt necessaria, 434 et seqq.; vita æterna homini non essentialis, animam citra corpus naturaliter non subsistere, nec immortalem, 457 et seqq.
- Universitates reformandæ, 246, 502; errarunt manifeste Henrici VIII tempore, 246; quid in iis doceatur, 496, 502.
- Volendi causa num voluntas, 499.
- Urbis populose immoderata magnitudo monarchæ periculosa, 238.

Z.

- ZIZANIA errorum spiritualium, 450.





















